




A·M·D·G
COLLEGIUM
BOSTONIENSE



T. MACCI PLAVTI
COMOEDIAE.


EX RECOGNITIONE

ALFREDI FLECKEISENI.

TOMVS I.

AMPHITRVONEM CAPTIVOS MILITEM GLORIOSVM RVDENTEM TRINVMMVM COMPLECTENS.

PRAEMISSA EST
EPISTVLA CRITICA AD FRIDERICVM RITSCHELIVM.



LIPSIAE
SVMPTIBVS ET TYPIS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLXIX.

ALFREDVS FLECKEISENVS FRIDERICO RITSCHELIO S. Quod TIBI potissimum, vir summe idemque animo meo carissime, hanc comoediarum Plautinarum recognitionem sive ex parte recensionem dicere mavis inscripsi neminem puto fore qui miretur, quoniam diu inter eruditos constat TE opera TVA iam per plus tria lustra Plauto emendando atque inlustrando impensa hunc poetam ita quasi TVVM TIBI vindicasse ut quidquid a sanioris quidem doctrinae rationibus profectum ad instauranda poetae verba excogitatum sit ad TE potissimum auctorem referendum iure videatur. illud contra cum quibusdam aliis tum TIBI mirum videri possit quod ego, dum TV Plautum TVVM pridem enixissime hominum doctorum votis ecflagitatum nuper in lucem edere coepisti et in absolvendo isto ingenii TVI ac nominis sempiterno monumento naviter elaboras, eiusdem poetae fabulas ad artis normam correctas in publicum emittere institui. itaque ne temeritatis a prudentibus vel inhonestae lucri cupiditatis a malevolis arguar, narrandum mihi esse intellego qui factum sit ut hanc ego editionem nunc parare animum inducerem. detulit enim librarius honestissimus ultro mihi munus recognoscendi Plautinas comoedias quas in bibliotheca sua scriptorum Graecorum et Latinorum desiderari nefas esset: dubius primo haerebam nec dubitationes meas dissimulabam: sed cum edoctus essem viri honestissimi firmum ac stabile consilium esse ut hae comoediae in illa quam dixi bibliotheca foras emitterentur antequam TVA recensio ad finem esset perducta, quo in negotio nisi ego operam pollicerer alteri cuilibet homini docto eandem conditionem oblatum iri, tum omnibus remotis scrupulis et mihi et huic poetae debere visus sum ut provinciam illam ne recusarem: pro sua enim cuique parte acriter enitendum esse arbitrabar ut exempla harum fabularum eaque parvo parabilia in communem usum venirent quae ita essent comparata ut homines literarum Latinarum amantes tandem aliquando falsissimam illam sed plurimorum etiam mentibus insitam de infinitis licentiis metricis ac prosodiacis quibus numeri Plautini repleti essent opinionem abicere et summam eorum elegantiam perspicere atque admirari possent. ratio autem qua munere suscepto in hoc quidem primo tomo (quem ut secundus paucorum mensium intervallo excipiat curabo) perfungi studui necessario diversa fuit in eis fabulis quarum TVAS in manibus habebam recensiones, quae sunt Miles gloriosus et Trinummus, atque in eis in quibus meo periculo res erat gerenda, quae sunt tres relicuae. atque in illis quidem me tantum non in omnibus rebus a TVO

missae sunt. haec eadem res in causa fuit cur et CAR. FRID. HERMANNI correcturas versuum Trinummi 191 sqq. et 679 TVAMque versus 425 quas in praefatione Stichi p. XIX nuperrime prodidisti et MAVR. HAVPTII emendationes eiusdem fabulae quas, dum nuper iucundissimo TVO hospitio Bonnensi utor, manu eius scriptas inspicere licuit, in eorum versuum quos recte correxisse videretur perpetuitatem recipiendi copia esset. doleo quod idem fieri non potuit emendationibus TVIS Militis gloriosi quas in eadem praefatione p. XVII sq. palam fecisti, quarum me aliquot occupasse non sine magna laetitia intellexi, paucas fabulae literis iam descriptae postea inserendas curavi, relicuas quas quidem veras esse mihi persuasisti infra adieci.

Duae autem potissimum res sunt quibus verba poetae ut in hac editione leguntur ab eo habitu quo a TE aut induta sunt aut ex proposito TVO olim induentur differunt: quarum una haec est quod omnia ea vocabula quae in libris scriptis non extant uncis inclusi *), altera quod orthographicum genus ad certam quandam normam dirigere studui. et illud quidem faciendum putavi non quo eos qui hac editione uterentur quasi admonerem ut eis quae sive ego sive alii supplevimus probabiliora substituerent (quamquam si hoc factum videro magno opere laetabor): nam qui artem criticam in his fabulis rite exercere volet plena supellectile critica carere non poterit: sed ut uno quasi oculorum obtutu conspici posset quam multae in libris casu elapsae essent voces ac voculae quae sine maximo aut sententiae aut sermonis aut exploratarum atque indubitatarum legum metricarum damno desiderari non possent, et hinc simul intellegeretur quam rationi convenienter ei facerent qui etiam ob subtiliores leges metricas sed eas artificiose indagatas singulas voces supplere non vererentur: quae quidem artis criticae pars eo minus dubitationis habet quo certius illud est quod TV ex excussis membranis Ambrosianis effecisti 'omnium uberrimum in Plautinis fabulis cor-

*) venia mihi petenda est quod hanc legem mea sponte mihi impositam per Amphitruonem non constanter servarim: illic quae praetermisi infra addenda curavi, nam haec voculae uncis includendae erant: arg. I v. 9 *illa*, ipsius fabulae v. 54 *ego*, 59 *haec*, 69 *Nam*, 81 *ille*, 89 *id*, 105 *et*, 114 *cum*, 125 *una*, 143 *hic*, 149 *huc*, 161 *huc*, 162 *ego*, 164 *med*, 166 *magis*, 170 *te*, 171 *ei*, 172 *id*, 180 *nam*, 193 *Qui*, 230 *tum*, 231 prius *et*, 242 *meus*, 245 *ruont*, 253 *ui*, 269 *his*, 284 *tu*, 321 *mihi*, 344 *tu*, 347 *mei*, 374 *At*, 384 *illut*, 404 *huc*, 408 *mi*, 420 *Est*, 520 *pol*, 523 *ego*, 524 prius *ut*, 533 *est*, 555 *tu*, 575 *Tu ea*, 577 *Et*, 578 *ego*, 584 *ex*, 588 *ea*, 593 prius *et*, 623 *te*, 651 *Et*, 675 *me*, 729 *tu*, 770 *i*, 838 *Ain?*, 841 prius *et*, 876 *ut*, 924 *Te*, 948 *ut*, 965 *At*, 968 *is*, 976 *mi*, 1003 *id*, 1015 *mea*, 1032 *in*, 1034 *nunc*, 1040 *ago*, 1075 alterum *est*, 1131 *ego*. item in Captivis aliquotiens in hac re erratum est: nam v. 449 non solum *tu*, sed *Iam tu* includere debebam (quod tamen supplementum inconsiderate a me additum esse infra monui), v. 469 *in*, 489 *de* 847 *in*, 896 *ego*, 985 *iam*.

ruptelarum fontem non fuisse alium nisi quod, cum in familiari sermone plurimae voces vel abesse vel accedere vel vario sese ordine excipere nullo sententiae atque adeo elegantiae detrimento possent, horum nihil non librariorum quoque levitate impruden ter admitteretur saepissime'. quod autem versuum quibus uncos circumdedi alios ut relicuos omnes apicibus insignivi alios non insignivi, hoc ea de causa factum esse scito ut illos me antiquae dittographiae reliquias, hos aut pannos a sciolis explicandi causa consutos aut versus Plautinos quidem sed aliunde petitos et in margine primum adpositos post autem in versuum genuinorum continuitatem casu inlapsos iudicare significarem. et in hoc genere sero vidi me Rud. 56 (cll. v. 541) non recte apicibus insignivisse quos deletos velim ut recte eos delevi Capt. 324 (cll. Aul. II 1 44) et Rud. 594 (cll. Merc. II 1 2 et in universum eis quae TV in Philologi tom. I p. 306 sqq. exposuisti): item apices Capt. 48 deletos velim. praeterea ne alii in errorem impellantur hic indicandum arbitror Militis versum 1181 uncis inclusum ad nullum horum generum pertinere sed supplementum esse a TE confictum (cf. Mus. philol. VII p. 317 sq.) quod, cum alibi totos versus a TE ad explendas lacunas factos, quamvis ingeniose et Plautinae consuetudini convenienter procusi essent, nusquam recipere fas habuissem, illo tamen loco temperare mihi non potui quin inter versus Plautinos asciscerem.

In genere orthographico ad certam constantiam revocando ultro easdem fere rationes secutus eram quas TV in praefatione Stichi p. XVI eis qui post TE Plautum edituri essent commendavisti. debere autem visus sum eis qui hac opera usuri essent ut potiores eas res quibus orthographia in hac editione ex optimis libris et grammaticorum veterum testimoniis revocata a vulgari recederet hic summatim complecterer, quo in negotio ea quae TV Prolegomenon Trinummi capite nono egregie exposuisti stamina esse volui quibus quae et TV ipse in relicuis fabulis post Trinummum instauratis ad hoc genus spectantia nova protulisti et quae alii probabiliter investigarunt et quae ipse observavi ita subtexerem ut nihil reconditius quidem praetermissum putem quod non in hoc conspectu explanatum reperiatur. praeterea subiunxi quae dum plagulas harum fabularum retracto me invito non recte scripta animadverti et correcta velim. ut a vocalibus ordiar, pro *a* suasu BERGKII scripsi *e* in *anteperta* Trin. 643 quod ab *antepariendo* dictum est ut *anteceptus* ab *antecapiendo*, eandemque antistoechiam amplexus sum in *dispenno* et *dispessus* Mil. 1407 et 360 pro *dispando* et *dispassus* et in *aequipero* et *defetigo* verbis quorum vicarias scripturas *aequiparo* et *defatigo* vix usquam boni libri sine discrepantia agnoscunt: *o* autem pro *a* posui in *uociuos* Trin. 11 pro *uacuus* de qua forma post eundem BERGKIVM plura alibi dixi: *i* pro *e* in *opstitrix* Capt. 629 et Mil. 695 pro

obstetrix suadente illo versu V. C. auctoritate et analogia *restitrix* et *institor* nominum, et in *dilectus* Rud. 1279 pro *delectus* (cf. Fest. Pauli p. 73 cum MVELLERI adnotatione): *o* pro *e* praecedente *u* consonante in *uorro uorto uoster uoto* cum sua subole ut *euorro conuorro auorto reuortor aduorsum peruorse uniuorsus* et quae sunt similia, quo in genere sero animadverti levem inconstantiam quam TE praeeunte admisi: nam Trin. 707 **uorsus** pro *uersus* etiam sine libris scribendum fuisse mihi concedes si relegeris Quinctil. I 7 25 *): praeterea **controuorsiast** mihi reponendum erat Rud. 826, Amph. 326 **interuolli**: *oe* scripsi pro *e* in *oboedio:* contra *faenus* pro *fenus* vel *foenus:* at iniuria *praelium* scripsi pro **proelium** quod restitutum velim Amph. 225 255 415 744 Capt. 60 Rud. 1154: *u* pro *e* constanter servavi in omnibus gerundiis et gerundivis tertiae quam vocant et quartae coniugationis ut *agundae edundi dicundum quaerundum fugiundi conueniundus* (minime autem gentium in *uidundi* quam formam ab oscitanti librario Amph. 638 fictam fuit qui non aspernaretur: ceterum Mil. 34 **perhauriundumst** scribendum erat et Trin. 867 **sistundae**: contra non ausim Mil. 1276 *metuondus* restituere): *e* pro *i* in *intellego* et *neglego* quae formae non tantum apud Plautum sed apud omnes Latinos scriptores solae fidem habent, in *Aleus* pro *Alius* (quod ex *Ἀλεῖος* fictum est ut *Philippeus* ex *Φιλίππειος*, *platea* ex *πλατεῖα*, *gynaeceum* ex *γυναικεῖον*, *balineum* ex *βαλανεῖον*, *chorea* ex *χορεία*), in *semul* pro *simul* (notanda etiam scriptura V. C. *adsemulabo* Stich. 84), denique in *labeae* pro *labiae* Stich. 721 (cf. Non. p. 210, unde fortasse Mil. 93 *labeis* restituendum est, praesertim cum Charisius I p. 79 *labris* in hoc versu legerit quod metro respuitur): *u* pro *i* in superlativis et numeralibus ut *decumus uicensumus centensumus* et similibus ut *legitumus maritumus lacruma uictuma aestumo existumo* omnibus (at non in *exumius* quam formam Stich. 381 errori librariorum tribuendam puto), praeterea in *lubet* cum *conlubitum* et *lubido* et relicua progenie, in *clupeus cluens* et *cluenta* (unde etiam **cluentelam** scribendum erat Rud. arg. 4) *mancupium* (me invito Rud. 930 *mancipia* relictum est) *carnufex* cum *carnuficina manufestus sacrufico magnuficus* (unde *pontufex* Rud. 1377, *fumuficem* Mil. 412, *opuficina* Mil. 880, *spurcuficum* Trin. 826, *munufica* Amph. 842, *signuficem* Rud. 896, *pacuficari* Stich. 517 et quod sescentiens legitur *luduficare* reponenda videntur) *subrupio* vel *surrupio occupio insulio prosulio desulio* (quas scripturas ra-

---

*) eadem scriptura *uorsus* num etiam Amph. 55 et Capt. 56 reponenda sit dubitare licet propter tempus quo hos prologos compositos esse TV edocuisti Parergon vol. I p 232 sq.: sed ego illic quoque praetulerim.

tione non carere alibi probavi et suspicatus sum hoc genus etiam latius patere), item in *surpiculis* Capt. 816 pro *sirpiculis* (cf. Lucil. ap. Non. p. 490): *u* pro *o* in *adulescens* et *epistula* (quae formae itidem apud ceteros scriptores illa sola haec praeter vicariam fidem habent), in *triobulum glaucuma Acheruns: au* pro *o* in *ausculum* et *ausculari* (cf. Fest. Pauli p. 28 et Priscian. I p. 562): *o* pro *u* semper post alteram *u* sive consonantem sive vocalem, ut scripserim non solum *uolt uoltis uoltus uolgus uolpes Volcanus seruos nouom uiuont* sed etiam *mortuos mutuom miluom ingenuom praecipuos triduom fluctuom ruont abnuont* et quae sunt similia exceptis *tuus tuum suus suum*, item praecedente *qu* ut in *quoius quoi quor quom* (ubi coniunctio est) *quaequomque utquomque* (non *quomplures* sed *conplures* quoniam in hoc vocabulo praepositio est) *aequom* et *iniquom*, nisi *cu* posui ut in *mendacilocus falsilocus uanilocus conlocuntur pedisecus execuntur:* antiquitus videlicet utrumque genus eodem modo scriptum esse videtur QVIVS QVM AEQVM PEDISEQVS sicut PEQVNIA QVRA et quae sunt similia: denique *oe* pro *u* in *moenia inmoenis moenio admoenio conmoenio* (sed non ausus sum *conmoenis* scribere pro *conmunis*) *circummoenio* (quare etiam Mil. 223 **moeni** scribendum erat): sero intellexi Rud. 998 et 1000 **poeniceo** et **poeniceum** restituendum fuisse cll. Pseud. I 2 92. de Graeca vocali *y* ex Plautinis fabulis prorsus expellenda in eiusque locum ubique *u* reponenda TV in Proleg. Trin. p. XCVI nimis caute indicasse videre, confidentius ibid. p. CCCXXV: ego in quattuor primis comoediis hoc tomo comprehensis nisi in *Amphitruo* et *sucophanta* et *magudaris* Rud. 633 et *trugonus* Capt. 851 (qui Graece dicitur τρυγών quo de paraschematismo cf. LOBECKII Paralip. gramm. Gr. p. 138) submovere non eram ausus, sed in Trinummo hac in re constans esse coepi, scripsi igitur *Lusiteles muropola Olumpichus Surus Illuricus* (v. 852 scripturam Ambrosiani **Hilurica** intactam debebamus relinquere cll. Men. II 1 10), neque in relicuis fabulis literam illam tolerabo quam ne Ennium quidem et Attium adhibuisse Ciceronem et Marium Victorinum testes habemus. *cena* et *paenitet* et *ne* adfirmandi particulam me sic semper scripsisse pro *coena* et *poenitet* et *nae* silentio praeterirem nisi multos homines doctos viderem novicias illas ne dicam barbaras formas etiamnunc amplecti. simplici *i* duce Ambrosiano (Trin. 17) scriptus est nominativus ille pronominis pro *ii:* 'geminatum enim *i*' ut TVA verba faciam mea 'in pronomine non maiorem fidem habet quam in *dii diis* pro quibus aut *di dis* ut *i is* aut *dei deis* ut *ei eis* veteres probarunt': item semper scripsi *obicio inicio conicio deicio adicio* cum similibus in quibus geminum *i* in nullo bono libro reperitur, contra Trin. 644 non *obex* quod TV coniectura alioqui praeclara adsecutus es sed *obiex* de qua scriptura alio loco accuratius dis-

serui. extritas vocales invenies in *conquistor* Amph. 65 et 82 pro *conquisitor*, in *fenstra* Mil. 379 et Rud. 88 pro *fenestra*, in *uitor* Rud. 990 pro *uietor*, in *sorsus* Rud. 1314 et *sorsum* Capt. 710 pro *seorsus* et *seorsum* (unde nescio an Amph. 1108 et Rud. 179 *dorsum* pro *deorsum* restituendum sit). aspiratio aut interaspiratio addita est *holus* et *holitor* et *harundo* (Bacch. 51 non dubito quin TE ipsum paeniteat spretae V. C. auctoritatis, cf. Stich. 289 347 Rud. 122 294) et *cantherius* vocibus, dempta *crus* et *elleborus* et *aruspex* et *ariolus* et *tus* nominibus et *pro* exclamationi (demenda ni fallor etiam *ah* et *oh* et *uah* exclamationibus): non iusto loco interaspirationem insertam esse Amph. 868 et Trin. 132 in *inchoatam* vocabulo sero intellexi quod **incohatam** scribendum esse post WAGNERI disputationem in Orthogr. Vergil. p. 440 et OSANNI adnotationem ad Cic. de re p. p. 111 sq. certum videtur, praesertim cum in Amph. versu V. C. *incoatam* exhibeat. ut ad consonantes progrediar, ante *s* et *t* nusquam toleravi *b* sed ubique *p* reduxi velut in *aps apsum apsoluo apscedo apstuli apstineo opsecro opsero opsequor opseruo opsigno opsisto opsonium opstrictus supsequor supsulto urps*, *optempero optestor optineo optigit optusus optrunco supterduco supterfugio*, et semper scripsi *puplicus* et *puplicitus*, item *set aput illut istut aliut*: contra molliorem cum duriore sono mutare quod librorum auctoritas fere exigebat non ausus sum in *ad id quid quod* quas scripturas propter usum cui haec editio destinata est 'populo concessi, scientiam mihi reservavi': *haut* dedi ante vocales et *h* literam et consonantes gutturales, ante labiales et dentales ubique *hau* (itaque etiam *hauscio* et hoc quidem ὑφ' ἓν ut *nescio*), de quo discrimine artificiose investigato alibi dixi: pro *quatriduo* Asin. IIII 1 19 ex V. C. scripsi *quadriduo* quae scriptura rationi sola conveniens ubique revocanda est (cf. TREGDERI praef. Cic. Tusc. p. XXII): illud autem me nunc paenitet quod Trin. 1016 TE praeeunte cum libris *gurguliost* scripsi pro **curculiost**, illa enim recentior est forma apud Vergilium quoque Georg. I 186 in multis libris extans sed neque in Romano neque in Mediceo, haec Varronis auctoritate stabilita apud Servium in versum illum Vergilianum, quo accedit quod Rud. 1325 uterque liber Palatinus tuetur *curculiunculos*, ut taceam nomen *Curculionis* in fabula cognomine. geminatas consonantes TE duce probavi in *muccidus* (at *sucidus*) *futtilis mustella*, item in *essum* et *comessum* et *essurio* cum similibus (me invito Capt. 912 *esuriens*, ibid. 468 *esurialis* relictum est) *): praeterea semper

---

*) huc pertinet etiam quod nunc intellexi scriptura librorum *uisse* Mil. 302 pro *uise* et Ambrosiani *ussurae* Trin. 181, eodem scripturae *cassus* et *diuissiones* apud Quinctil. I 7 20, in quibus omnibus sicut in *essum* aut *t* aut *d* litera est quae ut extrita compensaretur videtur *s* geminatum esse.

scripsi *redduco* (at *redux*, cf. Schneidervs de elem. ling. Lat. p. 587 sqq. cuius de duobus versibus Capt. 923 et Rud. 909 iudicio non sum obsecutus) *repperi rettuli*: Mil. 26 27 30 1180 sero intellexi non fuisse sollicitandam scripturam optimorum librorum **bracchium** (cf. Wagneri Orthogr. Verg. p. 419), item Rud. 547 et 1313 **marsuppium** sive **marsippium** quod in libris Plautinis eadem inconstantia scriptum reperitur qua in libris Graecis *μαρσίπιον μαρσύπιον μαρσίππιον*: contra improbandum arbitror *nollo* quod tv nuper in Sticho ubi libri praebebant in continuitatem verborum recepisti et in praefatione p. xv sq. ita defendisti ut quam scripturam antiquos auctores habere ex Diomede grammatico disceremus eam ab editore Plauti obscurari par non esse contenderes. cui sententiae lubenter subscriberem si rationem istius antiquorum doctrinae perspicerem: tv quidem 'satis *ἀναλόγως nonuolo* transire in *nollo* potuisse' profiteris, sed antequam quae fuerit ista analogia argumentis eviceris non possum non doctrinam illam pravam iudicare ortam fortasse ut Schneidervs l. s. s. p. 418 scite suspicatur inde quod *malo* a *μᾶλλον* descendere opinabantur: itaque me ipse reprehendo quod praepostero usus iudicio et tva ipsius spreta admonitione per totam Trinummum vitiosas scripturas *nollo* et *mallo* induxi: restitutum igitur velim v. 634 685 688 945 979 1060 1157 1170 **nolo**, 762 **malim**: ceterum idem Schneidervs docet cum Diomede etiam Cornutum apud Cassiod. p. 2283 sq. Papirianum apud eundem p. 2290 Bedam p. 2339 in damnandis scripturis *mallo* et *nollo* conspirare. dixi de geminatis consonantibus. in compluribus vocabulis suadentibus libris eae consonantes quas posterior aetas extriverat restitutae sunt, velut in *quinctus* pro *quintus*, *nanctus* pro *nactus* (non autem *percunctor* vel *perconctor* scripsi sed *percontor*), *corrumptus* et *corrumptor* pro *corruptus* et *corruptor*, *tempto pedetemptim contempno* pro *tento pedetentim contemno*: item *deciens centiens totiens quotiens* cum similibus et *centensumus uicensumus* et *thensaurus* quod etiam neutro genere *thensaurum* a Plauto dictum est (velut per totam Trinummum) pro *thesaurus*, *gnatus* pro *natus* ut tamen hanc scripturam non omnino repudiarem sed id discrimen servarem quod Naekivs in Opusc. philol. vol. I p. 187 sqq. 'sine libris ipsorum locorum inter se comparatione' effecit, constanter autem *ignatus* pro *innatus* scriberem. simplices consonantes tv restituisti in his vocabulis quae vulgo geminatis scribi solent: *hice huice hicine hucine sicine* cum similibus, *ilico* 'pro reiectaneo *illico*', *ocultus* ubi numeri primam syllabam brevem flagitant pro *occultus*, *sario* pro *surrio*: addidi *litera* quam scripturam altera potiorem esse alibi demonstravi, *pelex* Rud. 1047 pro *pellex*, *pinula* Amph. 143, ut priore manu in V. C. exaratum est, hoc enim ad *pinnam* eandem

rationem habet quam *anulus* ad *annum*, *uilicus* ad *uillam*, *milia* ad *mille*, quod genus etiam latius patere arbitror: *rusum susum prosum* quas formas TV Plautino sermoni evidenter vindicasti constanter reduxi, nisi quod Amph. 1112 *rursum* reliqui propter iuxta positum *uorsum*, qua de causa etiam Capt. 656 **sursum uorsum** intactum debebam relinquere. *ti* pro *ci* servavi in *indutiae infitior* et *infitias nuntius contio conditio suspitio conuitium* vocabulis quorum de plurimis alio loco accuratius disserui, item in *setius* cuius vicariam formam *sectius* Varronis testimonio firmatam TV palmari emendatione Trin. 130 restituisti. pro *qu* scriptum est *c* in *cotidie* et *cotidianus* et *relicuos* de quibus scripturis in vulgus constat, et in *casso* pro *quasso*. *s* pro *x* reposui in *sescenti*, reponendum fuisse sero vidi in **pausillum** et **perpausillum** Capt. 176 et 177, in **pausillulam** et **pausilluli** Rud. 729 et 997, in **pausillatim** Rud. 929: pro *c* scriptum est in *suscenseo*. pronominum formas *quicque* et *quicquam* scripsi per *c*, *quidquid* per *d*, sed constanter *nequiquam* postulante ratione et consentientibus libris tantum non omnibus. *dispenno* formae Mil. 1407 pro *dispando* iam supra mentio facta est: eodem versu *distennite* scriptum est pro *distendite*. formae pleniores quam quas politior aetas probavit sunt *iuuenix* Mil. 304 pro *iunix* et *praehibeo* pro *praebeo*: semel (Trin. 426) libri testantur *dehibeo* pro *debeo*, sed quia constantem scribendi rationem exequi volebam, hoc autem ubique reponere mihi nimiae audaciae videbatur (qua in re nunc TE adsentientem habeo in praefatione Stichi p. XVII), illo versu vulgarem formam restitui: quod fortasse facere non debui sed potius ubique *dehibeo* ponere, ut nunc me fere paenitet quod non ubique *duellum duellator Duellona duelligero* restitui pro *bellum bellator Bellona belligero*. sed diligentius toto hoc loco pervestigato multa etiam vitia et inelegantiae aperientur quas aequi lectores facile excusabunt, praesertim cum, ut verissime TV nuper docuisti, 'suapte natura non tam certis finibus hic locus universus circumscriptus sit quin semper quaedam vagatura sint liberius quae unius normae severitate exaequari aut ratio vetet aut dissuadeat commoditas'. sed non mitto hunc locum antequam de altera litera Graeca *z* quam septimo demum a. u. c. saeculo eoque exeunte relicuis denuo adiectam esse scimus sententiam meam TIBI proposuero, cum aliquot in hoc genere peccata admisisse videar quae correctione indigeant. illam igitur literam ab ipso Plauto non esse adhibitam certum est: extat autem in nostris libris in *zona* cum *zonarius zamia Zeuxis Zacynthus badizo trapezita* vocabulis quae quidem, cum Priscianus I p. 561 referat 'veteres pro ζ *s* vel *d* posuisse *Saguntum* [an *Sacunthus*, ut grammaticus ipsos versus Mercatoris Plautinae III 4 62 V 2 99 102 in mente habuerit?] *massa* pro Ζάκυνθος

μᾶζα, *odor* quoque ἀπὸ τοῦ ὄζειν, *Sethus* pro Ζῆθος [spectat hoc ni fallor ad Pacuvii Antiopam] dicentes et *Medentius* pro *Mezentius*', non dubito quin ita scribenda sint ut omnia exceptis duobus quae ultimo loco posui ab *s* litera incipiant, quae mea sententia eo non mediocriter confirmatur quod Merc. V 2 84 uterque liber Palatinus *sonam* exhibet pro *zonam* (corrigendum igitur Trin. 862 **sonarius**): *badizas* autem Asin. III 3 116 mutandum est in *badissas* ad similitudinem verborum Plautinorum *malacisso Atticisso comissor cuathisso* aliorum: *trapezita* denique nomini utrum *trapedita* an *trapessita* (nam *Mezentium* antiquitus etiam *Messentium* dictum esse tradunt Diomedes et Velius Longus aliorumque nubem exemplorum geminati *s* pro ζ positi congessit SCHNEIDERVS l. s. s. p. 384 sq.) substituendum sit ex prosodia huius nominis recte definita pendet: atque hac in re TE, vir doctissime, opinio graviter fefellisse videtur qui Proleg. Trin. p. CXXXVII confisus integritate scripturae librorum in versu Trin. 425 adseveraris '*z* literam in *trapezita* vi positionis exutam esse', quo ego dicto bona fide usus de duobus versibus Captivorum prave iudicavi. evolve enim quaeso hos versus Plautinos quorum vulgata scriptura recte se habet: Asin. II 4 32 Curc. III 50 IIII 4 3 V 2 20 Pseud. II 4 67 et adde Capt. 449 qui versus restincto meo supplemento (illud 'mea interpolatione' volui dicere) ita restituendus est **Séquere me uiáticum ut dem á trapessitá tibi** et eiusdem fabulae v. 193 qui in hunc modum apicibus consignandus est **Quantíllum argenti mi ăput trapessitám siet** et Curc. V 3 43 cui ope V. C. haec forma reddenda est **Tú me sequere: Quó sequar te? Ád trapessitám meum** et eiusdem fabulae II 3 66 cuius correcturam in Proleg. Trin. p. CXXVI propositam TV mihi probasti praeter apices sic potius dispertiendos **[Íbi] 'dedistin tu árgentum?' inquam: 'immo ăput trapessitám situmst'** (nisi fortasse sic instaurandus est **'Dĕdistin tu argentum?' ínquam: 'immo' [inquit] 'ăput trapessitám situmst'**): illos inquam versus si consideraveris, ne TV opinor mihi astipulabere non solum Trin. 425 in quo versu me TVAM correcturam nuper propositam recepisse supra professus sum nunc sic corrigenti **Trapéssitae drachumárum mille Olúmpicho** vel **Olúmpico** sed etiam hos versus Curc. II 3 62 III 36 V 3 34 Epid. I 2 40 lenibus transpositionibus in hunc modum redintegranti

Écquem in Epidauró trapessitám Luconem nóuerim.
Trapéssitam [hic] Lucónem quaero: Díc mihi.
Me ípso praesente ét trapessitá Lucone: Nón taces?

Díc modo, unde auférre uis me? a quó trapessitá petam?

toto enim caelo a vero aberravit KAMPMANNVS qui de praep. IN usu Plaut. p. 11 sq. primam huius vocabuli syllabam produci posse opinatur. sed redeo unde abripi me passus sum longius et verbo dico de adsimilatione praepositionum cum verbis et nominibus compositarum. in quo quidem genere idem ego institutum tenui (certe tenere volui) quod PHIL. WAGNERVS in Vergilio suo ad pristinam orthographiam revocato se tenuisse professus est Orthogr. Vergil. p. 406 sq.: libros igitur bonos, Ambrosianum potissimum et Veterem Codicem, duces ita secutus sum ut in eis verbis in quibus constanter inflexa esset praepositio retinuerim adsimilationem, respuerim eandem in eis in quibus praepositiones integras a Plauto servatas esse vel pluribus exemplis vel etiam uno satis probabili declaratum videretur. non opus est ut omnia nomina ac verba cum praepositionibus composita hic enumerem, nam si totus hic locus ad liquidum perduci omnino umquam potest, hoc tum demum fieri poterit cum omnes comoediae a TE supellectile critica instructae in publicum prodierint: sed pauca quaedam quae huc pertinent promiscue attingo. *ad* praepositio semper mutata est ante *t* et *r* literas velut in *attineo attondeo arrideo arrigo arripio* (Rud. tamen 1332 ducibus libris scripsi *adroget*), item in *accedo accipio accuso appello:* non debebam autem *appareo* servare Amph. 793 794 Capt. 457, quia Trin. 218 in Ambrosiano teste SCHWARZMANNO scriptum extat ADPAREAT, neque *accumbo* vel *accubo* Amph. 802 804 Mil. 653 753 Trin. 473, quia idem liber antiquissimus Stich. 488 ADCUMBERE tuetur: eandem voculam constanter truncavi ante *s* literam ubi hanc una vel duae consonantes excipiunt, ut in *asto ascendo aspicio* et *aspecto aspernor astringo: con* praepositionem semper integram servavi praeter *commodus* et *corrumpo* et *conecto conitor coniveo* cum similibus de quibus TV nuper disseruisti in Mus. philol. VII p. 318 sq.: *ex* ante *f* ubique mutavi in *ec:* eadem praepositio ubi cum verbo ab *s* litera incipienti composita est, hanc extrivi velut in *exequor exigno exoluo exurgo exupero excribo expecto: in* semper integra relicta est praeter *impero imperium impetro* (sed in his quoque, ut sero vidi, integra servanda erat): *ab* et *ob* et *sub* praepositiones ut ante *f* consonantem constanter inflecterem sedulo curavi propter rationem Philologi tom. IIII p. 322 a me significatam: scripsi igitur Amph. 322 *afuit* (ubi V. C. *affuit* habet), 646 *offirmato*,. 893 *offuit*, 1002 *sufferet*, Capt. 755 *offrenatum* (V. C. *oferenatum*), Mil. 209 *suffigit*, Rud. 588 *suffudit*, 1013 *offlectam*, 1059 *suffringi* (V. C. *subfringi* raro exemplo), Trin. 1092 *offusam* et sic quidem semper nisi contrarium ascripsi conspirantibus optimis libris. absolvero hunc orthographiae in hac editione

receptae conspectum, si pauca addidero de eis verbis quae contra usum vulgarem divisim scribenda duxi: sunt potissimum haec *intro eo*, *intro mitto*, *intro specto*, *intro rumpo*, *in uicem*, *dum modo*, *ad modum* et *quem ad modum*, *quo modo*, *huius modi* cum similibus, *res puplica*, *ius iurandum* (hinc corrigendus versus Rud. 46), *si quidem* (sic restituendum Mil. 520) et *quando quidem*, *iam dudum* et *quam dudum*, *prius quam*, *ubi ubi*, *ne utiquam*, *tam etsi:* quorum tantum de hoc quod postremo loco posui habeo quod dicam. recte TV in Proleg. Trin. p. CXLIII docuisti *tametsi* compositum esse ex *tam* vicaria forma *tamen* particulae, cuius cum TV adfirmasses praeter illud compositum nulla in Plautinis libris exempla superesse, nuper ipse TE correxisti in adnotatione ad Stich. 44 in quo versu liber Ambrosianus illam ipsam formam *tam* pro *tamen* testatur. nunc vero quid tandem obstat quo minus non solum *tamen* particulae hanc breviatam formam substituamus ubi numeri illam monosyllabam flagitant (quod feci Mil. 530 1355 Rud. 384 1347 1350, factum vellem Capt. 297 Mil. 585), sed etiam *tam etsi* sic divisim scribamus ubi disyllabum est (quod itidem Trin. 679 feci, neglexi Amph. 21 977 Capt. 321 Mil. 744)? ubi autem *tametsi* bacchium efficit ut Pseud. I 3 16 ὑφ᾽ ἕν scribendum est ut *quamobrem* scripsi Amph. 552 Mil. 360, *quemadmodum* fortasse cum libris scribere debebam Trin. 236 pro *quemnam ad modum* quod de coniectura dedi. contra atque in illis factum est ὑφ᾽ ἕν scripsi *numquis nequis siquis* (peccatum est hoc in genere Mil. 190) cum similibus et *enumquam*.

De numerorum notatione qualem TVO exemplo institui TVIS ipsius verbis utens hoc addo 'singulari nota velut in **tŭo mălum** significari binarum syllabarum pronuntiationem monosyllabam, sive ea fit duarum vocalium sese excipientium synizesi sive unius vocalis ecthlipsi'.

Restat ut duobus perfungar muneribus quorum alterum aequitas exigit, alterum mea sponte mihi iniunxi: primum ut profitear quas emendationes in versuum seriem a me receptas quibus viris doctis privatim acceptas referam (nam quas publice ab aliis proditas recepi non est hic locus ut enumerentur), deinde ut quae curis secundis intellexerim in singulis fabulis corrigenda esse quam brevissime potuerim persequar. acceperam autem ab RVD. KREBSIO conlega meo doctissimo eas coniecturas quas FRID. VOLG. REIZIVS margini exempli sui editionis GRONOVIANAE in Captivis Milite glorioso Trinummo ascripserat, ab se anno MDCCCXXIIII dum Berolini in studia humanitatis incumbit ex exemplo illo quod tunc FRID. AVG. WOLFIVS possidebat diligentissime transcriptas. de quibus coniecturis REIZIANIS nosti quae GOD. HERMANNVS in praefatione Trinummi p. VIII sq. narravit, REIZIVM eas 'dum legeret Plautum ascripsisse ut aliquando retractaret, quare qui eas

omnes in lucem edere vellet iniuriam facturum esse manibus viri modestissimi': huius ego admonitionis memor (velim eiusdem memorem esse Frid. Osannvm cum praestabit quod in commentatione sua de pron. is ea id formis p. 29 pollicitus est) infra fere eas tantum commemoravi quas ipse recepi exclusis etiam quas iam Hermannvs aut in praefatione Trinummi aut alibi publici iuris fecerat, fas tamen esse putavi me eas non reticere (exceptis rebus minutissimis) quas ante alios ille occupaverat. praeterhac aliquot emendationes quas infra suis locis memoravi debeo amicitiae Friderici mei Ottonis, disciplinae tvae alumni, quas dum proxima hieme has comoedias una legimus mecum communicavit aliquando ut spero uberiores fructus studiorum suorum Plautinorum editurus.

Amphitruonis igitur primum me paenitet versus 46 ita ut in hac editione legitur instaurati, quoniam ars Plautina, quod tv in Proleg. Trin. p. ccx verissime observasti, in fine senariorum iambicorum numquam tria sese iambica vocabula excipere passa est: in libris autem sic scriptus extat *Sed mos numquam illi fuit patri meo* (in libris Langianis *meo patri*) in qua scriptura quam mancam esse adparet tantum abest ut mihi cum Lindemanno (qui cum aliis *illic* scripsit) dativus *illi* frigere videatur ut nunc nihil aptius iudicem: nam sicut *ille Iuppiter* saepe δεικτικῶς et a Plauto (velut Amph. 26 461 Curc. I 1 27 Most. II 1 51 Pseud. IIII 1 16) et ab aliis scriptoribus (velut Cic. in Catil. III 12 29 Corn. Nep. epist. Corn. §. 4) dicitur (add. *ille Diespiter* apud Liv. I 24 8, *illum solem* Plauti Bacch. 699), sic hoc versu dativus *illi* coniunctus cum *meo patri* qui ipse Iuppiter est optime se habet, quem dativum etiam si alius quis ac deorum summus significaretur non mutassem, si mihi opportune in mentem venisset versus huius fabulae 858 sq. his de causis hunc versum sic restituendum esse censeo **Set [ís] mos illi númquam fuit mĕo patri,** ut *fuit* mensuram spondei exaequet. — V. 69 constructionis ratio (cf. v. 74 *ambiuerit*) postulat ut scribatur **ambíssit,** quem eundem singularem v. 71 tv in Proleg. Trin. p. lxxxv ex vestigiis V. C. *ipse ambissent* verissime restituisti: ceterum v. 74 initium nunc malim sic transpositum **Magistrátum quasi.** — V. 111 revocanda est librorum scriptura **et éx uiro et ex summó Ioue** (quod arti prosodiacae Plautinae non repugnare alibi probabo): item v. 130 **Haut quísquam quaeret quí siem aut quid uénerim** (cll. Bacch. 762 Mil. 685): v. 333 **Hínc enim mihi dextrá uox auris:** v. 339 **Vérum certumst cónfidenter hóminem contra cónloqui** (quem versum deceptus falso Parei de V. C. testimonio mutaveram):

v. 374 **Quí ego sum? SO. Perií: ME. Parum etiam:** v. 506 **quí quidem meus sít pater:** v. 950 **qui ín mea nauí fuit:** v. 1054 **Neque úllast confidéntia iam in córde.** — V. 269 additamento *his* facile careas verbis sic transpositis **Átque telo sùo sibi hunc malítia a foribus péllere.** — V. 293 pro librorum scriptura *quom* (aut *quem*) *in mentem uenit* quod ineptum glossema esse mihi concedes reposui *quom recogito:* aptius fortasse **quom consídero** (cll. Trin. 404), nisi reconditius quid a poeta scriptum fuit quod posteaquam glossemati illi originem dedit expulsum est. — V. 332 rectius puto quam *certo* scribatur **cérte.** — V. 384 vides eam correctionem quam olim Philologi tom. II p. 94 proposueram me abiecisse et aliam temptasse quam nescio an ipsam itidem reicere et hanc Car. Lachmanni amplecti debeam quam tv quoque nuper adsensu tvo comprobasti **Nam 'Ámphitruonis Sósiai' me ésse.** — V. 395 non recte fecisse videor quod Ottonis mei coniecturam **foédus ici** repudiavi. — V. 402 transponendum est **Mihi quod,** v. 446 scribendum **cicátricosumst.** — V. 462 recepi Lingii coniecturam in Quaest. Plaut. p. 52 propositam qua hiatum in *utĭ ego* admisi: sed nunc intellexi te in Proleg. Trin. p. cciii sq. hoc hiatuum genus iure condemnasse itaque hunc versum sic correctum malim **Ýt ego raso cápite caluos hódie capiam píleum,** cui correcturae certe non adversatur testimonium Servii in Verg. Aen. VIII 564 qui ex memoria ut adparet haec laudat *quod utinam ille faxit Iuppiter ut raso capite portem pileum,* unde tamen non dubitavi v. 461 *faxit* asciscere pro librorum Plautinorum *faciat.* eadem de causa Rud. 752 initium corruptum esse censeo, ubi aut transponendum videtur **Tùae sunt istae?** aut cum Camerario scribendum **Tùaene istae sunt?** quamquam etiam Bothianvm *Túa sunt istaec.* habet quo se commendet. — De v. 487 non invidebo ceteris qui hanc epistulam legent tvam sententiam comiter mecum a te communicatam. consultus enim de *fieret* vocabulo quo quid facerem nesciebam posteaquam sententia flagitante *curabit* restitui pro eo quod in libris est *curauit,* tv mihi rescripsisti te quoque ipsum iam diu *curabit* correxisse, sed verba *uno ut fetu fieret* tibi videri ab interprete addita (cll. v. 878) Plautinum hemistichium expulisse quod hoc fere fuisse posset *Iuppiter summus meus.* tum vero cum me monuisses ne versus quidem 489 et 490 ita ut in libris scripti essent a Plauto posse profectos esse unaque plura ad eos perpoliendos a te temptata mecum ita communicasses ut certum iudicium non proloquerere, denuo pensitatis rationibus ego ne hodie quidem Bothii sententiae accedere possum qui totum v. 489 eiecit: nam

quamquam eadem fere utroque versu exprimitur sententia, tamen id non satis causae esse arbitror ut alterum ex interpolatione irrepsisse statuamus praesertim in hac fabulae parte quae una est ex istis scenis de quibus TV Parergon vol. I p. 237 breviter egisti, quae aut prologi vice funguntur (ut Mil. II 1 Cist. I 3) aut ut haec (v. 463 ad 498) ea quae prologo enarrata sunt supplent. in his autem scenis ut in ipsis prologis poeta sive Plautus fuit sive alius quis Plautinae quidem artis scientissimus prolixa quadam orationis verbositate utitur quae hoc quidem ambitu a reliquo sermone Plautino aliena est. sed illud TIBI quidem facile largior vitia tralaticiae horum versuum scripturae manifesta esse. ac versum quidem 490 qui in libris Plautinis sic scriptus est *Et clandestina ut celetur suspicio* corruptum esse ipsius antiquitatis testimonio docemur: a Donato enim in Ter. Adelph. IIII 5 32 sic scriptus in editione principe adfertur *Vt clandestine et celetur consuetudo*, unde iam SCIOPPIVS arcessitis his verbis Pauli breviatoris Festi p. 61 'c o n s u e t i o n e m Plautus pro consuetudine dixit' eum ita restituit ut in hac editione dedi: sed artius etiam premendi erant ductus literarum in Donati editione principe extantium, unde hunc versum non dubito sic corrigere *Vt clandestina haec* (an *ea?*) *celetur consuetio.* tum vero v. 490, quod TV quoque proposuisti, et TVO suasu paulo immutatus illi postponendus est. en igitur versus 487 ad 490 ut nunc scriptos velim

Patér curabit [Iúppiter summús meus]
Vno út labore apsóluat aerumnás duas,
Vt clándestina haec céletur consuétio,
Ne [illa] ín suspitióne ponatúr stupri.

V. 507 ex coniunctis testimoniis librorum Plautinorum qui habent *Obseruatote quam blande mulieri palpabitur* et Donati in Ter. Adelph. prol. 2 *Obseruat orare ut blande palpetur mulieri* et Servii in Aen. XI 725 *Obseruato quam blande suppalpatur mulieri* sic reconcinnandus est **Ópseruatote ĕum quam blande súppalpatur múlieri.** — V. 514 secundum ea quae TV nuper ad Stich. 516 de prosodia et scriptura *heri* adverbii docuisti verba sic esse transponenda videntur **Média nocte herí uenisti, núnc abis.** — V. 520 non persuasisti mihi correcturam TVAM in Proleg. Trin. p. CLXXII propositam sed praetuli quod CAMERARIVS posuerat: aegre enim *pol* particulam desiderarim quam non solum depravata scriptura V. C. *Quo lego* sed etiam consuetudo Plautina (cf. modo Amph. 1030 1043 Mil. 371: hinc etiam Men. V 5 5 sic redintegrandus videtur *Quém [pol] ego hominem..*) commendat: tamen nunc etiam propius optimi libri memoriae malim **Quoí [pol] ego hoc iam scípione..** (scil. *magnum malum dabo*

cll. Pers. V 2 35). — V. 582 pro tertio bacchio palimbacchium (*sum saluos*) posui quem propter interpunctionem excusari posse putaveram: nunc vero vide num hic versus non incommode sic perpoliatur **Equidém ualeo récte atque sáluos sum, Amphítruo.** — V. 642 sq. cum ita ut p. 31 leguntur instauravi nondum investigaveram eam legem prosodiae Plautinae ex qua tertia singularis persona perfecti activi syllabam ultimam producit, ut *uicit* eodem iure spondeum efficiat quo *fuat* et *uelit* iambos, *audiet* creticum, *adflictat* molossum et quae sunt similia, quam quidem rem adhuc occultam TV primus in Proleg. Trin. p. CLXXXII sqq. aperuisti: sed ut de istius observationis veritate nemo sanus dubitabit, sic hoc quod ego observasse videor quodque in censura Plauti TVI de qua supra dixi rationibus stabilivi itidem certum est atque exploratum. propter hanc autem legem in eis quos dixi versibus librorum scriptura quam HERMANNVS quoque in Elem. doctr. metr. p. 298 sq. (sed dubitanter ille et ex interpunctione quae nulla est excusatione haud probabili petita) retinuit revocanda est

Set hóc me beát saltem, quóniam perdùellis
Vicít et domúm laudis cónpos reuénit.

V. 678 nunc non dubito quin quod Nonius p. 167 servavit **rumiferánt** praeferendum sit scripturae librorum Plautinorum *rumificant*. — V. 714 id quod priore manu in V. C. exaratum est *quidem* recepi pro *equidem* quod altera manus correxit, ut intentionem syllabae ultimae vocis palimbacchiacae *ecastor* refugerem, quam arti Plautinae repugnare TV in Proleg. Trin. p. CCXXIX evicisti: sed erravi quod *ecastor* vocem palimbacchiacam esse opinatus sum, est enim molossica, ut ex Mil. 1041 adparet (cf. Varro de ling. Lat. X 70 cum Proleg. Trin. p. CLXXIV sq.): cum vero sermoni Plautino (cf. v. 698 et 730) **Écastor equidém** magis conveniat, sine mora illud restituendum est. — V. 736 sero intellexi revocandum fuisse ordinem verborum quem libri exhibent **Véra dico. AM. Nón de hac quidem hercle ré: de aliis néscio.** alibi autem demonstrabo in hiatu *dĕ aliis* non esse offendendum. — V. 755 optimorum librorum scriptura **Quí nunc, mulier?** retinenda erat: cf. Pseud. I 2 22 Bacch. 563 Mil. 472 (ubi relicui libri praeter V. C. tuentur **Quí iam?** quod etiam eiusdem fabulae v. 834 et 1203 sententia flagitare videtur: praeterea Mil. 545 Palatinorum librorum scriptura *quis nunc* magis *qui* particulae favere videtur quam pronomini *quid*, sicut Mil. 431 ex librorum scriptura *quispiam* non *quidpiam* sed quod TV in adnotatione proposuisti *quipiam* confidenter recepi cll. Capt. 127). — V. 804 me invito scriptura aliquot librorum pessimorum *conce-*

nasti relicta est pro ea quae sola fidem habet **cénauisti.** — V. 917 immerito id quod in libris est **uél hunc rogato** mutavi, nam quamquam Sosia in proscenio non adest tamen *hic Sosia* dici potest quia in aedibus est, qua significatione pronomen demonstrativum sescentiens a Plauto positum est: de prosodia autem vide quae supra ad v. 111 professus sum. — V. 924 nunc sic malim correctum **Hanc míhi da ueniam:** v. 926 autem sententia flagitare videtur ut scribatur **factis [fui] ínpudicis ápstinens,** nam quod libri habent *factis me impudicis abstines* non minus nihili est quam quae editores nugati sunt. — V. 930 ex emendatione Hermanni dedi: cum vero in V. C. sic scriptus extet *Ibo egomet comitem mihi pudicitiam duxero*, nunc illud *ibo* ut glossema delere et relicua sic transponere malim **Pudícitiam egomet dúxero comitém mihi,** nisi praestat **Pudícitiam egomet mécum comitem dúxero:** quamquam ne sic quidem hunc locum persanatum esse mihi persuadeo, sed totum versum ante v. 930 excidisse puto. — V. 939 aegre fero quod relicta est accusativi forma *uoluptates* pro ea quam sermo Plautinus postulat **uoluptatis:** item Capt. 769 *opimitates* pro **opímitatis.** sic Mil. 12 32 655 1027 te praeeunte *uirtutis* scripsi, itidem Mil. 93 non spernendam putavi *meretricis* quod libri exhibent et ad huius analogiam Mil. 722 *ceruicis* vel sine libris restitui: contra repudiavi librorum *imbricis* Mil. 504 et *inopis* Rud. 257 quae non magis rationem habent quam v. c. *legionis* Mil. 17 et 224 aut *moris* ibid. 40 aut *hominis* ibid. 660 aut *piscatoris* ibid. 1183 aut *melioris* Trin. 707 et qui sunt similes librariorum errores. — V. 953 Hermanni suasu scripsi *Dum ego*, sed defensione non caret quod libri habent **Quom ego.** — V. 960 cum V. C. *item ipse* habeat, forsitan haec sit vera scriptura **Pròinde eri ut sint, ítidem ipsus sit.** — V. 1020 et Capt. 830 (item Bacch. 582) corrigendum est **écqui hoc aperit óstium?** — V. 1128 et 1144 quam V. C. praebet forma **Teresiam** pro *Tiresiam* non videtur spernenda esse.

Captivorum versus 11 quem ex tva emendatione (Parerg. I p. 222) dedi nescio an lenius sic instauretur **Negát hercle illic últumus.** — V. 28 *possit* pro librorum *posset* ab Reizio sumpsi, ab eodem v. 34 *de praeda hosce* pro *hosce de praeda.* nec quod v. 31 dedi *equitem ex Alide* pro librorum hianti scriptura *equitem alium* (V. C. rectius *aleum* ut solet) meum est sed debetur Ottoni qui apte contulit huius fabulae v. 511. — V. 51 me graviter ipse reprehendo quod non significavi ex interpolatione foedissima irrepsisse: primum enim quid languidius ac

frigidius excogitari potest illa sententia et illo quidem loco? deinde numeri clamitant hunc versum non esse Plautina arte compositum: nam 'spondiacam' ut TVA verba (Proleg. Trin. p. CCXVIII) mea faciam 'pro iambica voce tertius pes (senarii iambici) non admisit': consutus autem est hic misellus versiculus ex eis verbis quae Rud. 155 aptissime leguntur et locutione in his fabulis usitatissima. — V. 71 transponendum est. **díctum apsurde.** — V. 208 sq. HERMANNVM (Elem. doctr. metr. p. 210) secutus nisi quod pauca quaedam mutavi duos trochaicos octonarios dedi: sed nescio an REIZIO potius obtemperandum fuerit (cf. idem HERMANNVS de metris poet. Gr. et Rom. p. 127) qui in quattuor versus anapaesticos eos diviserat, nisi quod primo versu, ut lex illa teneatur de variatione accentus eiusdem iterum positi vocabuli quam LACHMANNVS in Propertio suo p. 111 sqq. et HERMANNVS Opusc. II p. 283 sqq. explanaverunt, quam quidem legem in omnibus vocabulis hyperdisyllabis exceptis unis amphimacris eisque longioribus quorum una omnino voculatio est religiosissime a poetis scenicis observatam esse contenderim, huius igitur legis gratia *Fugiamus nos?* conlocandum est pro librorum *Nos fugiamus?* et quod ultimo versu utique vocula addenda est, quia *occasio* ante *haut* hiare non potest, sed synizesin in hoc quidem genere metrorum admittit ut molossi mensuram exaequet, *dehortor* autem non disyllabum esse non potest, quibus de rebus adeantur TVA Proleg. Trin. p. CLX sq.:

CA. Fugiámus nos? quo fúgiamus?
LO. In pátriam. CA. Apage, hau nos íd deceat
Fugitíuos imitari. LO. Ímmo edepol,
Si erit óccasio, haut [id] dĕhortor.

aut siquis ultimum horum versuum pro paroemiaco acatalectum malit

Si erit óccasio, haut [istúc] dehortor.

V. 246 transponendum est **[mihi] quod.** — V. 256 sero intellexi et ex analogia formae *fauitor* quae Amph. 67 78 79 ex bonis libris pridem restituta est quamque Nonius p. 110 ex Lucilii saturis adfert, et propter adliterationem vocabuli iuxta positi *captus* vel sine libris pro *cautor* scribendum fuisse **cauitor,** praesertim cum Paulus breviator Festi p. 61 haec habeat 'cauitionem dicebant quod modo dicimus cautionem', unde nescio an etiam v. 253 et Trin. 416 *cauitum* pro *cautum* reponendum sit. — V. 316 transposita velim verba **me méus pater,** v. 318 **fáteor esse.** — V. 359 ex scriptura librorum *dice demonstra* duce DISSALDEO potius **dóce demonstra** eruendum erat quam quod cum CAMERARIO posui *dice monstra:* vide infra ad Mil. 256. — V. 398 quod

posui *poterit: in rem* pro librorum *poteris istuc in rem* praeiverat REIZIVS. — V. 413 hoc loco ubi in libris extat mirifice languet et tamquam claudicat, qua de causa vide num non incommode inter v. 407 et 408 conlocetur, ut personatus Philocrates ludat in locutionibus *emisisti e uinclis* et *manu emittat.* ceterum v. 408 verba sic conlocare debebam **quin manú te emittat grátiis.** — V. 418 adquiescere debebam in BOTHIANO **Ópsequiosus míhi fuisti sémper,** ut REIZIVS quoque correxerat. — V. 594 corrigendum est **fune opus, Hégio, 'st:** v. 672 **Delácerauisti** (pro qua verissima librorum scriptura nescio quo errore *dilacerauisti* in hanc editionem irrepserit): v. 698 **Quid sít hoc negoti** (quod est in libris: cf. supra ad Amph. 111): v. 700 **Nec quísquamst mi [alius] aéque melius quoí uelim.** — V. 729 sq. quotiens legi offendi in neglecta figura chiasmi, non tamen ausus sum corrigere: hic tamen non diffitebor (cf. Rud. 6 sq.) poetam sic mihi videri scripsisse

Nam nóctu neruo uínctus custodíbitur,
Sub térra lapides éximet intérdius.

V. 777 *ipsus* pro librorum *ipse* sumpsi a REIZIO, item v. 783 *mi hodie* pro *hodie mihi.* — V. 798 mirum ni poeta scripserit **omnís mortalis fáciam ut quemque,** sicut *omnes* (*mulieres*) *ut quaeque* Mil. 1264, *omnia ut quicque* Bacch. 1097 et Pseud. V 2 15 libri testantur, hoc Rud. 1359 REIZIVS restituit et Amph. 599 ego de coniectura dedi pro librorum *omne ut quicque:* quamquam Rud. 1139 sq. dictum est *omnia quidquid insit* (nisi ibi quoque *ut quicque* reponendum est): sed totus hic locus de pronominum *quisque* et *quisquis* usu Plautino accuratiore indiget perscrutatione. — V. 823 in scriptura V. C. quam PAREVS false testatus est ne litera quidem mutanda erat **Eúgepae: edíctiones aédilicias híc quidem habet.** nam hiatus exclamationis nullus est. — V. 831 sic malim transponi **Híc homo recipit se ád me ad cenam:** versu autem sequenti nollem Nonii scripturam *exitium dabo* in orationis ordinem recepissem, praestat enim librorum Plautinorum **exitium ádfero.** — V. 885, si vere TV in Proleg. Trin. p. CLXXXIX monosyllabas exclamationes umquam elisas esse negasti, *uae aetati tuae* a poeta scriptum esse non potest: corrigendum igitur videtur **Vae uitaé tuae,** quam locutionem TV in adnotatione ad Stich. 594 quem versum palmari emendatione eodem mendo aliam etiam ob causam perpurgasti, huius ipsius fortasse versus memor ὡς ἐν παρόδῳ commemorasti. — V. 891 et 897 propter adliterationem praestat scribere **uídeor, uera si aútumas** et **uíctum, uera si aútumas,**

ut illo versu in V. C. altera manu correctum est. — V. 975 restituenda est genetivi forma **Phílocrati**, qua sola Plautus usus est: cf. v. 528, Rud. 86 *Euripidi*, 822 *Herculi*, Bacch. 938 *Achilli*: eadem de causa Trin. 744 correxi *Charmidi* (Bacch. autem 284 nominativus *Archidemides* restituendus est). — V. 988 me dispudet ita ut in hac editione legitur non instaurati sed foede corrupti, quoniam omni caesura destitutus est: quem ilico sic corrigas velim **Quí mihimet pecúliaris dátus est? ST. Huius fílius.**

In Militis gloriosi prima parte ut plura habeam quae corrigenda esse senserim eo inprimis factum est quod et TVAE emendationes huius fabulae quarum supra mentionem feci et FRITZSCHII praefatio indicis scholarum Rostochiensium huius ipsius semestris aestivi in qua de aliquot locis eius fabulae disseruit serius in manus meas pervenerunt quam ut in usum meum convertere possem. V. 34 vellem GVYETI emendationem quam TV quoque in adnotatione commendavisti **Perhaúriunda [haec] súnt ne dentes déntiant** recepissem: FRITZSCHIO autem hunc versum temptanti parum feliciter meo iudicio res cessit. — V. 39 ex Ambrosiano **ánimum tuum** pro *tuum animum* scribere debebam. — V. 58 non fuisse sollicitandum ordinem verborum qui in omnibus obtinet libris **Amánt ted omnes múlieres neque iniúria** alibi probabo. — V. 69 non dubito quin FRITZSCHIVS vere emendaverit **órant ambae et ópsecrant** idemque v. 84 recte praeferendam esse iudicaverit PYLADIS correcturam **quám nos acturí sumus.** — V. 87 TV verissime vidisti 'interpolationi deberi eiusque loco duos olim lectos esse ipsum nomen Latinae fabulae prodentes, velut tali exemplo *Ei Míliti esse glórioso fábulae* || *Nomén poeta uóluit uorsae bárbare*'. — V. 117 cum FRITZSCHIO nunc sic scribere malim **in áltum, fit quod dí uolunt**: nec possum non eidem astipulari v. 169 praeclare sic redintegranti **Ádgrediar hominem. PE. Éstne aduorsum hic qui áduenit [Palaéstrio]?** nisi quod **quí uenit** praestare arbitror ut Plautinae consuetudini accommodatius. — Vberius idem disseruit de eis quae v. 185 excipiunt et ita quidem ut contra TVAM de hoc loco disputationem in praefatione Militis p. XXIV sqq. editam librorum memoriam in rebus tantum non omnibus sustentare conatus sit. mihi quidem vir doctissimus nec vindicias nec coniecturas suas probavit et ex his quidem unam omnium minime eam qua versui 191 sententiam obscenam supposuit de qua poeta hoc quidem loco ne in somnis quidem cogitavit: sed iterum iterumque pensitatis rationibus a TE et ab illo prolatis praeter duas res ad disputationis TVAE summam redii. quarum

duarum rerum altera haec est quod me non paenitet v. 187 ex Ambrosiani scriptura NEISTE et relicuorum librorum *ne esse* effecisse *ne is se* quod FRITZSCHIVS quoque pervidit quodque verum esse ne TV quidem hodie opinor negabis: altera quod nunc mihi non recte fecisse videor quod eum versum qui in Ambrosiano inter v. 185 et 186 legitur TE praeeunte delevi. est autem hic PROFECTOUTNEQUOQUAMDEINGENIODEGREDIATURMULIEBRI quem is qui nunc 186 est excipit in libris sic fere scriptus *Earumque artem et disciplinam optineat colerem* (aut *colorem*) *et quemadmodum*. de quibus duobus versibus TV ita sensisti 'pinguissimum interpretamentum in verba poetae irrepsisse idque tale *profecto ut ne quoquam de ingenio mulierum degrediatur earumque*... una constructione conglutinata scriptoris et interpretis oratione', a poeta autem hunc unum versum profectum esse *Ne hercle usquam artem et disciplinam apstineat colere. PE. Quemadmodum?* at quamvis lubentissime TIBI largiar altera ex his duabus sententiis *ne de ingenio degrediatur muliebri* et *ut mulierum artem et disciplinam obtineat colere* facile careri posse, tamen versus illius in solo Ambrosiano servati (modo recte emendatus sit) numeri tam boni sunt ut eum interpolatori quamvis vetusto tribuendum esse vix adducar ut credam. tum vero aliquid inter utramque sententiam intercedere discriminis ipse non negabis. accedit quod in isto versu quem TV posuisti *artem et disciplinam* verba nimis nude posita videntur: servus enim ni fallor addere debebat c u i u s vel q u a l i s ars et disciplina Philocomasio colenda esset, qua de causa illud *earum* i. e. *mulierum* initio huius versus necessarium puto. quaeritur igitur hoc solum quo modo versus ille ex Ambrosiano erutus aptissime et lenissime corrigatur. atqui bene nosti quam saepe in libris Plautinis adfirmandi particulae inter se permutatae sint (cf. Mil. 1270 Bacch. 595 Stich. 243): hinc nescio an huic versui idem adhibendum sit remedium quo huius fabulae versum 290 aliter ac TV et paulo propius puto a librorum scriptura instauravi, ut pro *profecto* scribatur *hercle:* quod si feceris nihil profecto desiderabis. altero autem versu nihil mutandum censeo nisi ut alterum *et*, quod iam pridem editores viderunt, deleatur et quod TV repperisti pro *colerem* aut *colorem* reponatur *colere*, quod utrumque fragminibus huius versus in Ambrosiano superstitibus confirmatur. at 'ita' inquis '*optinere* verbum constructionis ratio respuit'. non habeo quidem exemplum quo *optinere* infinitivo iunctum probetur, sed cum poeta Curc. I 3 24 non veritus sit dicere *mi apstineant inuidere*, me non intellegere fateor cur eadem constructione non potuerit uti in *optinendi* verbo. illud autem *ut artem optineat colere* nihil aliud est quam *ut perseueret in colenda arte*. versus igitur 186 loco hos duos vellem in orationis continuitate dedissem

[Hércle] ut ne quoquám de ingenio dégrediatur múliebri
Ĕarumque artem et dísciplinam optíneat colere. PE. Quem ád modum?

unum est quod in his versibus iure offendere possit, dico eam syntaxin ex qua *earum* dictum est quasi non *muliebri* sed *mulierum* praecesserit, quod siquis revocare volet, ut FRITZSCHIVS fecit, non obstinate adversabor, quamquam necessarium esse mihi nondum persuadeo. — V. 255 sq. TV nunc ita scribi mavis — *íntro abi ergo: ét sist isti, múlierem* || *Iúbe cito domúm transire ac béne ei haec monstra et praécipe* et si recte verba TVA intellexi ea potissimum de causa ut evitetur *cito* voculae corrèptio. at in hac re nimis mihi fuisse videris severus, de quo alibi ita disputabo ut totum hoc genus complectar, nec propter istam correptionem ab ea ratione qua hi versus in libris descripti sunt recedere ausim. est autem alia causa cur hos versus hic retractandos duxerim: non enim iam probo eam correcturam quam motus gemello ut mihi videbatur versu Capt. 359 receperam *dice monstra* quod non solum illo versu ut iam supra dixi sed etiam hoc reiciendum est. verum ne TVAS quidem horum verborum emendationes probare possum, nec priorem *atque haece béne ei monstra et praécipe* nec nuperam quam supra transcripsi, et hac quidem de causa quia *bene monstrare* in Plautino sermone longe aliam vim habet atque quae hic desideratur, vide modo Bacch. 133 Curc. I 3 43 et *recte monstrare* Stich. 146 Pseud. I 3 55 Curc. II 3 20. equidem hic idem desidero verbum quod illo Captivorum versu ex libris restitui iussi *demonstrare* et cum Ambrosianus habeat HAECEBENEMONSTRA, relicui libri fere *haec ei monstra*, hanc genuinam huius versus formam fuisse conicio

Cíto domum transíre: atque haec ei béne demonstra, praécipe
V́t teneat consília nostra...

ceterum REIZIVS hunc versum sic correxerat *Cíto domum nostrám transire, atque haéc ei monstra, praécipe*, sed hoc non magis ad Plautinam consuetudinem quam quod TV v. 484 scripseras *nostrae domi*, quem versum TV nunc ipse aliter perpolivisti. eidem REIZIO debetur quod v. 279 intexui *hic* quod cum et in antecedenti et in sequenti versu in libris abunde additum sit huc pertinuisse videtur: idem v. 429 ante BOTHIVM invenerat *ne nos nosmet*, v. 472 *qui hanc* quod iam Philol. II p. 88 indicavi. — Sequitur series emendationum TVARVM quam quod ex TVA praefatione Stichi transcripsi non feres moleste: 'v. 263 **sese uidísse**: v. 367 **Ac cum álieno**: v. 370 **uíderim. PH. Ego móra moror múltum** (ab DANZIO): v. 406 **planumst íd quidem**:

v. 410 **fóris uicini próxumi concrépuit**: v. 425 **quid negótist**: v. 426 **Mén rogas homo quí sim** (ab ACIDALIO): v. 484 **cubantem tám modo offendí domi**'. — V. 441 ego nunc malim **Quíd hic in Epheso tíbi negotist?** (nisi in scriptura librorum ne literula quidem mutanda est, vide supra ad Amph. 111). — V. 473 nescio an sic sit corrigendus **Mágis pol metuo [míhi]: set numquam** (cll. v. 526 Bacch. 595), quamquam non sum immemor versuum a TE in Proleg. Trin. p. CCXXV congestorum. — V. 481 scribendum est **néque** pro *nec*. — V. 485 TV propter caesurae defectum ordinem verborum quem libri prodiderunt **Certúmst nunc opseruátioni operám dare** ita mutasti ut ego edidi: at Rud. 525 habes versum plane eodem modo confictum, unde hos duos in vicem se tueri crediderim: nam hunc quoque ob eandem causam sic mutare *Ad uélitatiónem me equidem exérceo* profecto audentius sit. — V. 502 verissime TV intellexisti insiticium esse eiusque in locum substituendum v. 511, item v. 600 et 601 (quo versu non abs re videtur referre REIZIVM prope afuisse a vera emendatione: correxit enim *aut caute locus*) a Plauto abiudicandos esse, servandum autem proximi initio **Nám** pro *Et*, denique v. 666 ad 668 transponendos esse post v. 653. — V. 508 vellem pro *Quin* quod TV de coniectura dedisti scripturam Decurtati **Quod** servassem. — V. 552 vide num Ambrosiani scriptura **Aqua aéque sumi** defendi possit talibus exemplis iunctae comparativo *aeque* vel *adaeque* vocis qualia sunt Capt. 700 828 Merc. II 3 1 (nam Bacch. 621 ubi HERMANNVS pereleganter *aeque* invexerat TV et ut videtur iure TVo libris obsecutus es). — V. 613 sq. REIZIVS sic conformavit *Sí gerimus rem. PE. Mágis ad rem quam hoc ùtibile esse nòn potest. || Quíd tibi, Pleusidés? PL. Quod uobis pláceat, displiceát mihi?* v. 649 *Néque ego autem umquam aliénum scortum —:* v. 752 initio *nam* particulam ante TE delevit: v. 865 ante BOTHIVM transposuit *partem infortuni meam:* v. 913 ante TE inseruit *porro* inter *Quem* et *ego*. — V. 627 vellem recepissem quod ex Nonii librorum corruptela LINDEMANNVS eruit (praeiverat tamen MERCERVS) **Quíd ais tu? tam tíbi ego**. — V. 629 me male habet *praeter* praepositionis usus: quid si ea deleta ordinem verborum quem libri exhibent in hunc modum restituamus **Nám equidem hau sum nátus annos quínquaginta —?** — V. 774 puto corrigendum esse **Quem ínstitui** scil. *dolum*, ut *instituere astutiam* legitur v. 237 et Epid. III 2 27: nam *instituere rationem doli* dubito num Plautus dixerit. — V. 800 vereor ne incuria librariorum infinitivus *esse* omissus sit (cf. v. 932

et Proleg. Trin. p. cxiii et cccxxv): malim igitur **Ád eum ibo:] a tua míhi [esse] uxore.** — V. 807 paenitet me V. C. scripturam **Quem nóminem?** sprevisse, item v. 1322 id quod ab uno Nonio servatum est **quemuis:** Plautus enim constanter *quis* forma et de maribus et de feminis usus esse videtur, cf. Mil. 925 967 Stich. 237 et alibi *quis* (unde non dubito quin Bacch. 473 pro *quae uocatur?* corrigendum sit *quis uocatur?* cll. Mil. 436), Rud. 1146 Cist. II 3 66 *quisquis*, Cist. I 1 68 *quisquam*, Mil. 1060 Rud. 406 *quemquam*, Rud. 813 *quempiam*, Pseud. I 2 52 *quemque* (ubi verba sic esse transponenda censeo *ut suo quemque appellem nomine*): add. Non. p. 197 sq. et Rvhnkenivm ad Rutinian. p. 268. — V. 985 nescio quo errore factum sit ut emendationem *aperitur foris* tecum olim tamquam meum inventum communicarem (cf. praef. Bacch. p. xiii), quam non solum Bothivs occupavit sed ante hunc etiam Reizivs: idem v. 998 nescio an vere sic emendavit *Quaé amat hunc hominém nimis lepidum* —: tum ab eodem sumpsi quod v. 1005 scripsi *uidisti*, hoc enim non solum a librorum corrupta scriptura *tuis* propius abest sed etiam sententiae magis convenit quam quod tv posuisti *uideas:* v. 1008 priorem partem Reizivs eodem modo transposuerat ac tv: v. 1088 idem ante Bothivm scripserat *audin?* pro *audin tu?* v. 1124 *foras* pro *foris*, v. 1127 *ornamenta quae illi* pro *ornamentaque quae illi*, v. 1217 *sentiat uidere* pro *uidere sentiat*, v. 1252 *ignoscet animo* pro *animo ignoscet.* — V. 1176 transpositum velim **erit hoc:** eodem versu Reizivm correxisse *ut intro* quod recepi (nisi quod ille *intro ut* posuerat) pro librorum *ubi intro* tv iam in praefatione Stichi p. xix rettulisti. — V. 1203 idem transposuit *fecit uerba, ut lenta:* v. 1221 sic constituit **Placide ípsa, dum lubitúmst mihi, otióse, meo arbitrátu** quod vellem ipse recepissem, cum verba *ut uolui* ab interprete ascripta esse veri sit simillimum. — V. 1222 nunc intellexi scribendum esse **quia te ádiit** et v. 1356 **Ét si ita senténtia esset,** qui hiatus eidem sunt atque ille quem supra ad Amph. 736 me alibi defensurum esse professus sum. — Denique v. 1389 concinnitas numerorum quam tv in Proleg. Trin. p. ccx et cccxxviii duce Bentleio commendavisti suadet ut transponatur **senex stat ín statu.**

Rudentis versu 194 quod posui *insigne* pro librorum monstro *sibi igni* debeo Ottoni meo, quam coniecturam reicere poterit qui meliorem substituerit, ab eodemque sumpsi quod v. 456 dedi *scelus huc* pro librorum *huc scelestus*, cui praeclarae emendationi facile hanc cedere iussi quam ipse paulo audentius excogitaveram *ut confugiamus ántequam* || *Sceléstus leno huc uéniat* —.

ac nequid celem quod in hac opera mea aliis privatim acceptum referam scito me huius fabulae v. 315 coniecturam praeceptoris mei pie colendi Chr. Gvil. Mitscherlichii quae numquam in publicum edita est in orationis continuitatem recepisse: cum enim ante hos novem vel decem annos in alma matre Georgia Avgvsta sodalis seminarii philologici de versibus compluribus Rudentis in eisque de v. 312 sqq. disputarem, senex ille venerabilis comiter me docuit v. 315 in scriptura 'nonnullorum ex libris veteribus' Lambini *qui treis semihomines duceret* nihil aliud latere quam *secum homines*, quod nunc non dubitavi recipere, cum in hac potissimum fabula libros illos Lambinianos vel potius unum librum perbonum ex quo Tvrnebvs et Lambinvs hic illic scripturas discrepantes excerpserunt (de quo tv data opera egisti in Mus. Rhen. philol. tomo IIII (a. 1836) p. 529 sqq.) haud raro Palatinis praestare intellexissem. ceterum num totum hunc locum unum ex difficillimis aliqua cum probabilitate instauraverim tvvm expecto iudicium. quae autem ipse curis secundis in hac fabula corrigenda repperi haec sunt. V. 528 scribendum est **aps te** pro *a ted:* v. 608 **me** pro *med* (vide supra ad Amph. 736): v. 613 servare debebam librorum **hic** pro *hoc* (vide supra ad Amph. 111): v. 724 velim sic transponi **Nón licet: ita léx est aput nos:** v. 741 fortasse excidit *sum* post *natus:* v. 1019 non erat quod cum Reizio *Ast* scriberem pro **At** forma quam libri tuentur (post *mari?* enim hiatus est): v. 1143 vellem sic scripsissem **Hóc habet: solútust. perii:** v. 1173 peccavi quod vocis dactylicae *filia* ultimam syllabam intendi passus sum, quod cum arti repugnet lenissime (praecedit enim *queo*) corrigendum arbitror **[Ó] mea filia, sálue:** v. 1357 sic personis distribuendus videtur **GR. Séquere hac. DÆ. Vbi istic lénost? GR. Heus tu:** nisi integer versus excidit, nam aegre desidero responsum servi ad eri sui interrogatum, velut ad hoc exemplum

GR. Séquere hac. DÆ. Vbi istic lénost? GR. [Hic ante óstium relíqueram:
Sét eccillum, prope ástat:] heus tu, én tibi, habet hic uídulum.

De Trinummo hic primum eos indicandos duxi versus quos aliter ac tv instauravi ex eo exemplo harum fabularum cuius margini Schwarzmannvs, ut supra narravi, scripturas discrepantes libri Ambrosiani ascripserat. qui vir doctissimus quod in aliquot paginis illius libri aliquanto plura legit quam tv non mirabuntur qui reputaverint eum duobis annis ante te membranas illas excussisse, quarum hodierna conditio quam tv accuratissime

in epistula TVA Mediolanensi ad HERMANNVM data descripsisti ea est ut facile partes quaedam membranarum aliquot annorum intervallo adeo situ corruptae esse potuerint ut quod anno huius saeculi XXXV legi potuerat idem anno XXXVII interisset: in ceteris autem rebus fere omnibus illius excerpta cum TVIS conspirant. V. 186 initio de quo TV 'non satis liquere' profiteris ille in Ambrosiano extare adnotavit HASCINMIPROPTER quod si cum scriptura relicuorum librorum *Hasoine me propter* comparaveris non negabis verissimum esse. — V. 351 idem haec excerpsit ETILLUCQUODNONHABESHABEAS || UELIMMALUM et ita quidem ut ab UELIMMALUM nova pagina (7) incipiat, unde non dubitavi illud *uelim* asciscere, cum adpareat *malum* vetus glossema esse quod in relicuis libris omnibus genuinam vocem *uelim* expulit (cf. v. 361 ubi in Ambros. simili interpretandi genere MALAMULTA pro *multa* legitur, quo glossemate libri relicui manserunt liberi): ceterum quod in hoc versu *et nunc quod non habes* scripsi (quod ex Palatinorum scriptura *et illud quod nunc non habes* sumpsi) nunc nollem factum, postquam **illuc** multo aptius esse intellexi, quia id ipsum *quod non habes* quid sit non distinctius nominatur. — V. 442 SCHWARZMANNVS legit INTERTEATQ·NOS quod itidem verissimum esse concedes cum relicui libri omnes habeant *inter se atque nos*, quod cum sensu careret MERVLA correxit *inter se atque uos*, quem omnes editores secuti sunt: sed illud longe urbanius est in ore Philtonis contra Lesbonicum. — V. 508 eadem auctoritate nixus delevi *hic* quod in relicuis libris post *sub urbe* scriptum extat. — Ad v. 860 et duos qui hunc excipiunt TV nihil ex Ambros. adnotasti, SCHWARZMANNVS haec: 860 IPSUMPLANEESSE pro *esse ipsum plane*, 861 QUOMAGIS pro *Quam magis* et MIHIEAHOMINIS pro *mihi haec hominis* (at V. C. *mihi hominis:* cf. v. 852), 862 HOMOESSET pro *homost*, quas libri Ambrosiani scripturas praeter ultimam qui merus est librarii error recipiendas duxi omnes (debebam fortasse v. 861 *specto* [*eo*] *minus* restituere). — Denique v. 1052 ille non id quod TV TIBI legere visus es COAPIASDUARUM excerpsit sed totidem literis id quod BERGKIVS l. s. s. p. 1146 coniectura adsecutus est OCCIPIASDUARUM: sed utrumtumque reapse in libro illo scriptum extat ego non dubito quin verum sit quod scripsi *occupias duarum* quocum depravata scriptura Palatinorum *cupias duarum* unice convenit. ceterum quid de hoc versu sentiam explicatius alibi exposui. — Deinde infra eas emendationes REIZIANAS exprompsi quas praeter eas quae ab HERMANNO in praefatione Trinummi p. IX sq. editae sunt a KREBSIO transcriptas repperi: ipse quidem vir summus se 'alia multa praeterire' professus est 'in quibus REIZIVS veterum librorum lectionem coniectura adsecutus esset', sed multa etiam praeteriit quae ut plerumque certissima sunt ita in nullo veteri libro reperta sunt. sunt autem, nisi quae oculos meos fugerunt, haec emendationes

ARGVMENTVM I.

Amóre captus Álcumenas Iúppiter
Mutáuit sese in éius formam cóniugis,
Pro pátria Amphitruo dúm decernit cum hóstibus:
Habitú Mercurius ĕi supseruit Sósiae:
Is áduenientis séruom ac dominum frústra habet.
Turbás uxori cíet Amphitruo: atque ín uicem
Raptánt pro moechis. Blépharo captus árbiter
Vtér sit non quit Ámphitruo decérnere.
Omném rem noscunt: géminos illa enítitur.

ARGVMENTVM II.

In fáciem uorsus Ámphitruonis Iúppiter,
Quom béllum gereret cúm Telebois hóstibus,
Alcménam uxorem cépit usuráriam.
Mercúrius formam Sósiae seruí gerit
Apséntis: his Alcména decipitúr dolis.
Postquám rediere uéri Amphitruo et Sósia,
Vtérque deludúntur in mirúm modum.
Hinc iúrgium, tumúltus uxori ét uiro,
Donéc cum tonitru uóce missa ex aéthere
Adúlterum se Iúppiter conféssus est.

PERSONAE.

MERCVRIVS DEVS
SOSIA SERVOS
IVPPITER DEVS
ALCVMENA VXOR
AMPHITRVO DVX
THESSALA ANCILLA
BLEPHARO GVBERNATOR
BROMIA ANCILLA
CANTOR.

PROLOGVS.

MERCVRIVS.

Vt uós in uostris uóltis mercimóniis
Emúndis uendundísque me laetúm lucris
Adfícere atque adiuuáre in rebus ómnibus,
Et út res rationésque uostrorum ómnium
Bene éxpedire uóltis peregrique ét domi,
Bonóque atque amplo auctáre perpetuó lucro
Quasque íncepistis rés quasque inceptábitis,
Et utí bonis uos uóstrosque omnis núntiis
Me adfícere uoltis, ea ádferam, ea uti núntiem,
Quae máxume in rem uóstram conmuném sient
(Nam uós quidem id iam scítis concessum ét datum
Mi esse áb dis aliis, núntiis praesim ét lucro):
Haec út me uoltis ádprobare, adnítier,
Lucrum út perenne uóbis semper súppetat:
Ita huíc facietis fábulae siléntium
Itaque aéqui et iusti hic éritis omnes árbitri.
Nunc quóius iussu uénio et quam ob rem uénerim,
Dicám semulque ipse éloquar nomén meum.
Iouis iússu uenio: nómen Mercuriótst mihi.
Pater húc me misit ád uos oratúm meus,
Tametsí pro imperio uóbis quod dictúm foret
Scibát facturos, quíppe qui intelléxerat
Veréri uos se et métuere, ita ut aequómst Iouem:
Verúm profecto hoc pétere me precário

A uóbis iussit léniter dictís bonis.
Etenim ílle, quoius huc iússu uenio, Iúppiter
Non mínus quam uostrum quíuis formidát malum:
Humána matre nátus, humanó patre,
Mirári non est aéquom, sibi si praétimet.
Atque égo quoque etiam, quí Iouis sum fílius,
Contágione mèi patris metuó malum.
Propterea pacem aduénio et ad uos ádfero.
Iustám rem et facilem esse óratam a uobís uolo:
Nam iústa ab iustis iústus sum oratór datus:
Nam iniústa ab iustis ímpetrari nón decet,
Iusta aútem ab iniustís petere insipiéntiast:
Quippe ílli iniqui iús ignorant néque tenent.
Nunc húc animum omnes quaé loquar aduórtite.
Debétis uelle quaé uelimus: méruimus
Et ego ét pater de uóbis et re púplica.
Nam quíd ego memorem, ut álios in tragoédiis
Vidí, Neptunum, Vírtutem, Victóriam,
Martém, Bellonam, cónmemorare quaé bona
Vobís fecissent? quís benefactis méus pater,
Deorúm regnator, árchitectust ómnibus.
Set ílle numquam mós fuit patrí meo,
Vt éxprobraret quód bonis facerét boni:
Gratum árbitratur ésse id a uobís sibi
Meritóque uobis bóna se facere quaé facit.
Nunc quám rem oratum huc uéni, primum próloquar:
Post árgumentum huius éloquar tragoédiae.
Quid cóntraxistis fróntem? quia tragoédiam
Dixí futuram hanc? déus sum, conmutáuero.
Eandem hánc, si uoltis, fáciam ego ex tragoédia
Comoédia ut sit ómnibus isdem uérsibus.
Vtrúm sit an non uóltis? set ego stúltior,

Quasi nésciam uos uélle, qui diuós siem:
Teneó quid animi uóstri super hac ré siet.
Faciam út conmixta sít haec tragicomoédia:
Nam mé perpetuo fácere ut sit comoédia,
Regés quo ueniant ét di, non par árbitror.
Quid ígitur? quoniam hic séruos quoque partís habet,
Faciám sit, proinde ut díxi, tragicomoédia.
Nunc hóc me orare a uóbis iussit Iúppiter,
Vt cónquistores síngula in supséllia
Eánt per totam cáueam spectatóribus:
Siquoí fauitores délegatos uíderint,
Vt ís in cauea pígnus capiatúr togae.
Nam síqui palmam ambíssint histriónibus: —
Si quoíquam artifici seú per scriptas líteras
Seu qui ípse ambissit seú per internúntium:
Siue ádeo aediles pérfidiose quoí duint: —
Sirémpse legem iússit esse Iúppiter,
Quasi mǎgistratum sibi álteriue ambíuerit.
Virtúte dixit uós uictores uíuere,
Non ámbitione néque perfidia: quí minus
Eadem hístrioni sít lex quae summó uiro?
Virtúte ambire opórtet, non fauitóribus.
Sat habét fauitorum sémper qui recté facit,
Si illís fides est, quíbus est ea res ín manu.
Hoc quóque etiam mihi ílle in mandatís dedit,
Vt cónquistores fíerent histriónibus:
Qui síbi mandasset délegati ut plaúderent
Quiue álter quo placéret fecissét minus,
Eius órnamenta et córium uti concíderent.
Mirári nolim uós, quapropter Iúppiter
Nunc hístriones cúret. ne mirémini:
Ipse hánc acturust Iúppiter comoédiam.

Quid id éstis admiráti? quasi ueró nouom
Nunc próferatur, Iŏuem facere histrióniam.
Etiam hístriones ánno quom in proscénio hic
Iouem ínuocarunt, uénit: auxilio ís fuit.
Praetérea certo pródit in tragoédia.
Hanc fábulam inquam Iúppiter hic hodie ípse aget
Et égo cum illo una. núnc uos animum aduórtite,
Dum argúmentum huius éloquar comoédiae.
Haec úrps est Thebae: in íllisce habitat aédibus
Amphítruo, natus Árgis ex Argó patre,
Quicum Álcumenast núpta, Electri fília.
Is núnc Amphitruo praéfectust legiónibus:
Nam cúm Telebois béllumst Thebanó poplo.
Is príus quam hinc abiit ípsemet in exércitum,
Grauidam Álcumenam fécit uxorém suam.
Nam ego uós nouisse crédo iam ut sit méus pater,
Quam líber harum rérum et multarúm siet
Quantúsque amator, si ĕi quid conplacitúmst semel.
Is amáre occepit Álcumenam clám uirum
Vsúramque eius córporis cepít sibi
Et gráuidam fecit ítidem conpressú suo.
Nunc de Álcumena ut rém teneatis réctius,
Vtrímquest grauida, et éx uiro et summo éx Ioue.
Et méus pater nunc íntus hic cum illá cubat
Et haéc ob eam rem nóx est facta lóngior,
Dum cum ílla quacum uólt uoluptatém capit.
Set ita ádsimulauit sé quasi Amphitruó siet.
Nunc ne húnc ornatum uós meum admirémini,
Quod ego húc processi síc cum seruilí schema:
Veterem átque antiquam rém nouam ad uos próferam:
Proptérea ornatus ín nouom incessí modum.
Nam méus pater nunc íntus eccum Iúppiter

In Ámphitruonis uórtit sese imáginem,
Omnésque eum esse cénsent serui quí uident:
Ita uórsipellem sé facit, quandó lubet.
Ego sérui sumpsi Sósiae mi imáginem,
Qui cum Ámphitruone una ábiit hinc in exércitum,
Vt praéseruire amánti meo possém patri
Atque út ne qui essem fámiliares quaérerent,
Vorsári crebro hic quóm uiderent mé domi.
Nunc quom ésse credent séruom et conseruóm suum,
Haut quísquam qui sim quaéret aut quid uénerim.
Patér nunc intus súo animo morém gerit:
Cubát conplexus, quóius cupiens máxumest.
Quae illi ád legionem fácta sunt, memorát pater
Meus Álcumenae: cénset illa illúm uirum
Suum ésse, quae cum moéchost. ibi nunc méus pater
Memorát, legiones hóstium ut fugáuerit,
Quo pácto donis sít donatus plúrumis.
Ea dóna, quae illic Ámphitruoni súnt data,
Apstúlimus: facile méus pater quod uólt facit.
Nunc hódie Amphitruo uéniet huc ab exércitu
Et séruos, quoius égo fero hanc imáginem.
Nunc ínternosse ut nós possitis fácilius,
Ego hás habebo usque híc in petaso pínulas:
Tum mĕo patri autem tórulus inerit aúreus
Sub pétaso: id Amphitruóni signum nón erit.
Ea sígna nemo horúnce familiárium
Videre poterit, uérum uos uidébitis.
Set Ámphitruonis íllic est seruos Sósia:
A pórtu illic nunc cúm laterna huc áduenit.
Abigám iam ego illunc áduenientem ab aédibus.
Adéste: erit operae [uóbis] inspectántibus
Iouem ét Mercurium fácere hic histrióniam.

ACTVS I.

SOSIA. MERCVRIVS.

SO. Qui me álter est audácior homo aút qui confidéntior,
Iuuentútis mores quí sciam, qui hoc nóctis solus ámbulem?
Quid fáciam, si nunc trésuiri me in cárcerem conpégerint?
Inde crás e promptuária cellá depromar ád flagrum,
Nec caúsam liceat dícere mihi néque in ero quicquam aúxili
Siét nec quisquam sít quin me omnes ésse dignum députent.
Ita quási incudem me míserum homines
Octó ualidi
Caedánt: ita peregre huc áduenieus
Puplícitus ego hospitio áccipiar.
Eri haéc inmodéstia me cöegit, qui hoc nóctis
A pórtu med íngratiís excitáuit:
Idém nonne mé mittere hóc luci pótuit?
Opulénto homini dúra hoc magís seruitús est,
[Hoc magis miser est diuitis seruos]
Quoi nóctis diésque adsiduó satis supérquest:
Facto aút dicto adést opus, quiétatus né sis.
Dominús diues óperis te et éxpers labóris
Quodquómque ei lubére accidít posse rétur:
Aequom ésse id putát, non reputát quid labórist.

Nec aéquom anne iníquom imperét cogitábit.
Ergo ín seruitúte expetúnt multa iníqua:
Habéndum et ferúndum hoc onúst cum labóre.
ME. Satiúst me queri íllo modó seruitútem:
Qui hodié fuerim líber,
Eúm nunc potíuit patér seruitútis:
Hic quí uerna nátust conquéritur.
SO. Sum uéro uere uérbero: nam número mi in mentém fuit,
Dis áduenientem grátias pro méritis agere atque ádloqui.
Ne illi édepol, si meritó meo reférre studeant grátias,
Alíquem hóminem adlegent, quí mihi aduenıénti os occillét probe,
Quoniám bene quae in me fécerunt ingráta ea habui atque ínrita.
ME. Facit ílle quod uolgo haú solent, ut quíd se sit dignúm sciat.
SO. Quod númquam opinatús fui neque álius quisquam cíuium
Sibi éuenturum, id cóntigit, ut sálui poteremúr domi:
Victóres uictis hóstibus legiónes reueniúnt domum
Extíncto duello máxumo atque intérnecatis hóstibus.
Quod múlta Thebanó poplo acérba obiecit fúnera,
Id ui ét uirtute mílitum uictum átque expugnatum óppidumst,
Império atque auspició mei eri Ámphitruonis máxume,
Qui praéda agroque adóreaque adfécit popularís suos
Regíque Thebanó Creoni régnum stabiliuít suum. 194
Me a pórtu praemisít domum, haec ut núntiem uxorí suae:
Vt gésserit rem púplicam ductu, ímperio, auspició suo.
Ea núnc meditabor quó modo illi dícam, quom illo aduénero.

Si díxero mendácium, soléns meo more fécero:
Nam quóm pugnabant máxume, ego túm fugiebam máxume.
Verúm quasi adfuerím tamen simulábo atque audita éloquar.
Set quó modo et uerbís quibus me déceat fabulárier,
Prius ípse mecum etiám uolo hic meditári: sic haec próloquar.
Princípio ut illo aduénimus, ubi prímum terram tétigimus,
Contínuo Amphitruo délegit uirós primorum príncipes.
Eos légat: Teleboís iubet senténtiam ut dicánt suam:
Si síne ui et sine belló uelint rapta ét raptores trádere,
Si quae ásportassint réddere: se exércitum extempló domum
Redúcturum, abiturós agro Argíuos, pacem atque ótium
Dare íllis: sin alitér sient animáti neque dent quaé petat,
Sese ígitur summa uí uirisque eorum óppidum oppugnássere.
Haec úbi Telebois órdine iterárunt quos praefécerat
Amphítruo, magnanimí uiri fretí uirtute et uíribus
Supérbi nimis feróciter legátos nostros íncrepant,
Respóndent bello se ét suos tutári posse, prŏinde uti
Properé de finibús suis exércitus dedúcerent.
Haec úbi legati pértulere, Amphítruo e castris ílico
Prodúcit omnem exércitum: contrá Teleboae ex óppido
Legiónes educúnt suas nimis púlcris armis praéditas.
Póstquam utrimque éxitumst máxuma cópia,
Díspertití uiri, díspertiti órdines:
[Nos nostras more nostro et modo instruximus legiones:
Item hostes contra legiones suas instruunt]

Dèinde uterque ímperatór in medium éxeunt,
Éxtra turbam órdinum cónlocuntúr semul.
Cónuenit, uícti utri sínt eo praélio,
Ýrbem, agrum, arás, focos séque uti déderent.
Póstquam id actúmst, tubae utrímque contrá canunt:
Cónsonat térra: clamórem utrimque écferunt.
Ímperatór uterque hínc et illínc Ioui
Vóta suscípere, tum exércitum hortárier.
Pró se quisque íd quod quisque ét potest ét ualet
Édit, ferró ferit: téla frangúnt: boat
Caélum fremitú uirum: ex spíritu atque anhélitu
Nébula conflát: cadunt uólnere uirí uirum.
Dénique ut uóluimus, nóstra superát manus:
Hóstes crebrí cadunt: nóstri contra íngruont:
† Vicimus ui feroces.
Ín fugam sét tamen némo conuórtitur
Néc recedit loco quín statim rém gerat:
Ánimam omittúnt prius quám loco démigrent:
Quísque, ut steterát, iacet óptinetque órdinem.
Hóc ubi Amphítruo erus cónspicatúst meus,
Ílico equités iubet déxtera inuádere.
Équites parént citi, ab déxtera máxumo
Cúm clamore ínuolant, ínpetu alacrí ruont:
Foédant et próterunt hóstium cópias
† Iure iniustas.
ME. Numquam étiam quicquam adhúc uerborumst prólocutus pérperam.
Namque égo fui illi in ré praesenti et méus quom pugnatúmst pater.
SO. Perdüelles penetrant se ín fugam: ibi nóstris animus ádditust.
Vorténtibus Telébois telis cónplebantur córpora,

Ipsúsque Amphitruo régem Pterelam sŭapte optruncauít manu.
Haec ílli ui pugnáta pugnast úsque a mane ad uésperum:
Hoc ádeo hoc conmeminí magis, quia íllo die inpransús fui.
Set praélium id tandém diremit nóx interuentú suo.
Postrídie in castra éx urbe ad nos uéniunt flentes prín-cipes,
Velátis manibus órant, ignoscámus peccatúm suum:
Dedúntque se, diuína humanaque ómnia, urbem et líberos
In dítionem atque in árbitratum cúncti Thebanó poplo.
Post ób uirtutem ero Ámphitruoni pátera donata aúreast,
Qui Ptérela potitáre rex est sólitus. haec sic dícam erae.
Nunc pérgam eri imperium éxequi et mé domum capés-sere.
ME. Áttat, illic húc iturust: íbo ego illic óbuiam:
Néque ego hunc hominem hasce hódie ad aedis [hínc] sinam umquam accédere.
Quándo imagost húius in me, cértumst hominem elúdere.
Ét enimuero quóniam formam húius cepi in me ét statum,
Décet et facta móresque huius habére me similís item.
Ítaque me malum ésse oportet, cállidum, astutum ád modum
Átque hunc telo sŭo sibi, malitia, hís a foribus péllere.
Sét quid illuc est? caélum aspectat. ópseruabo quám rem agat.
SO. Cérte edepol, si quícquamst aliut quód credam aut certó sciam,
Crédo ego hac noctú Nocturnum óbdormiuisse ébrium.
Nám neque se septéntriones quóquam in caelo cón-mouent,

Néque se luna quóquam mutat átque uti exortást semel,
Néc iugulae neque uésperugo néque uergiliae óccidunt.
Ita statim stant sígna neque nox quóquam concedít die.
ME. Pérge, nox, ut óccepisti: gére patri morém meo:
Óptumo optume óptumam operam dás, datam pulcré locas.
SO. Néque ego hac nocte lóngiorem mé uidisse cénseo
Nísi itidem unam, uérberatus quám pependi pérpetem:
Ĕam quoque edepol étiam multo haec uícit longitúdine.
Crédo edepol equidém dormire Sólem, atque adpotúm probe:
Míra sunt nisi ínuitauit sése in cena plúsculum.
ME. Ăin tu uero, uérbero? deos ésse tui similís putas?
Égo pol te istis tŭis pro dictis ét malefactis, fúrcifer,
Áccipiam: modo sís ueni huc, inuénies infortúnium.
SO. Ýbi sunt isti scórtatores, quí soli inuití cubant?
Haéc nox scitast éxercendo scórto conductó male.
ME. Méus pater nunc pro húius uerbis récte et sapientér facit,
Quí conplexus cum Álcumena cúbat amans, animo ópsequens.
SO. Íbo ut erus quod ímperauit Álcumenae núntiem.
Sét quis hic est homó, quem ante aedis uídeo hoc noctis? nón placet.
ME. Núllust hoc metículosus aéque. SO. Quom [recógito,]
Íllic homo hoc [meum] dénuo uolt pállium detéxere.
ME. Tímet homo: delúdam ego illum. SO. Périi, dentes prúriunt:
Cérte aduenientem híc me hospitio púgneo accептúrus est.

Crédo misericórs est: nunc proptérea quod me méus erus
Fécit ut uigilárem, hic pugnis fáciet hodie ut dórmiam.
Óppido interii: ópsecro hercle quántus et quam uálidus est.
ME. Cláre aduorsum fábulabor, híc auscultet quaé loquar:
Ígitur demum mágis maiorem in sése concipiét metum.
Ágite pugni: iám diust quom uéntri uictum nón datis.
Iám pridem uidétur factum, herí quod homines quáttuor
Ín soporem cónlocastis núdos. SO. Formidó male
Né ego hic nomen mĕum conmutem et Quínctus fiam e Sósia.
Quáttuor uirós sopori sé dedisse hic aútumat:
Métuo ne numerum aúgeam illum. ME. Hem, núnc ïam ergo: síc uolo.
SO. Cíngitur: certe éxpedit se. ME. Nón feret quin uápulet.
SO. Quís homo? ME. Quisquis homo húc profecto uénerit, pugnós edet.
SO. Ápage, non placét me hoc noctis ésse: cenauí modo:
Prŏin tu istam cenám largire, sí sapis, essuriéntibus.
ME. Haú malum huic est póndus pugno. SO. Périi, pugnos pónderat.
ME. Quíd, si ego illum tráctim tangam, ut dórmiat? SO. Seruáueris:
Nám continuas hás tris noctis péruigilaui péssume.
ME. † Facimus nequit ferire malam male discit manus.
Ália forma opórtet esse quém tu pugnis íceris.
SO. Íllic homo me intérpolabit mĕumque os finget dénuo.

ME. Éxossatum os ésse oportet, quém probe percússeris.
SO. Mírum ni hic me quási muraenam éxossare cógitat.
Vltro istunc qui exóssat homines. périi, si me aspéxerit.
ME. Ólet homo quidám malo suo. SO. Heí mihi, numnam ego óbolui?
ME. Átque hau longe abésse oportet, uérum longe hinc áfuit.
SO. Íllic homo supérstitiosust. ME. Géstiunt pugní mihi.
SO. Si ín me exercitúru's, quaeso in párietem ut primúm domes.
ME. Vóx mi ad auris áduolauit. SO. Né ego homo infelíx fui,
Quí non alas ínteruelli: uólucrem uocem géstito.
ME. Íllic homo a me síbi malam rem arcéssit iumentó suo.
SO. Nón equidem ullum habeó iumentum. ME. Ónerandust pugnís probe.
SO. Lássus sum hercle e náui, ut uectus húc sum: etiam nunc naúseo.
Víx incedo inánis, ne ire pósse cum onere exístumes.
ME. Cérte enim hic nescio quis loquitur. SO. Sáluos sum, non mé uidet:
'Néscio quem' loqui aútumat: mihi cérto nomen Sósiaest.
ME. Hínc enim dextra míhi uox auris, út uidetur, uérberat.
SO. Métuo uocis né uicem hodie hic uápulem, quae hunc uérberat.
ME. Óptume eccum incédit ad me. SO. Tímeo, totus tórpeo.

Nón edepol nunc úbi terrarum sím scio, siquís roget,
Néque miser me cónmouere póssum prae formídine.
Ílicet: mandáta eri periérunt una et Sósia.
Vérum certumst cónfidenter [húnc] hominem contra ádloqui,
Quí possim uidéri huic fortis, á me ut apstineát manum.
ME. Quo ámbulas tu, quí Volcanum in córnu conclusúm geris?
SO. Quíd id exquiris tú, qui pugnis ós exossas hóminibus?
ME. Séruosne es an líber? SO. Vtquomque ánimo conlubitúmst meo.
ME. Àin tu uero? SO. Áio enimuero. ME. Vérbero. SO. Mentíre nunc.
ME. Át iam faciam ut uérum dicas dícere. SO. Quid eóst opus?
ME. Póssum scire, quó profectus, quŏius sis aut quid uéneris?
SO. Húc eo, mei erí sum seruos. númquid nunc es cértior?
ME. Égo tibi istam hodié scelestam cónprimam linguam. SO. Haú potes:
Béne pudiceque ádseruatur. ME. Pérgin argutárier?
Quíd aput hasce aedís [nunc] tibi negótist? SO. Immo quíd tibist?
ME. Réx Creo uigilés nocturnos síngulos sempér locat.
SO. Béne facit: quia nós eramus péregri, tutatúst domi.
Át nunc abi sane, áduenisse fámiliaris dícito.
ME. Néscio quam tu fámiliaris sís: nisi actutum hínc abis,
Fámiliaris áccipiere fáxo hau familiáriter.

SO. Híc inquam habito ego átque horunc sum séruos. ME. At scin quó modo?
Fáciam ego hodie té superbum, ni hínc abis. SO. Quonám modo?
ME. Aúferere, nón abibis, sí ego fustem súmpsero.
SO. Quín me esse huius fámiliai fámiliarem praédico.
ME. Víde sis, quam mox uápulare uís, nisi actutum hínc abis.
SO. Tún domo prohibére peregre me áduenientem póstulas?
ME. Haécine tua domúst? SO. Ita inquam. ME. Quís erus est igitúr tibi?
SO. Ámphitruo, qui núnc Thebanis praéfectust legiónibus,
Quícum nuptast Álcumena. ME. Quíd ais? quid nomén tibist?
SO. Sósiam uocánt Thebani, Dáuo prognatúm patre.
ME. Né tu istic hodié malo tuo cónpositis mendáciis
Áduenisti, audáciai cólumen, consutís dolis.
SO. Ímmo equidem tunicís consutis húc aduenio, nón dolis.
ME. Át mentiris étiam: certo pédibus, non tunicís uenis.
SO. Íta profecto. ME. Núnc profecto uápula ob mendácium.
SO. Nón edepol uoló profecto. ME. At pól profecto ingrátiis:
Hóc quidem profécto certumst, nón est arbitrárium.
SO. Tùam fidem opsecró. ME. Tun te audes Sósiam esse dícere,
Qui égo sum? SO. Perii. ME. Át parum etiam, praèut futurumst, praédicas.

Quóius nunc es? SO. Túus: nam pugnis úsu fecistí tuum.
Pró fidem, Thebáni ciues. ME. Étiam clamas, cárnufex?
Lóquere, quid uenísti? SO. Vt esset, quém tu pugnis caéderes.
ME. Quòius es? SO. Amphitruónis inquam Sósia. ME. Ergo istóc magis,
Quía uanilocu's, uápulabis: égo sum, non tu, Sósia.
SO. Íta di faciant, út tu potius sís atque ego te ut uérberem.
ME. Étiam muttis? SO. Iám tacebo. ME. Quís tibi erust? SO. Quem tú uoles.
ME. Quíd igitur? qui núnc uocare? SO. Némo nisi quem iússeris.
ME. Ámphitruonis te ésse aiebas Sósiam. SO. Peccáueram:
Nám illut 'Amphitruónis socium' me ésse uolui dícere.
ME. Scíbam equidem nullum ésse nobis nísi me seruom Sósiam.
Fúgit ratio té. SO. Vtinam istuc púgni fecissént tui.
ME. Égo sum Sosia ílle, quem tu dúdum esse aiebás mihi.
SO. Ópsecro ut per pácem liceat te ádloqui, ut ne uápulem.
ME. Ímmo indutiaé parumper fíant, siquid uís loqui.
SO. Nón loquar nisi páce facta, quándo pugnis plús uales.
ME. Díc siquid uis: nón nocebo. SO. Tŭae fide credó? ME. Meae.
SO. Quíd, si falles? ME. Túm Mercurius Sósiae iratús siet.
SO. Ánimum aduorte: núnc licet mi líbere quiduís loqui.

Ámphitruonis égo sum seruos Sósia. ME. Etiam dénuo?
SO. Pácem feci, foédus feci, uéra dico. ME. Vápula.
SO. Ýt lubet, quod tíbi lubet fac, quóniam pugnis plús uales.
Vérum utut factúru's, hoc quidem hércle haut reticebó tamen.
ME. Tú me uiuos hódie numquam fácies quin sim Sósia.
SO. Cérte edepol tu me álienabis númquam quin nostér siem:
Néc nobis praetér me quisquamst álius seruos Sósia.
[Qui cum Amphitruone hinc una ieram in exercitum.]
ME. Híc homo sanus nón est. SO. Quod mihi praédicas uitium, íd tibist.
Quíd, malum, non súm ego seruos Ámphitruonis Sósia
Nónne hac noctu nóstra nauis húc ex portu Pérsico
Vénit, quae me aduéxit? nonne me húc erus misít meus:
Nónne ego nunc sto ante aédis nostras? nón mist laterna ín manu?
Nón loquor? non uígilo? non hic hómo me pugnis cóntudit?
Fécit hercle: nám mi misero étiam nunc malaé dolent.
Quíd igitur ego dúbito? aut quor non íntro eo in nostrám domum?
ME. Quíd, domum uostram? SO. Íta enimuero. ME. Quín quae dixistí modo
Ómnia ementítu's: equidem sum Ámphitruonis Sósia.
Nám noctu hac solútast nauis nóstra e portu Pérsico,
Ét ubi Pterela réx regnauit óppidum expugnáuimus,
Ét legiones Téleboarum uí pugnando cépimus,
Ét ipsus Amphitruo óptruncauit régem Pterelam in praélio.

SO. Égomet mihi non crédo, quom illaec aútumare illum aúdio:
Híc quidem certe quae ílli sunt res géstae memorat mémoriter.
Sét quid ais? quid Ámphitruoni [dóno] a Teleboís datumst?
ME. Ptérela rex qui pótitare sólitus est patera aúrea.
SO. Élocutust. ubi [ea] patera núnc est? ME. Est in cístula,
Ámphitruonis ópsignata sígno. SO. Signi díc quid est?
ME. Cúm quadrigis Sól exoriens. quíd me captas, cárnufex?
SO. Árgumentis uícit. aliut nómen quaerundúmst mihi.
Néscio unde haec híc spectauit. iám ego hunc decipiám probe:
Nám quod egomet sólus feci néc quisquam alius ádfuit
Ín tabernaclo, íd quidem hodie númquam poterit dícere.
Sí tu Sosiá's, legiones quóm pugnabant máxume,
Quíd in tabernacló fecisti? uíctus sum, si díxeris.
ME. Cádus erat uini: índe inpleui hírneam. SO. Ingressúst uiam.
ME. Éam ego uini, ut mátre natum fúerat, eduxí meri.
SO. Míra sunt nisi látuit intus íllic in illac hírnea.
Fáctumst illut, út ego illic uini hírneam ebiberím meri.
ME. Quíd? nunc uincone árgumentis, té non esse Sósiam?
SO. Tún negas med ésse? ME. Quid ego ní negem, qui egomét siem?
SO. Pér Iouem iuró med esse néque me falsum dícere.
ME. Át ego per Mercúrium iuro, tíbi Iouem non crédere:

Nam íniurato scío plus credet míhi quam iurató tibi.
SO. Quís ego sum saltém, si non sum Sósia? te intérrogo.
ME. Ṽbi ego Sosia ésse nolim, tu ésto sane Sósia:
Núnc quando ego sum, uápulabis, ni hínc abis, ignóbilis.
SO. Cérte edepol, quom illúm contemplo et fórmam cognoscó meam,
Quem ád modum ego sum (saépe in speculum inspéxi): nimis similíst mei.
Ítidem habet petasum ác uestitum: tám consimilist átque ego.
Súra, pes, statúra, tonsus, óculi, nasum, uél labra,
Málae, mentum, bárba, collus: tótus. quid uerbís opust?
Sí tergum cicátricosum, níhil hoc similist símilius.
Sét quom cogito, équidem certo idém sum qui sempér fui.
Nóui erum, noui aédis nostras: sáne sapio et séntio.
Nón ego illi optémpero quod lóquitur: pultabó foris.
ME. Quó agis te? SO. Domúm. ME. Quadrigas sí nunc inscendás Iouis
Átque hinc fugias, íta uix poteris écfugere infortúnium.
SO. Nón erae meae núntiare, quód erus meus iussít, licet?
ME. Tùae siquid uis núntiare: hanc nóstram adire nón sinam.
Nám si me inritássis, hodie lúmbifragium hinc aúferes.
SO. Ábeo potius. di ínmortales, ópsecro uostrám fidem,
Ṽbi ego perii? ubi ínmutatus sum? úbi ego formam pérdidi?
Án egomet me illíc reliqui, sí forte oblitús fui?

Nam híc quidem omnem imáginem meam, quae ántehac fuerat, póssidet.
Víuo fit, quod númquam quisquam mórtuo faciét mihi.
Íbo ad portum atque haéc uti sunt fácta, ero dicám meo:
Nísi etiam is quoque me ígnorabit, quód ille faxit Iúppiter,
Vti ego hodie ráso capite cáluos capiam píleum.
ME. Bene próspereque hoc óperis processít mihi:
Amóui a foribus máxumam moléstiam,
Patri út liceret túto illam amplexárier.
Iam ille íllue ad erum quom Ámphitruonem aduénerit,
Narrábit seruom hinc sése a foribus Sósiam
Amóuisse: ille adeo íllum mentirí sibi
Credét neque credet húc profectum, ut iússerat.
Erróris ambo ego íllos et deméntiae
Conplébo atque Amphitruónis omnem fámiliam,
Adeo úsque satietátem dum capiét pater
Illíus quam amat: ígitur demum omnés scient,
Quae fácta. denique Álcumenam Iúppiter
Redigét antiquam in cóniugis concórdiam.
Nam Amphítruo actutum uxóri turbas cónciet,
Atque ínsimulabit ĕam probri: tum méus pater
Eam séditionem illi ín tranquillum cónferet.
Nunc de Álcumena dúdum quod dixí minus,
Hodie ílla pariet fílios geminós duos:
Altér decumo post ménse nascetúr puer
Quam séminatust, álter mense séptumo.
Eorum Ámphitruonis álter est, altér Iouis.
Verúm minori púero maior ést pater,
Minór maiori. iámne hoc scitis quíd siet?
Set Álcumenae honóris huius grátia
Patér curabit úno ut fetu † fieret,

Vno út labore apsóluat aerumnás duas,
Et ne ín suspitióne ponatúr stupri,
Et clándestina ut céletur consuétio.
Quamquam, út iam dudum díxi, resciscét tamen
Amphítruo rem omnem. quíd igitur? nemo íd probro
Profécto ducet Álcumenae: nám deum
Non pár uidetur fácere, delictúm suum
Suámque ut culpam expétere in mortalém sinat.
Orátionem cónprimam: crepuít foris.
Amphítruo subditíuos eccum exít foras
[Atque] Álcumena [una] úxor usurária.

IVPPITER. ALCVMENA. MERCVRIVS.

IV. Béne uale, Alcuména, cura rém conmunem, quód facis,
Átque inperce quaéso: mensis iám tibi esse actós uides.
Míhi necessest íre hinc: uerum quód erit natum tóllito.
AL. Quíd istuc est, mi uír, negoti, quód tu tam subitó domo
Ábeas? IV. Edepol haút quod tui me néque domi distaédeat:
Sét ubi summus ímperator nón adest ad exércitum,
Cítius quod non fáctost usus fít quam quod factóst opus.
ME. Nímis hic scitust súcophanta, quí quidem sit méus pater.
Ópseruatote ĕum, quam blande múlieri palpábitur.
AL. Écastor te expérior quanti fácias uxorém tuam.
IV. Sátin habes, si féminarum núllast quam aeque díligam?
ME. Édepol ne illa si ístis rebus té sciat operám dare,
Égo faxĭm ted Ámphitruonem mális esse quám Iouem.

AL. Éxperiri istúc mauellem mé quam memorarí mihi.
Príus abis quam lécti ubi cubuísti concaluít locus.
Hére uenisti média nocte, núnc abis. hocín placet?
ME. Áccedam atque hanc áppellabo et súpparasitabór patri.
Númquam edepol quemquám mortalem crédo ego uxorém suam
Síc ecflictim amáre, proinde ut híc te ecflictim déperit.
IV. Cárnufex, non égo te noui? ábin e conspectú meo?
Quíd tibi hanc curátiost rem, uérbero, aut muttítio?
Quém pol ego hoc iam scípione . . . AL. Ah nóli. IV. Muttitó modo.
ME. Néquiter paene éxpediuit príma parasitátio.
IV. Vérum quod tu dícis, mea uxor, nón te mi irascí decet.
Clánculum abii ego á legione: hanc óperam subrupuí tibi,
Éx me primo ut príma scires, rem út gessissem púplicam.
Éa tibi omnia énarraui. nísi te amarem plúrumum,
Nón facerem. ME. Facítne ut dixi? tímidam palpo pércutit.
IV. Núnc ne legio pérsentiscat, clám illuc redeundúmst mihi,
Né me uxorem praéuortisse dícant prae re púplica.
AL. Lácrumantem ex abitú concinnas tú tuam uxorém. IV. Tace:
Né corrumpe oculós: redibo actútum. AL. Id actutúm diust.
IV. Nón ego te hic lubéns relinquo néque abeo aps te. AL. Séntio:
Nám qua nocte ad mé uenisti, eádem abis. IV. Quor mé tenes?
Témpus est: exíre ex urbe príus quam lucescát uolo.

Núnc tibi hanc paterám, quae dono mi ílli ob uirtutém datast,
Ptérela rex qui pótitauit, quem égo mea occidí manu,
Álcumena, tíbi condono. AL. Fácis ut alias rés soles:
Écastor condígnum donum, quálist qui donúm dedit.
ME. Ímmo sic condígnum donum, quálist quoi donó datumst.
IV. Pérgin autem? nónne ego possum, fúrcifer, te pérdere?
AL. Nóli amabo, Amphítruo, irasci Sósiae causá mea.
IV. Fáciam ita ut uis. ME. Éx amore hic ád modum quam saéuos est.
IV. Númquid uis? AL. Vt quom ápsim me ames, mé tuam apsentém tamen.
ME. Ĕamus, Amphitruó: lucescit hóc iam. IV. Abi prae, Sósia.
Iam égo sequar. numquíd uis? AL. Etiam: ut áctutum adueniás. IV. Licet:
Príus [enim] tua opínione hic ádero: [eo] bonum ánimum habe.
Núnc te, nox, quae mé mansisti, mítto ut concedás die,
Ýt mortalis ínlucescas lúce clara et cándida.
Átque quanto, nóx, fuisti lóngior hac próxuma,
Tánto breuior díes ut fiat fáciam, dispar út dies
Aéque noctem accédat. ibo ét Mercurium súpsequar.

———

ACTVS II.

AMPHITRVO. SOSIA.

AM. Age í tu secúndum. SO. Sequór, supsequór te.
AM. Sceléstissumúm te arbitrór. SO. Nam quamóbrem?
AM. Quia íd quod neque ést neque fuít neque futúrumst
Mihí praedicás. SO. Ecceré, iam tuátim
Facís tu, ut tuís nulla apút te fidés sit.
AM. Quid ést? quo modó? iam quidem hércle ego tibi ístam
Sceléstam, scelús, linguam apscídam. SO. Tuús sum
Proinde út commodúmst et lubét, quicque fácias.
Tamén quin loquár haec utí facta súnt hic,
Numquam úllo modó me potés deterrére.
AM. Sceléstissume, aúdes mihí praedicáre id,
Domí te esse núnc, qui hic adés. SO. Vera díco.
AM. Malúm quod tibí di dabúnt atque ego hódie
Dabo. SO. Ístuc tibíst in manú: nam tuús sum.
AM. Tun mé, uerbero, aúdes erúm ludificári?
Tune íd dicere aúdes, quod némo umquam homo ántehac
Vidít nec potést fierí, tempore úno
Homo ídem duóbus locís ut semúl sit?
SO. Profécto, ut loquór, res itást. AM. Iuppitér te
Perdát. SO. Quid malí sum, ere, tua éx re proméritus?

AM. Rogásne, inprobe, étiam qui lúdos facís me?
SO. Meritó maledicás mi, si [nón] id ita fáctumst.
Verum haú mentiór resque utí factast díco.
AM. Homo híc ebriúst, ut [ego] opíno. SO. Egone? AM. Tu ístic.
SO. Vtinam éssem ita. AM. Tu ea óptas quae fácta: ubi bibísti?
SO. Nusquam équidem. AM. Quid hoc hóminist? SO. Equidém deciens díxi:
Et dŏmi [nunc] sum ego, ínquam, ecquid aúdis? et ăput te
Adsúm Sosia ídem. satín plane ego hóc nunc,
Satín diserte ésse, ere, uideór tibi locútus?
AM. Vahá, apage te á me. SO. Quid [istúc] est negóti?
AM. Pestís te tenét. SO. Nam quor ístuc [mi] dícis?
Equidém ualeo récte et sum sáluos, Amphítruo.
AM. Át ego faciam te hódie, proinde ut méritu's, ut ualeás minus
Ét miser siés ex saluo iám, domum si rédiero.
Séquere, erum qui síc ludificas díctis delirántibus:
Quí quoniam erus quod ímperauit néglexisti pérsequi,
Núnc uenis etiam últro inrisum dóminum: quae neque fíeri
Póssunt neque fando úmquam accepit quísquam, ea profers, cárnufex:
Quŏius ego hodie in térgum faxo ista éxpetant mendácia.
SO. Ámphitruo, misérruma istaec míseriast seruó bono,
Áput erum qui uéra loquitur, si íd ui uerum uíncitur.
AM. Quo íd, malum, pactó potest nam (mécum argumentís puta)
Fíeri, nunc utí tu et hic sis ét domi, id dicí uolo.
SO. Súm profecto et híc et illi: hoc quoíuis mirarí licet,

Néque tibi, [Amphitruo,] ístuc mirum mágis uidetur quám mihi.
AM. Quó modo? SO. Nihilo, ínquam, mirumst mágis tibi istuc quám mihi:
Néque, ita di me amént, credebam prímo mihimet Sósiae,
Dónec Sosia égomet ille fécit sibi uti créderem.
Órdine omnia, út quicque actumst, quóm aput hostis sédimus,
Édissertauít: tum formam una ápstulit cum nómine.
Néque lac lacti mágis est simile quam ílle ego similis ést mei.
Nam út dudum ante lúcem a portu mé praemisistí domum,
AM. Quíd igitur? SO. Prius múlto ante aedis stábam quam illo aduéneram.
AM. Quás, malum, nugás? satin tu sánus es? SO. Sic sum út uides.
AM. Huíc homini nescio quid est malí mala obiectúm manu,
Póstquam a me abiit. SO. Fáteor: nam sum optúsus pugnis péssume.
AM. Quís te uerberáuit? SO. Egomet mémet, qui nunc súm domi.
AM. Cáue quicquam, nisi quód rogabo té, [iam] mihi respónderis.
Ómnium primum íste qui sit Sósia, hoc dicí uolo.
SO. Túus est seruos. AM. Míhi quidem uno té plus etiamst quám uolo,
Néque, postquam sum nátus, habui nísi te seruom Sósiam.
SO. Át ego nunc, Amphítruo, dico: Sósiam seruóm tuum
Praéter me alterum, ínquam, aduenieus fáciam ut offendás domi,

Dáuo prognatúm patre eodem quo égo sum, forma, aetáte item,
Qua égo sum. quid opust uérbis? geminus Sósia hic factúst tibi.
AM. Nímia memoras míra. set uidístine uxorém meam?
SO. Quín intro ire in aédis numquam licitumst. AM. Quis te próhibuit?
SO. Sósia ille, quém iam dudum díco, is qui me cóntudit.
AM. Quís istic Sosiást? SO. Ego, inquam. quótiens dicundúmst tibi?
AM. Sét quid ais? num obdórmiuisti dúdum? SO. Nusquam géntium.
AM. Íbi forte istum sí uidisses quéndam in somnis Sósiam.
SO. Nón soleo ego somniculose erí [mei] imperia pérsequi.
Vígilans uidi, uígilans nunc te uídeo, uigilans fábulor,
Vígilantem ille mé iam dudum uígilans pugnis cóntudit.
AM. Quís homo? SO. Sosia, ínquam, ego ille. quaéso, non intéllegis?
AM. Quí, malum, intellégere quisquam pótis est? ita nugás blatis.
SO. Vérum actutum nósces. AM. Quem? SO. Illum nósces seruom Sósiam.
AM. Séquere hac me igitur: nám mihi istuc prímum exquisitóst opus.
Sét uide ex naui écferantur quae ímperaui iam ómnia.
SO. Ét memor sum et díligens, ut quae ímperes conpáreant:
Nón ego cum uinó simitu ébibi imperiúm tuum.
AM. Ýtinam di faxínt, infecta dícta re eueniánt tua.

Alcvmena. (Thessala.) Amphitrvo. Sosia.

AL. Satín parua rés est uolúptatum in uíta atque in aétate agúnda,
Praequám quod moléstumst? ita quoíquest in aétate hominúm conparátum:
Ita dís est conplácitum, uolúptatem ut maéror comés consequátur:
Quin íncommodi plus malíque ilico ádsit, boní si optigít quid.
Nam ego íd nunc expérior domo átque ipsa dé me sció, quoi uolúptas
Parúmper datást, dum uirí mei fuít mi potéstas uidéndi
Noctem únam modo: átque is repénte abiit á me [nunc] hínc ante lúcem.
Sola híc mi nunc uídeor, quia ílle hinc abést, quem ego amó praeter ómnis.
Plus aégri ex abitú [mei] uirí quam ex aduéntu uolúptatis cépi.
Set hóc me beát saltem, quóniam [ille] uícit
Perdùellis et dòmum laudis cónpos reuénit.
Apsít, dum modó laude párta domúm se
Recípiat. feram ét perferam úsque abitum eius ánimo
Forti átque offirmáto: id modó si mercédis
Datúr mi, ut meús uictor uír belli clúeat,
Satís mi esse dúcam. optumúmst praemium uírtus:
Virtús omnibús rebus ánteit profécto:
Libértas, salús, uita, rés et paréntes
Et pátria et prognáti tutántur, seruántur:
Virtús omnia ín sese habét: omnia ádsunt
Bona, quém penes est uírtus.

AM. Édepol me uxori éxoptatum crédo aduenturúm domum,
Quaé me amat, quam cóntra amo: praesértim re gestá bene,
Víctis hostibús, quos nemo pósse superarí ratust:
Ĕos auspicio meo átque ductu prímo coetu uícimus.
Cérte enim me illi éxpectatum optáto uenturúm scio.
SO. Quíd? me non rere éxpectatum amícae uenturúm meae?
AL. Méus uir hic quidemst. AM. Séquere hac tu me. AL. Nám quid ille reuórtitur,
Quí dudum properáre se aibat? án ille me temptát sciens
Átque id se uolt éxperiri, súum abitum ut desíderem?
Écastor med haút inuita sé domum recipít suam.
SO. Ámphitruo, redíre ad nauem méliust nos. AM. Qua grátia?
SO. Quía domi datúrus nemost prándium aduenién-tibus.
AM. Quí tibi nunc istúc in mentemst? SO. Quía enim sero aduénimus.
AM. Quí? SO. Quia Alcuménam ante aedis stáre saturam intéllego.
AM. Gráuidam ego illanc híc reliqui, quom ábeo. SO. Hei, perií miser.
AM. Quíd tibist? SO. Ad aquám praehibendam cóm-modum aduení domum,
Décumo post mense, út rationem té ductare intéllego.
AM. Bóno animo es. SO. Scin quám bono animo sím? si situlam cépero,
Númquam edepol tu míhi diuini créduis post húnc diem,
Ní ego illi puteó, si occepso, ánimam omnem intertráxero.

AM. Séquere hac me modo. álium ego isti rei ádlegabo: né time.
AL. Mágis nunc me meum offícium facere, si huíc eam aduorsum, árbitror.
AM. Ámphitruo uxorém salutat laétus speratám suam,
Quam ómnium Thebís uir unam esse óptumam diiúdicat,
Quámque adeo ciués Thebani uéro rumificánt probam.
Váluistine usque? éxpectatun áduenio? SO. Hau uidí magis:
[Nam haéc maritum sŭum] salutat mágis haut quiquam quám canem
AM. Ét quom grauidam et quóm te pulcre plénam aspicio, gaúdeo.
AL. Ópsecro ecastór, quid tu me déridiculi grátia
Síc salutas átque appellas, quási dudum non uíderis,
Quási qui nunc primúm recipias té domum huc ex hóstibus?
[Atque me nunc proinde appellas, quasi multo post uideris.]
AM. Ímmo equidem te nísi nunc hodie núsquam uidi géntium.
AL. Quór negas? AM. Quia uéra didici dícere. AL. Haut aequóm facit,
Quí quod didicit íd dediscit. án periclitámini
Quíd animi habeam? sét quid huc uos cónuortimini tám cito?
Án te auspicium cónmoratumst án tempestas cóntinet,
Quí non abiisti ád legiones, íta uti dudum díxeras?
AM. Dúdum? quam dudum ístuc factumst? AL. Témptas: iam dudúm, modo.
AM. Quí istuc potis est fíeri, quaeso, ut dícis: iam dudúm, modo?

AL. Quíd enim censes? te út deludam cóntra, luserém meum,
Quí nunc primum te áduenisse dícas, modo qui hinc ábieris?
AM. Haéc quidem delíramenta lóquitur. SO. Paulispér mane,
Dum édormiscat únum somnum. AM. Quaéne uigilans sómniat?
AL. Équidem ecastor uígilo et uigilans íd quod factumst fábulor:
Nám dudum ante lúcem et istunc ét te uidi. AM. Quo ín loco?
AL. Híc in aedibus, úbi tute habitas. AM. Númquam factumst. SO. Nón taces?
Quíd, si e portu náuis huc nos dórmientis détulit?
AM. Étiam tu quoque ádsentaris huíce? SO. Quid uis fíeri?
Nón tu scis, Bacchaé bacchanti sí uis aduorsárier,
Éx insana insániorem fácies, feriet saépius:
Si ópsequare, uná resoluas plága? AM. At pol qui cérta res
Hánc est obiurgáre, quae me hódie aduenientém domum
Nóluerit salútare. SO. Inritábis crabronés. AM. Tace
Álcumena, unúm rogare té uolo. AL. Quiduís roga.
AM. Núm tibi aut stultítia accessit aút superat supérbia?
AL. Quí istuc in mentémst tibi ex me, mí uir, percontárier?
AM. Quía salutare áduenientem mé solebas ántidhac,
Áppellare itidem út pudicae sŭos uiros, quae súnt, solent.
Éo more expertém te factam aduéniens offendí domi.

AL. Écastor quidém te certo áduenientem heri ílico
Ét salutaui ét ualuissesne úsque exquisiuí semul,
Mí uir, et manúm prehendi et aúsculum tetulí tibi.
SO. Túne heri hunc salútauisti? AL. Et té quoque etiam, Sósia.
SO. Ámphitruo, speráui ego istam tíbi parturam fílium:
Vérum non est púero grauida. AM. Quíd igitur? SO. Insánia.
AL. Équidem sana sum ét deos quaeso, ut sálua pariam fílium:
Vérum tu malum mágnum habebis, si híc suum officiúm facit:
Ób istuc omen, óminator, cápies quod te cóndecet.
SO. Ĕnimuero praegnáti oportet [múlieri] malúm dari,
V́t quod obrodát sit, animo sí male esse occéperit.
AM. Tún me heri hic uidísti? AL. Ego, inquam, sí uis deciens dícier.
AM. Ín somnis fortássis? AL. Immo uígilans uigilantem. AM. Heí mihi.
SO. Quíd tibist? AM. Delírat uxor. SO. Átra bili pércitast:
Núlla res tam délirantis hómines concinnát cito.
AM. V́bi tu primum tíbi sensisti, múlier, inplicíscier?
AL. Équidem ecastor sána et salua súm. AM. Quor igitur praédicas,
Té heri me uidísse, qui hac noctu ín portum aduectí sumus?
Íbi cenaui atque íbi quieui in náui noctem pérpetem
Néque pedem meum huc íntuli etiam in aédis, ut cum exércitu
Hínc profectus sum ád Teleboas hóstis eosque ut uícimus.

AL. Ímmo mecum cénauisti et mécum cubuistí. AM. Quid est?
AL. Véra dico. AM. Nón quidem hercle de hác re: de aliis néscio.
AL. Prímulo dilúculo abiisti ád legiones. AM. Quó modo?
SO. Récte dicit, út conmeminit: sómnium narrát tibi.
Sét, mulier, postquam éxperrecta's, té prodigialí Ioui
Aút mola salsa hódie aut ture cóuprecatam opórtuit.
AL. Vaé capiti tuó. SO. Tua istuc réfert, si curáueris.
AL. Íterum iam hic in me ínclementer dícit, atque id síne malo.
AM. Táce tu. tu dic: égone aps te abii hinc hódie cum dilúculo?
AL. Quís igitur nisi uós narrauit mi ílli ut fuerit praélium?
AM. Án etiam id tu scís? AL. Quippe ex te audíui, ut urbem máxumam
Éxpugnauissés regemque Ptérelam tute occíderis.
AM. Égone istuc dixí? AL. Tute istic, étiam astante hoc Sósia.
AM. Aúdiuistin tú me narrare hódie haec? SO. Vbi ego audíuerim?
AM. Háuc roga. SO. Me quidem praesente númquam factumst quód sciam.
AL. Mírum quin te aduórsus dicat. AM. Sósia, age me huc áspice.
SO. Spécto. AM. Vera uólo loqui te, nólo adsentarí mihi.
Aúdiuistin tu hódie me illi dícere ea quae illa aútumat?

SO. Quaéso edepol, num tú quoque etiam insánis, quom id me intérrogas,
Qui ípsus equidem núnc primum istanc técum conspició semul?
AM. Quíd nunc, mulier? aúdin illum? AL. Ego uéro, ac falsum dícere.
AM. Néque tu illi neque míhi uiro ipsi crédis? AL. Eo fit, quía mihi
Plúrumum credo ét scio istaec fácta proinde ut próloquor.
AM. Túu me heri aduenísse dicis? AL. Tún te abisse hodie hínc negas?
AM. Négo enimuero et me áduenire núnc primum aio ad té domum.
AL. Ópsecro, etiamne hóc negabis, te aúream paterám mihi
Dĕdisse dono hodié, qua te illi dónatum esse díxeras?
AM. Néque edepol dedí neque dixi: uérum ita animatús fui
Ítaque nunc sum, ut ĕa te patera dónem. set quis istúc tibi
Díxit? AL. Equidem ego éx te audiui et éx tua accepí manu
Páteram. AM. Mane, mane, ópsecro te. nímis demiror, Sósia,
Quí illaec illi mé donatum esse aúrea paterá sciat,
Nísi tu dudum hanc cónuenisti et nárrauisti haec ómnia.
SO. Néque edepol ego díxi neque istam uídi nisi tecúm semul.
AM. Quíd hoc est hominis? AL. Vín proferri páteram? AM. Proferrí uolo.
AL. Fíat. i tu, Théssala, intus páteram profertó foras,

Qua hódie meus uir mé donauit. AM. Sécede huc tu, Sósia.
Ĕnimuero illut praéter alia míra miror máxume,
Si haéc habet pateram íllam. SO. An etiam id crédis, quae in hac cístula
Tŭo signo opsignáta fertur? AM. Sáluom signumst? SO. Ínspice.
AM. Récte: itast ut ópsignaui. SO. Quaéso, quin tu istánc iubes
Pró cerrita círcumferri? AM. Édepol qui factóst opus:
Nam haéc quidem edepol láruarum plénast. AL. Quid uerbís opust?
Én pateram tibi: éccam. AM. Cedo mi. AL. Age áspice huc sis núnc ïam
Tú, qui quae facta ínfitiare, quem égo iam hic conuincám palam.
Éstne haec patera, quá donatu's ílli? AM. Summe Iúppiter,
Quíd ego uideo? haec ĕast profecto pátera. perii, Sósia
SO. Aút pol haec praestígiatrix múlto mulier máxumast
Aút hic pateram inésse oportet. AM. Ágedum, eam solue cístulam.
SO. Quíd ego istam exoluam? ópsignatast récte. res gestást bene:
Tu [álium] peperisti Ámphitruonem, ego álium peperi Sósiam:
Núnc si pateram pátera peperit, ómnes congemináuimus.
AM. Cértumst aperire átque inspicere. SO. Víde sis signi quíd siet,
Né posterius ín me culpam cónferas. AM. Aperí modo.
Nam haéc quidem nos délirantis fácere dictis póstulat.

AL. Ýnde haec igitur ést nisi aps te, quaé mihist donó data?
AM. Ópus mist istuc éxquisito. SO. Iúppiter, pro Iúppiter.
AM. Quíd tibist? SO. Hic pátera nulla in cístulast. AM. Quid ego aúdio?
SO. Íd quod uerumst. AM. Át cruciatu iám, nisi apparét, tuo.
AL. Haéc quidem apparét. AM. Quis igitur tíbi dedit? AL. Qui mé rogat.
SO. Mé captas, quia túte ab naui clánculum huc aliá uia
Praécucurristi átque hinc pateram túte exemisti átque eam
Huíc dedisti, pósthac rusum opsígnauisti clánculum.
AM. Heí mihi, etiam tú quoque huius ádiuuas insániam?
Ăin heri nos áduenisse huc? AL. Áio, adueniensque ílico
Mé salutauísti et ego te et aúsculum tetulí tibi.
SO. Iám illuc non placét principium de aúsculo AM. Perge éxequi.
AL. Láuisti. AM. Quid, póstquam laui? AL. Áccubuisti. SO. Euge, óptume.
Núnc exquire. AM. Ne ínterpella. pérge porro dícere.
AL. Céna adpositast: cóncenasti mécum: ego accubuí semul.
AM. Ín eodemne lécto? AL. In eodem. SO. Hei, nón placet conuíuium.
AM. Síne modo arguménta dicat. quíd, postquam cenáuimus?

AL. Té dormitare àibas: mensa ablátast: cubitum hinc ábiimus.
AM. Ýbi tu cubuisti? AL. Ín eodem tecum úna lecto in cúbiculo.
AM. Pérdidisti. SO. Quíd tibist? AM. Haec mé modo ad mortém dedit.
AL. Quíd iam, amabo? AM. Né me appella. SO. Quíd tibist? AM. Perií miser,
Quía pudicitiae húius uitium me hínc apsentest ádditum.
AL. Ópsecro ecastór, quor istuc, mí uir, ex ted aúdio?
AM. Vír ego tuus sim? né me appella, fálsa, falso nómine.
SO. Haéret haec res, sí quidem haec iam múlier factast éx uiro.
AL. Quíd ego feci, quá istaec propter dícta dicantúr mihi?
AM. Túte edictas fácta tua: ex me quaéris, quid delíqueris?
AL. Quíd ego tibi delíqui, si quoi núpta sum tecúm fui?
AM. Tún mecum fuerís? quid illac ínpudenti audáciust?
Sáltem, tuipte sí pudoris égeas, sumas mútuom.
AL. Ístuc facinus, quód tu insimulas, nóstro generi nón decet.
Tú si me inpudícitiai cáptas, capere nón potes.
AM. Di ínmortales: cógnoscisne tú me saltem, Sósia?
SO. Própemodum. AM. Cenáuine ego heri in náui in portu Pérsico?
AL. Míhi quoque adsunt téstes, qui illut quód ego dicam adséntiant.

SO. Néscio quid istúc negoti dícam, nisi si quíspiamst
Ámphitruo alius, [qui forte te hic absente tamen
Tuam rem curet] té qui apsente hic múnus fungatúr tuum.
Námque de illo súbditiuo Sósia mirúmst nimis.
Cérte de istoc Ámphitruone iam álterum mirúmst magis.
AM. Néscio quis praestígiator hánc frustratur múlierem.
AL. Pér supremi régis regnum iúro et matrem fámilias
Iúnonem, quam mé uereri et métuerest par máxume,
Ýt mi extra unum té mortalis némo corpus córpore
Cóntigit, quo me ínpudicam fáceret. AM. Vera istaéc uelim.
AL. Véra dico, sét nequiquam, quóniam non uis crédere.
AM. Múlier es, audácter iuras. AL. Quaé non deliquít, decet
Aúdacem esse, cónfidenter pró se et proterué loqui.
AM. Sátis audacter. AL. Ýt decet pudícam. AM. Ain? tu uerbís probas.
AL. Nón ego illam míhi dotem esse dúco, quae dos dícitur,
Sét pudicitiam ét pudorem et sédatum cupídinem,
Dĕum metum et paréntum amorem et cógnatum concórdiam,
Tíbi morigera atque út munifica sím bonis, prosím probis.
SO. Ne ísta edepol, si uéra haec loquitur, éxamussimst óptuma.
AM. Délenitus súm profecto ita, út me qui sim nésciam.
SO. Ámphitruo's profécto: caue sis né tu te usu pérduis:

Íta nunc homines ínmutantur, póstquam peregre aduénimus.
AM. Múlier, istanc rem ínquisitam cértumst non amíttere.
AL. Édepol me lubénte facies. AM. Quíd ais? respondé mihi:
Quíd, si adduco tùum cognatum húc ab naui Naúcratem,
Quí mecum una uéctust una náui: atque is si dénegat
Fácta, quae tu fácta dicis, quíd tibi aequomst fíeri?
Númquid causam dícis, quin te hoc múltem matrimónio?
AL. Sí deliqui, núlla causast. AM. Cónuenit. tu, Sósia,
Dúc hos intro. ego húc ab naui mécum adducam Naúcratem.
SO. Núnc quidem praetér nos nemost: díc mihi uerum sério,
Écquis alius Sósia intust, quí mei similís siet?
AL. Ábin hinc a me, dígnus domino séruos? SO. Abeo, sí iubes.
AL. Nímis ecastor fácinus mirumst, quí illi conlubitúm siet
Méo uiro, sic me ínsimulare fálso facinus tám malum.
Quídquid est, iam ex Naúcrate id cognáto cognoscám meo.

ACTVS III.

IVPPITER.

Ego sum ílle Amphitruo, quòius est seruos Sósia,
Idém Mercurius quí fit quando cómmodumst,
In súperiore quí habito cenáculo,
Qui intérdum fio Iúppiter, quandó lubet.
Huc aútem quom extemplo áduentum adporto, ílico
Amphítruo fio et uéstitum inmutó meum.
Nunc húc honoris uóstri uenio grátia,
Ne hanc ínchoatam tránsigam comoédiam.
Semul Álcumenae, quám uir insontém probri
Amphítruo accusat, uéni ut auxiliúm feram:
Nam méa sit culpa, quód egomet contráxerim,
Si id ínnocenti [inmérito damnosum] éxpetat.
Nunc mémet Amphitruónem, ut occepí semel,
[Iterum] ésse adsimulabo átque in horunc fámiliam
Hodié frustratiónem iniciam máxumam.
Post ígitur demum fáciam ut res fiát palam
Atque Álcumenae in témpore auxiliúm feram
Faciámque ut uno fétu et quod grauidást uiro
Et mé quod grauidast páriat sine dolóribus.
Mercúrium iussi mé continuo cónsequi,
Siquíd uellem imperáre. nunc hanc ádloquar.

ALCVMENA. IVPPITER.

AL. Duráre nequeo in aédibus. ita mé probri,
Stuprí, dedecoris á uiro argutám meo:
Ea quaé sunt facta infécta re esse occlámitat:
Quae néque sunt facta néque ego in me admisi, árguit
Atque íd me susque déque esse habiturám putat.
Non édepol faciam néque me perpetiár probri
Falso ínsimulatam, quín ego illum aut déseram
Aut fáciat satis ille átque adiuret ínsuper,
Nolle ésse dicta quae ín me insontem prótulit.
IV. Faciúndumst mi illut, fíeri quod illaec póstulat,
Si me íllam amantem ad sése studeam récipere:
Quando égo quod feci id fáctum Amphitruoni óffuit
Atque ílli dudum méus amor negótium
Insónti exhibuit: núnc autem insontí mihi
Illíus ira in hánc et maledicta éxpetent.
AL. Et éccum uideo, [módo] me miseram qui árguit
Stuprí, dedecoris. IV. Té uolo, uxor, cónloqui.
Quor téd auortisti? AL. Ést ita ingeniúm meum:
Inimícos semper ósa sum optuérier.
IV. Heia aútem inimicos? AL. Síc est, uera praédico:
Nisi étiam hoc falso díci insimulatúrus es.
IV. Nimis íracunda's. AL. Pótin ut apstineás manum?
Nam cérto si sis sánus aut sapiás satis,
Quam tu ínpudicam esse árbitrere et praédices,
Cum ea tú sermonem néc ioco nec sério
Tibi hábeas, nisi sis stúltior stultíssumo.
IV. Si díxi, nihilo mágis es neque ego esse árbitror,
Et id húc reuorti utí me purgarém tibi.

Nam númquam quicquam méo animo fuit aégrius
Quam póstquam audiui, téd esse iratám mihi.
Quor díxisti? inquiés. ego expediám tibi.
Non édepol quo te esse ínpudicam créderem:
Verúm periclitátus sum animúm tuum,
Quid fáceres et quo pácto id ferre indúceres.
Equidém ioco illa díxeram dudúm tibi,
Ridículi causa. uél hoc rogato Sósiam.
AL. Quin húc adducis mèum cognatum Naúcratem,
Testém quem dudum te ádducturum díxeras,
Te huc nón uenisse? IV. Síquid dictumst pér iocum,
Non aéquomst id te sério praeuórtier.
AL. Ego íllum scio quam dóluerit cordí meo.
IV. Per déxteram tuam te, Álcumena, oro, ópsecro
Te, dá mi hanc ueniam, ignósce, irata né sies.
AL. Ego ístaec feci uérba uirtute ínrita.
Nunc quándo factis sum ínpudicis ápstinens,
Ab ínpudicis díctis auortí uolo.
Valeás, tibi habeas rés tuas, reddás meas.
Iubén mihi comites? IV. Sánan' es? AL. Si nón iubes,
Sinitó: Pudicitiam égomet comitem dúxero.
IV. Mane, árbitratu tŭo ius iurandúm dabo,
Me mĕam pudicam esse úxorem arbitrárier.
Id égo si fallo, túm te, summe Iúppiter,
Quaeso Ámphitruoni ut sémper iratús sies.
AL. Ah, própitius sit pótius. IV. Confidó fore:
Nam iús iurandum uérum te aduorsúm dedi.
Iam núnc irata nón es? AL. Non sum. IV. Béne facis.
Nam in hóminum aetate múlta eueniunt hŭius modi:
Capiúnt uoluptates, cápiunt rusum míserias:

Irae ínterueniunt, rédeunt rusum in grátiam.
Verum írae siquae fórte eueniunt hùius modi
Intér eos: rusum sí reuentum in grátiamst,
Bis tánto amici súnt inter se quám prius.
AL. Primúm cauisse opórtuit ne díceres:
Verum éadem si idem míhi purgas, patiúnda sunt.
IV. Iube uéro uasa púra adornarí mihi,
Vt quae ăput legionem uóta uoui, sí domum
Redíssem saluos, éa ego ut exoluam ómnia.
AL. Ego istúc curabo. IV. Éuocate huc Sósiam:
Gubérnatorem, quí mea in nauí fuit,
Blepharónem arcessat, quí nobiscum prándeat.
Is ádeo inpransus [hódie] ludificábitur,
Dum ego Ámphitruonem cóllo hinc opstrictó traham.
AL. Mirúm quid solus sécum secreto ílle agat.
Atque áperiuntur aédes: exit Sósia.

SOSIA. IVPPITER. ALCVMENA.

SO. Ámphitruo, adsum: síquid opus est ímpera, imperium éxequar.
IV. Óptume aduenís. SO. Iam pax est [fácta] uos intér duos?
Nám quia uos tranquíllos uideo, gaúdeo et uolup ést mihi.
Átque ita seruom pár uidetur frúgi sese instítuere:
Pròinde eri ut sint, ípse item sit: uóltum e uoltu cónparet:
Trístis sit, si erí sint tristes: hílarus sit, si gaúdeant.
Sét age respondé: iam uos redístis in concórdiam?
IV. Dérides, qui scís haec dudum mé dixisse pér iocum.

SO. Án illut ioculo díxisti? equidem sério ac ueró ratus.
IV. Át habui expurgátionem: fácta pax est. SO. Óptumest.
IV. Égo rem diuinam íntus faciam, uóta quae sunt. SO. Cénseo.
IV. Tú gubernatórem ab naui huc éuoca uerbís meis
Blépharonem, is uti ré diuina fácta mecum prándeat.
SO. Iam híc ero, quom illí censebis ésse me. IV. Actutum húc redi.
AL. Númquid uis, quin ábeam iam intro, ut ádparentur quíbus opust?
IV. Í sane et quantúm potest paráta fac sint ómnia.
AL. Quín uenis quandó uis intro: fáxo haut quicquam sít morae.
IV. Récte loquere et prŏinde diligéntem ut uxorém decet.
Iam hisce ámbo, et seruos ét era, frustra súnt duo,
Qui me Ámphitruonem réntur esse: erránt probe.
Nunc tú diuine mi húc fac adsis Sósia.
Audís quae dico, tămetsi praesens nón ades.
Fac Ámphitruonem iam áduenientem ab aédibus
Vt ábigas quouis pácto conmentús sies.
Volo déludi illum, dúm cum hac usurária
Vxóre mihi nunc mórigero. haec curáta sint
Fac sís, proinde adeo ut uélle med intéllegis,
Atque út ministres míhi, quom sacruficém mihi.

MERCVRIVS.

Concédite atque apscédite omnes, dé uia decédite.
Nec quísquam [nunc] tam audáx fuat homo qui óbuiam opsistát mihi.
Nam míhi quidem hercle quí minus liceát deo minitárier
Populó, ni decedát mihi, quam séruolo in comoédiis?
Ille náuem saluam núntiat aut írati aduentúm senis:
Ego súm Ioui dicto aúdiens, eius iússu nunc huc me ádfero.
Quam ob rém mihi magis par ést uia decédere et concédere.
Patér uocat me, eúm sequor, eius dícto imperio sum aúdiens.
Vt fílium bonúm patri esse opórtet, item ego súm patri·
Amánti supparasítor, hortor, ásto, admoneo, gaúdeo.
Siquíd patri uolup ést, uoluptas éa mi multo máxumast.
Amát? sapit: recté facit, animó quando opsequitúr suo:
Quod ómnis homines fácere oportet, dúm modo id fiát bono.
Nunc Ámphitruonem uólt deludi méus pater: faxó probe
Iam hic déludetur, spéctatores, uóbis inspectántibus.
Capiám coronam mi ín caput, adsímulabo me esse ébrium.
Atque íllue susum escéndero: inde óptume aspellám uirum
De súpero, quom huc accésserit: faciam út sit madidus sóbrius.
Deinde ílli actutum súfferet suus séruos poenas Sósia:
Eum fécisse ille hodie árguet, quae ego fécero hic: quid íd mea?

Meo me aéquomst morigerúm patri [esse]: eius stúdio seruire áddecet.
Set éccum Amphitruonem: áduenit. iam ille híc deludetúr probe,
Si quidem uos uoltis aúscultando operám dare.
Ibo íntro, ornatum cápiam qui potís decet:
Dein súsum escendam in téctum, ut illum hinc próhibeam.

AMPHITRVO.

Naúcratem quem cónuenire uólui in naui nón erat,
Néque domi neque in úrbe inuenio quémquam qui illum uíderit:
Nam ómnis plateas pérreptaui, gýmnasia et myropólia,
Áput emporium atque ín macello, ín palaestra atque ín foro,
Ín medicinis, ín tonstrinis, áput omnis aedís sacras.
Súm defessus quaéritando, núsquam inuenio Naúcratem.
Núnc domum ibo atque éx uxore mea hánc rem pergam exquírere,
Quís fuerit, quem própter corpus sŭum stupri conpléuerit.
Nám me quam illam quaéstionem inquísitam hodie amíttere
Mórtuom satiúst. set aedis óccluserunt. eúgepae:
Páriter hoc fit átque ut alia fácta sunt: feriám foris.
Áperite hoc: heus, écquis hic est? écquis hoc aperit óstium?

MERCVRIVS. AMPHITRVO.

ME. Quíst ad foris? AM. Ego súm. ME. Quis 'ego sum'? AM. Íta loquor. ME. Tibi Iúppiter
Díque omnes iráti certo súnt, qui sic frangás foris.
AM. Quó modo? ME. Eo modo, út profecto uíuas aetatém miser.
AM. Sósia. ME. Ita: sum Sósia, nisi [mei] mé esse oblitum exístumas.
Quíd nunc uis? AM. Sceléste, at etiam quíd uelim, id tu mé rogas?
ME. Íta rogo: paene écfregisti, fátue, foribus cárdines.
Án foris censébas nobis púplicitus praehibérier?
Quíd me aspectas, stólide? quid nunc uís tibi aut quis tú's homo?
AM. Vérbero, etiam quís ego sim me rógitas, ulmorum Ácheruns?
Quém pol ego hodie ob ístaec dicta fáciam feruentém flagris.
ME. Pródigum te fuisse oportet ólim in adulescéntia.
AM. Quídum? ME. Quia senécta in aetate á me mendicás malum.
AM. Cúm cruciatu tuo ístaec hodie, uérna, uerba fúnditas.
ME. Sácrufico ego nunc tíbi. AM. Qui? ME. Quia enim té macto infortúnio.

. . . .

* * * * * * * *

* * * * * * *

* * * * * * * *

ACTVS IIII.

* * * * * * * *

* * * * * * *

* * * * * * * *

BLEPHARO. AMPHITRVO. IVPPITER.

. . . .

BL. Vós [ista] inter uós partite: ego ábeo, mihi negótiumst:
Néque ego umquam usquam tánta mira mé uidisse cénseo.
AM. Blépharo, quaeso ut áduocatus mi ádsis neue abeás. BL. Vale.
Quíd opus est med áduocato, quí me utri sim néscio?
IV. Íntro ego hinc eo: Álcumena párturit. AM. Perií miser:
Nám quid ego ago, quem áduocati iam átque amici déserunt?
Númquam edepol me inúltus istic lúdificabit, quísquis est.
Iám me ad regem récta ducam résque ut factast éloquar.
Égo pol illum ulcíscar hodie Théssalum uenéficum,
Quí peruorse pérturbauit fámiliae mentém meae.
Sét ubi illest? intro édepol abiit, crédo ad uxorém meam.
Quí me Thebis álter uiuit míserior? quid núnc agam?

4*

Quem ómnes mortalés ignorant ét ludificant út lubet.
Cértumst, intro rúmpam in aedis: úbi quemque hominem aspéxero,
Síue ancillam, síue seruom, si úxorem, si adúlterum,
Sí patrem, si auóm uidebo, [eum] óptruncabo in aédibus:
Néque me Iuppitér neque di omnes íd prohibebunt, sí uolent,
Quín sic faciam utí constitui: pérgam in aedis núnc ïam.

ACTVS V.

BROMIA. AMPHITRVO.

BR. Spes átque opes uitaé meae iacént sepultae in péctore
Neque úllast confidéntia in meo córde, quin amíserim.
Ita míhi uidentur ómnia, mare, térra, caelum cónsequi,
Iam ut ópprimar, ut énicer. me míseram: quid agam néscio.
Ita tánta mira in aédibus sunt fácta: uae miseraé mihi.
Animó malest, aquám uelim: corrúmpta sum atque apsúmpta sum.
Capút dolet neque aúdio neque óculis prospició satis.
Nec mé miserior féminast neque úlla uideatúr magis.
Ita eraé meae hodie cóntigit: nam ubi pártuis deos sibi ínuocat,
Strepitús, crepitus, sonitús, tonitrus: subito út propere, ut ualidé tonuit.
Vbi quísque institerat, cóncidit crepitu: íbi nescio quis máxuma
Vóce exclamat: 'Álcumena, adést auxilium, né time:
Ét tibi et tuís propitius caéli cultor áduenit.
Exúrgite' inquit 'quí terrore meo óccidistis praé metu'.
Vt iácui, exurgo: ardére censui aédis: ita tum cónfulgebant.

Íbi me inclamat Álcumena: iam éa res me horrore ádficit.
Erílis praeuortít metus: adcúrro ut sciscam quíd uelit:
Atque íllam geminos fílios puerós peperisse cónspicor:
Neque nóstrum quisquam sénsimus, quom péperit, neque prouídimus.
Sét quid hoc? quis hic ést senex,
Qui ante aédis nostras síc iacet? numnam húnc percussit Iúppiter?
Credo édepol: nam pro Iúppiter, sepúltust quasi sit mórtuos.
Ibo út cognoscam, quísquis est. est Ámphitruo hic quidem érus meus.
Amphítruo. AM. Perii. BR. Súrge. AM. Interii. BR. Cédo manum. AM. Quis mé tenet?
BR. Tua Brómia ancilla. AM. Tímeo totus, íta me increpuit Iúppiter.
Nec sécus est quasi si ab Ácherunte uéniam. set quid tú foras
Egréssa's? BR. Eadem nós formido tímidas terrore ínpulit:
In aédibus, ubi tute hábitas, nimia míra uidi. uaé mihi,
Amphítruo: ita animus [méus] mihi etiam núnc abest. AM. Agedum éxpedi:
Scin mé tuum esse erum Ámphitruonem? BR. Scío. AM. Vide etiam núnc. BR. Scio.
AM. Haec sóla sanam méntem gestat mèorum familiárium.
BR. Immo ómnes sani súnt profecto. AM. At me úxor insaním facit
Suis foédis factis. BR. Át ego faciam tu ídem ut aliter praédices,

Ámphitruo: piam ét pudicam túam esse uxorem utí scias,
De ĕa re signa atque árgumenta paúcis uerbis éloquar.
Ómnium primum Álcumena géminos peperit fílios.
AM. Ăin tu, geminos? BR. Géminos. AM. Di me séruant. BR. Sine me dícere,
Ýt scias tibi tŭaeque uxori dèos esse omnis própitios.
AM. Lóquere. BR. Postquam párturire hodie úxor occepít tua,
Ýbi utero exortí dolores, út solent puérperae:
Ínuocat deos ínmortalis, út sibi auxiliúm ferant,
Mánibus puris, cápite operto. íbi continuo cóntonat
Sónitu maxumo. aédis primo rúere rebamúr tuas:
Aédes totae cónfulgebant tŭae, quasi essent aúreae.
AM. Quaéso, apsoluito hínc me extemplo, quándo satis delúseris.
Quíd fit deinde? BR. Dum haéc aguntur, ínterea uxorém tuam
Néque gementem néque plorantem nóstrum quisquam audíuimus:
Íta profecto síne dolore péperit. AM. Iam istuc gaúdeo,
Ýtut erga me méritast. BR. Mitte ista átque haec quae dicam áccipe.
Póstquam peperit, púeros lauere iússit nos. occépimus.
Sét puer ille quém ego laui, ut mágnust, ut multúm ualet.

Néque eum quisquam cónligare quíuit incunábulis.
AM. Nímia mira mémoras: si istaec uéra sunt, diuínitus
Nón metuo meae quín uxori látae suppetiaé sient.
BR. Mágis iam faxo míra dices. póstquam in cunas cónditust,
Déuolant angués iubati dĕorsum in inpluuiúm duo
Máxumi: contínuo extollunt ámbo capita. AM. Heí mihi.
BR. Né paue. set ángues oculis ómnis circumuísere.
Póstquam pueros cónspicati, pérgunt ad cunás citi:
Égo cunas recéssim rursum uórsum trahere et dúcere
Métuens pueris, míhi formidans, tántoque angues ácrius
Pérsequi. postquám conspexit ánguis ille altér puer,
Cítus e cunis éxilit, facít recta in [eos] ínpetum:
Álterum alterá prehendit ĕos manu perníciter.
AM. Míra memoras: nímis formidolósum facinus praédicas:
Nám mihi horror mémbra misero pércipit dictís tuis.
Quíd fit deinde? pórro loquere. BR. Púer ambo anguis énicat.
Dum haéc aguntur, uóce clara inclámat uxorém tuam
AM. Quís homo? BR. Summus ímperator díuom atque hominum Iúppiter:
Ís se dixit cum Álcumena clám consuetum cúbitibus,

Ĕumque filiúm suum esse, quí illos anguis uícerit:
Álterum tuum ésse dixit púerum. AM. Pol me hau paénitet,
Sí licet boní dimidium míhi diuidere cúm Ioue.
Ábi domum, iube uása pura actútum adornarí mihi,
Vt Iouis suprémi multis hóstiis pacem éxpetam.
Égo Tiresiam cóniectorem áduocabo et cónsulam,
Quíd faciundum cénseat, semul hánc rem ut factast éloquar.
Sét quid hoc? quam uálide tonuit. di, ópsecro uostrám fidem.

IVPPITER. AMPHITRVO.

IV. Bono ánimo es: adsum ego aúxilio, Amphitruó, tibi:
Nihil ést quod timeas: áriolos, arúspices
Mitte ómnis: quae futúra et quae facta éloquar,
Multo ádeo melius quam ílli, quom sum Iúppiter.
Primum ómnium Alcuménae usuram córporis
Cepi ét concubitu gráuidam feci fílio.
Tu gráuidam item fecísti, quom in exércitum
Proféctu's: uno pártu duos pepérít semul.
Eorum álter, nostro quíst susceptus sémine,
Suis fáctis te inmortáli adficiet glória.
Tu cum Álcumena uxóre antiquam in grátiam

Redi: haú promeruit quam ób rem uitio uórteres:
Mea uí subactast fácere. ego in caelúm migro.
AM. Fáciam ita ut iubés et te oro prómissa ut serués tua.
Íbo ad uxorem íntro: missum fácio Tiresiám senem.
CANTOR. Spéctatores, núnc Iouis summi caúsa clare plaúdite.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 ad 152 iambici senarii
- 153 ad 158 iambici octonarii
- 159 anapaesticus dimeter acatalectus
- 160 anapaesticus monometer acatalectus
- 161 et 162 anapaestici dimetri acatalecti
- 163 ad 176 bacchiaci tetrametri acatalecti (167 insiticius)
- 177 bacchiacus dimeter acatalectus
- 178 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 179 bacchiacus trimeter acatalectus
- 180 ad 218 iambici octonarii
- 219 ad 236 cretici tetrametri acatalecti
- 237 ut videtur corruptus
- 238 ad 246 cretici tetrametri acatalecti
- 247 ut videtur corruptus
- 248 ad 262 iambici octonarii
- 263 ad 462 trochaici septenarii
- 463 ad 498 iambici senarii
- 499 ad 550 trochaici septenarii
- 551 ad 582 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 583 ad 632 trochaici septenarii
- 633 ad 641 bacchiaci hexametri acatalecti
- 642 ad 652 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 653 bacchiacus dimeter acatalectus
- 654 ad 860 trochaici septenarii
- 861 ad 955 iambici senarii
- 956 ad 973 trochaici septenarii
- 974 ad 983 iambici senarii
- 984 ad 1005 iambici octonarii

V. 1006 ad 1008 iambici senarii
- 1009 ad 1052 trochaici septenarii
- 1053 ad 1061 iambici octonarii
- 1062 anapaesticus octonarius
- 1063 iambicus octonarius
- 1064 et 1065 trochaici septenarii
- 1066 iambicus octonarius
- 1067 iambicus octonarius hypermeter
- 1068 trochaicus septenarius
- 1069 ad 1071 iambici octonarii
- 1072 trochaicus dimeter catalecticus
- 1073 ad 1085 iambici octonarii
- 1086 ad 1130 trochaici septenarii
- 1131 ad 1142 iambici senarii
- 1143 ad 1145 trochaici septenarii.

T. MACCI PLAVTI

C A P T I V I.

GRAECA [ANAXANDRIDI].

ARGVMENTVM.

Captúst in pugna Hégionis fílius.
Aliúm quadrimum fúgiens seruos uéndidit.
Patér captiuos cónmercatur Áleos
Tantúm studens ut gnátum recuperét [suum],
Et ín ibus emit ólim amissum fílium.
Is sŭo cum domino uéste uorsa ac nómine
Vt [is] ámittatur fécit: ipsus pléctitur.
Et ís reduxit cáptum et fugitiuóm semul,
Indício quoius álium agnoscit fílium.

PERSONAE.

ERGASILVS PARASITVS
HEGIO SENEX
LORARII
PHILOCRATES CAPTIVOS
TYNDARVS CAPTIVOS
ARISTOPHONTES CAPTIVOS
PVER
PHILOPOLEMVS ADVLESCENS
STALAGMVS SERVOS
CATERVA.

PROLOGVS.

Hos quós uidetis stáre hic captiuós duos,
Vinctí quia astant, hí stant ambo, nón sedent.
Hoc uós mihi testes éstis me uerúm loqui.
Senéx qui hic habitat, Hégio, 'st huiús pater.
Set ís quo pacto séruiat suo síbi patri,
Id ego híc aput uos próloquar, si operám datis.
Seni huíc fuerunt fílii natí duo:
Aliúm quadrimum púerum seruos súrpuit
Eumque hínc profugiens uéndidit in Álide
[Dominó] patri huiusce. iam hóc tenetis? óptumumst.
Negat hércle [uero] ille últumus. accédito.
Si nón ubi sedeas lócus est, est ubi ámbules,
Quando hístrionem cógis mendicárier.
Ego mé tua causa, ne érres, non ruptúrus sum.
Vos quí potestis ópe uostra censérier
Accípite relicuom: álieno uti níl moror.
Fugitíuos ille, ut díxeram ante, huiús patri
Domo quém profugiens dóminum apstulerat, uéndidit.
Is póstquam hunc emit, dédit eum huic gnató suo
Pecúliarem, quía quasi una aetás erat.
Hic núnc domi seruit sŭo patri nec scít pater:
Enimuéro di nos quási pilas hominés habent.
Ratiónem habetis, quó modo unum amíserit.

Postquám belligerant [aútem] Aetoli cum Áleis,
Vt fít in bello, cápitur alter fílius.
Medicús Menarchus émit ibidem in Álide.
Coepít captiuos cónmercari hic Áleos,
Siquém reperire póssit, qui mutét suum:
[Illum captiuom: hunc suum esse nescit qui domist]
Et quóniam heri indaudíuit, de summó loco
Summóque genere cáptum esse equitem ex Álide,
Nil prétio parsit, fílio dum párceret:
Recónciliare ut fácilius possét domum,
Emít de praeda hosce ámbos a quaestóribus.
Hisce aútem inter sese húnc confinxerúnt dolum,
Quo pácto hic seruos súum erum hinc amittát domum.
Itaque ínter se conmútant uestem et nómina:
Illíc uocatur Phílocrates, hic Týndarus:
Huius ílle, hic illius hódie fert imáginem.
Et hic hódie docte expédiet hanc falláciam
Et súum erum faciet líbertatis cónpotem:
Eodémque pacto frátrem seruabít suum
Reducémque faciet líberum in patriam ád patrem
Inprúdens: itidem ut saépe iam in multís locis
Plus ínsciens quis fécit quam prudéns boni.
Set ínscientes [hí] sua sibi fallácia
Ita cónpararunt ét confinxerúnt dolum,
[Itaque hí conmenti dé sua senténtia]
Vt in séruitute hic àput suum maneát patrem:
Ita núnc ignorans [dòmi] suo sibi seruít patri.
Homúnculi quantí sunt, quom recógito.
Haec rés agetur nóbis, uobis fábula.
Set étiamst paucis uós quod monitos uóluerim.
Profécto expediet fábulae huic operám dare:
Non pértractate fáctast neque item ut céterae,

Neque spúrcidici insunt uérsus inmemorábiles:
Hic néque periurus lénost nec meretríx mala
Neque míles gloriósus. ne uereámini,
Quia béllum Aetolis ésse dixi cum Áleis:
Foris íllic extra scénam fient praélia.
Nam hoc paéne iniquomst, cómico chorágio
Conári desubito ágere nos tragoédiam.
Proin síquis pugnam expéctat, litis cóntrahat:
Valéntiorem nánctus aduorsárium
Si erít, ego faciam ut púgnam inspectet nón bonam,
Adeo út spectare póstea omnis óderit.
Abeó. ualete, iúdices iustíssumi,
Domí duellique dŭellatores óptumi.

ACTVS I.

ERGASILVS.

Iuuéntus nomen índidit Scortó mihi,
Quia ínuocatus sóleo esse in conuíuio.
Scio apsúrde dictum hoc dérisores dícere,
At ego áio recte. nam ín conuiuió sibi
Amátor, talos quóm iacit, scortum ínuocat.
Estne ínuocatum an nón [est? est] planíssume.
Verum hércle uero nós parasiti plánius,
Quos númquam quisquam néque uocat neque ínuocat:
Quasi múres semper édimus alienúm cibum.
Vbi rés prolatae súnt, quom rus hominés eunt:
Semúl prolatae rés sunt nostris déntibus.
Quasi quóm caletur cóchleae in occultó latent,
Suó sibi suco uíuont, ros si nón cadit:
Itém parasiti rébus prolatís latent
In ocúlto, miseri uíctitant sucó suo,
Dum rúri rurant hómines quos ligúrriant.
Prolátis rebus párasiti uenátici
Canés sumus: quando rédierunt, Molóssici
Odiósicique et múltum incommodéstici.
Et híc quidem hercle, nísi qui colaphos pérpeti
Potís parasitus frángique aulas ín caput,
Vel éxtra portam trígeminam ad saccum ílicet.
Quod míhi ne eueniat nón nullumst perículum

Nam póstquam meus est réx potitus hóstium,
(Ita [ením] belligerant núnc Aetoli cum Áleis:
Nam Aetólia haec est: íllist captus in Álide
Philopólemus huius Hégionis fílius
Senís qui hic habitat: quae aédes lamentáriae
Mihi súnt, quas quotiensquómque conspició, fleo)
Nunc híc occepit quaéstum hunc fili grátia
Inhonéstum, maxume álienum ingenió suo:
Hominés captiuos cónmercatur, sí queat
Aliquem ínuenire, sŭum qui mutet fílium.
Quod quídem ego nimis quam cúpio [senex] ut ímpetret:
Nam ni íllum recipit, níhil est quo me récipiam.
Nullá iuuentutis spés est: sese omnés amant.
Ille démum antiquis ést adulescens móribus,
Quoius númquam uoltum tránquillaui grátiis.
Condígne pater est ĕius moratus móribus.
Nunc ád eum pergam. sét aperitur óstium,
Vnde sáturitate saépe ego exiui ébrius.

HEGIO. LORARIVS. ERGASILVS.

HE. Aduórte animum huc sis: ístos captiuós duos
Herí quos emi dé praeda a quaestóribus,
His índito caténas singulárias,
Istás maiores quíbus sunt uincti démito.
Sinito ámbulare, sí foris, si intús uolent:
Set uti ádseruentur mágna diligéntia.
Libér captiuos áuis ferae consímilis est:

Semél fugiundi sí datast occásio,
Satis ést: post illam númquam possis préndere.
LO. Omnés profecto líberi lubéntius
Sumus quám seruimus. HE. Nón uidere ita tú quidem.
LO. Si nón est quod dem, méne uis dem ipse ín pedes?
HE. Si déderis, erit extémplo mihi quod dém tibi.
LO. Auis mé ferae consímilem faciam, ut praédicas.
HE. Ita ut dícis: nam si fáxis, te in caueám dabo.
Set sátis uerborumst: cúra quae iussi átque abi.
Ego íbo ad fratrem ad álios captiuós meos:
Visám ne nocte hac quípiam turbáuerint.
Inde mé continuo récipiam rusúm domum.
ER. Aegrést mi hunc facere quaéstum carcerárium
Proptér sui gnati míseriam miserúm senem.
Set si úllo pacto ille húc conciliarí potest,
Vel cárnuficinam hunc fácere possum pérpeti.
HE. Qui hic lóquitur? ER. Ego, qui tŭo maerore mácero,
Macésco, consenésco et tabescó miser.
Ossa átque pellis súm miser aegritúdine.
Neque úmquam quicquam mé iuuat quod edó domi:
Forís aliquantillum étiam quod gusto íd beat.
HE. Ergásile, salue. ER. Dí te bene ament, Hégio.
HE. Ne flé. ER. Egone illum nón fleam? ego non défleam
Talem ádulescentem? HE. Sémper sensi fílio
Meo té esse amicum et íllum intellexí tibi.
ER. Tum dénique homines nóstra intellegimús bona,
Quom quae ín potestate hábuimus ea amísimus.
Ego, póstquam gnatus túus potitust hóstium,

Expértus quanti fúerit, nunc desídero.
HE. Aliénus quom eius incómmodum tam aegré feras,
Quid mé patrem par fácerest, quoi illest únicus?
ER. Ego álienus? aliénus ille? ah, Hégio,
Numquam ístuc dixis néque animum induxís tuum:
Tibi ille únicus, mihi etiam único magis únicust.
HE. Laudó, malum quom amíci tuum ducís malum.
Nunc hábe bonum animum. ER. Oíeï: huic illút dolet,
Quia núnc remissus ést edundi exércitus.
HE. Nullúmne interea nánctu's, qui possét tibi
Remíssum quem dixti ímperare exércitum?
ER. Quid crédis? fugitant ómnes hanc prouínciam,
Quoi optígerat, post Philopólemus quam captúst tuus.
HE. Non pól mirandumst fúgitare hanc prouínciam.
Multís et multigéneribus opus ést tibi
Milítibus: primumdum ópus Pistoriénsibust:
Eorum áliquot genera súnt Pistoriénsium:
Paníceis opus est, ópus Placentinís quoque,
Opus Túrdetanis, ópus est Ficeduléensibus:
Tum máritumi omnes mílites opus súnt tibi.
ER. Vt saépe summa ingénia in occultó latent:
Hic quális imperátor nunc priuátus est.
HE. Habe módo bonum animum. nam íllum confidó domum
In hís diebus mé reconciliássere.
Nam eccúm captiuom hunc ádulescentem [emi] Áleum
Prognátum genere súmmo et summis dítiis:
Hoc íllum me mutáre confidó fore.

ER. Ita dí deaeque fáxint. HE. Set numquó foras
Vocátus[es]ad cénam? ER. Nusquam, quód sciam.
Set quíd tu id quaeris? HE. Quía mist natalís dies:
Proptérea te uocári [ad me] ad cenám uolo.
ER. Facéte dictum. HE. Sét si pauxillúm potes
Conténtus esse. ER. Ne perpauxillúm modo:
Nam istóc me adsiduo uíctu delectó domi.
HE. Age sís roga. ER. Emptum, nísi qui meliorem ádferet
Quae mi átque amicis pláceat conditió magis:
Quasi fúndum uendam, mèis me addicam légibus.
HE. Profúndum uendis tú quidem, hau fundúm mihi.
Set sí uenturu's, témperi. ER. Hem, uel iam ótiumst.
HE. I módo, uenare léporem: nunc ictím tenes.
Nam méus scruposam uíctus conmetát uiam.
ER. Numquam ístoc uinces me, Hégio: ne póstules
Cum cálceatis déntibus ueniám tamen.
HE. Aspér meus uictus sánest. ER. Sentisne éssitas?
HE. Terréstris cenast. ER. Sús terrestris béstiast.
HE. Multís holeribus. ER. Cúrato aegrotós domi.
Numquíd uis? HE. Venias témperi. ER. Memorén mones.
HE. Ibo íntro atque intus súbducam ratiúnculam,
Quantíllum argenti míhi aput trapezitám siet.
Ad frátrem, quo ire díxeram, mox íuero.

———

ACTVS II.

LORARII. CAPTIVI (PHILOCRATES. TYNDARVS).

LO. Si di ínmortales íd uoluere, uós hanc aerumnam éxequi,
Decét pati animo id aéquo: si id faciétis, leuior lábor erit.
Domi fŭistis credo líberi:
Nunc séruitus si euénit, ei uos mórigerari mós bonust
Eamque étiam erili império ingeniis uóstris lenem réddere.
Indígna digna habénda sunt, erus quaé facit.
CA. Oh. LO. Éiulatióne haut opus est: óculis † multa miraclitis.
In ré mala animo sí bono utare, ádiuuat.
CA. At nós pudet quia cúm catenis súmus. LO. At pigeat póstea
Nóstrum erum, [núnc] si uos éximat uínculis
Aút solutós sinat quós argento émerit.
CA. Quid [ílle] a nobis métuit? scimus nós nostrum officiúm quod est.
LO. Át fugam fíngitis: séntio quam rém agitis.
CA. Fúgiamus nos? quó fugiamus? LO. Ín patriam. CA. Apage, hau nós id deceat
Fúgitiuos imitári. LO. Immo edepol, si érit occasio, haút [id] dehortor.
CA. Ýnum exoráre uos sínite nos. LO. Quídnam id est?

CA. Vt sine hisce árbitris átque uobís locum
Détis nobís loqui.
LO. Fíat. apscédite hinc. nós concedámus huc.
Sét breuem orátionem íncipisse. PH. Hém mi istuc
Cértum erat: cóncede huc. LO. Ábi tu istim. TY. Obnóxii
Ámbo uobís sumus própter hanc rém, quom quae
Vólumus nos cópiae fácitis nos cónpotes.
PH. Sécede huc núnc ïam, sí uidetúr, procul,
Ne árbitri dícta nostra árbitrarí queant
Neú permanét palam haec nóstra fallácia.
Nám doli nón doli súnt, nisi astú colas,
Sét malum máxumum, si íd palam próuenit.
Nám si erus tú mihi's átque ego esse mé tuum
Séruom adsimuló, tamen uíso opust, caúto opust,
Vt sóbrie hoc sineque árbitris
Adcúrate agátur, docte ét diligénter.
Tanta íncepta rés est: hau sómniculóse hoc
Agúndumst. TY. Ero út me uolés esse. PH. Spéro.
TY. Nam tú nunc uidés pro tuó caro cápite
Carum ófferre [mé] meum capút uilitáti.
PH. Scio. TY. Át memento scíre, quando id quód uoles habébis.
Nám maxuma párs fere mórem hunc hominés habent:
Quód uolunt, dum ímpetrant
Síbi, boni súnt: set ubi iám penes sése habent,
Éx bonis péssumi et fraúdulentíssumi

Fíunt. nunc út mihi té uolo esse aútumo.

* * * * * * * *

* * * * * * *

* * * * * * * *

Quód tibi suádeam, suádeam mèo patri.
PH. Pól ego te, si aúdeam, mèum patrem nóminem:
Nám secundúm patrem tú's pater próxumus.
TY. Aúdio. PH. Et proptérea saepiús ted ut memíneris moneo:
Nón ego erus, set tíbi conseruos súm. nunc opsecró te hoc unum:
Quóniam nobis di ínmortales ánimum ostenderúnt suum,
Ýt qui erum me tíbi fuisse atque ésse nunc conseruóm uelint:
Quom ántehac pro iure ímperitabam mèo, nunc te oro pér precem,
Pér fortunam incértam et per mei te érga bonitatém patris
Pérque conseruítium, quod [mihi] hóstica euenít manu,
Né me secus honóre honestes, quám quom seruibás mihi,
Átque ut qui fuerís et qui nunc sís meminisse ut méмineris.
TY. Scío quidem me té esse nunc et té esse me. PH. Hem istuc sí potes
Mémoriter meminísse, est nobis spés in hac astútia.

HEGIO. PHILOCRATES. TYNDARVS.

HE. Iam égo reuortar íntro, si ex his quaé uolo exquisíuero.
Vbi sunt isti, quós ante aedis iússi huc producí foras?
PH. Édepol tibi ne in quaéstione essémus cautum intéllego:
Íta uinclis custódiisque círcummoenití sumus.
HE. Quí cauet ne décipiatur, uíx cauet, quom etiám cauet.
Étiam quom cauísse ratus est, saépe is cautor cáptus est.
Án uero non iústa causast út uos seruem sédulo,
Quós tam grandi sím mercatus praésenti pecúnia?
PH. Néque pol tibi nos, quía nos seruas, aéquomst uitio uórtere,
Néque te nobis, si hínc abeamus, sí fuat occásio.
HE. Vt uos hic, itidem ílli aput uos méus seruatur fílius.
PH. Cáptust? HE. Ita. PH. Non ígitur soli nós ignaui fúimus.
HE. Sécede huc: nam súnt quae [ego] ex te sólo scitarí uolo,
Quárum rerum té falsilocum míhi esse nolo. PH. Nón ero,
Quód sciam: siquíd nescibo, id néscium tradám tibi.
TY. Núnc senex est ín tonstrina: núnc ïam cultrum áttinet.
Ne íd quidem inuolúcri inicere uóluit, uestem ut ne ínquinet.
Sét utrum strictimne áttonsurum dícam esse an per péctinem

Néscio: uerúm si frugist, úsque admutilabít probe.
HE. Quíd tu? seruosne ésse an liber máuelis, memorá mihi.
PH. Próxumum quod sít bono quodque á malo longíssume,
Íd uolo: quamquám non multum fùit molesta séruitus
Néc mihi secus erát quam si essem fámiliaris fílius.
TY. Eúgepae: Thalém talento nón emam Milésium:
Nám [pol] ad sapiéntiam huius nímius nugatór fuit.
Ýt facete orátionem ad séruitutem cóntulit.
HE. Quó de genere gnátust illi Phílocrates? PH. Polyplúsio,
Quód genus illist únum pollens átque honoratíssumum.
HE. Quíd ipsus hic? quo honórest illi? PH. Súmmo atque ab summís uiris.
HE. Tum ígitur ei quom in Áleis est grátia tanta, ut praédicas,
Quíd diuitiae, súntne opimae? PH. Vnde éxcoquat sebúm senex.
HE. Quíd pater? uiuítne? PH. Viuom, quom índe abimus, líquimus:
Núnc uiuatne nécne, id Orcum scíre oportet scílicet.
TY. Sálua res est: phílosophatur quóque iam, non mendáx modost.
HE. Quíd erat ei nomén? PH. Thensaurochrýsonicochrýsides.
HE. Vídelicet proptér diuitias índitum id nomén quasist?
PH. Ímmo edepol proptér auaritiam ipsíus atque audáciam.
[Nam illic quidem Theodoromedes fuit germano nomine.]

HE. Quíd tu ais? tenáxne pater est èius? PH. Immo edepol pértinax:
Quín etiam ut magis nóscas, genio sŭo sibi quando sácruficat,
Ád rem diuinám quibus opus est Sámiis uasis útitur,
Né ipse genius súbrupiat: proinde áliis ut credát uide.
HE. Séquere hac me igitur. ĕadem ego ex hoc quaé uolo exquisíuero.
Phílocrates, hic fécit hominem frúgi ut facere opórtuit.
Nám ego ex hoc quo génere gnatus sís scio: hic fassúst mihi.
Haéc tu eadem si cónfiteri uís, tua [e] re féceris,
Quaé tamen scito scíre me ex hoc. TY. Fécit officium híc suum,
Quóm tibist conféssus uerum, quámquam uolui sédulo
Mĕam nobilitatem óccultare et génus et diuitiás meas,
Hégio: nunc quándo patriam et líbertatem pérdidi,
Nón ego me istunc pótius quam te métuere aequom cénseo.
Vís hostilis cum ístoc fecit mĕas opes aequábilis.
Mémini quom dicto haút audebat: fácto nunc laedát licet.
Sét uiden? fortúna humana fíngit artatque út lubet.
Mé qui liber fúeram seruom fécit, e summo ínfumum:
Qui ímperare insuéram, nunc altérius imperio ópsequor.
Ét quidem si prŏinde ut ipse fui ímperator fámiliae
Hábeam dominum, nón uerear ne iniúste aut grauiter mi ímperet.
Hégio, hoc te mónitum, nisi forte ípse non uĭs, uólueram.

HE. Lóquere audacter. TY. Tam égo fui ante líber quam gnatús tuus.
Tám mihi quam illi líbertatem hostílis eripuít manus.
Tám ille aput nos séruit, quam ego núnc hic aput te séruio.
Ést profecto déus, qui quae nos gérimus auditque ét uidet.
Ís, uti tu me hic hábueris, proinde íllum illi curáuerit.
Béne merenti béne profuerit, mále merenti pár erit.
Quám tu filiúm tuum, tam patér me meus desíderat.
HE. Mémini ego istaec. sét faterin éadem quae hic fassúst mihi?
TY. Égo patri meo ésse fateor súmmas diuitiás domi
Méque summo génere gnatum. sét te optestor, Hégio,
Né tuum animum auáriorem fáxint diuitiaé meae,
Né, tametsi unicús sum, magis decére uideatúr patri,
Mé saturum seruíre aput te súmptu et uestitú tuo
Pótius quam illi, ubi mínume honestumst, méndicantem uíuere.
HE. [Ego uirtute deum et maiorum nostrum diues sum satis.]
Nón ego omninó lucrum omne esse útile homini exístumo.
Scío ego, multos iám lucrum homines lúculentos réddidit:
Ést etiam ubi profécto damnum praéstet facere quám lucrum.
Ódi ego aurum: múlta multis saépe suasit pérperam.
Núnc hoc animum aduórte, ut ea quae séntio paritér scias.
Fílius meus ílli aput uos séruit captus [in] Álide:

Ěum si reddis míhi, praeterea [tu] únum nummum né duis:
Ét te et hunc amíttam hinc. alio pácto abire nón potes.
TY. Óptumum atque aequíssumum oras óptumusque hominum és homo.
Sét is priuatam séruitutem séruit illi an púplicam?
HE. Príuatam medicí Menarchi. TY. Pól is quidem huius ést cluens:
Tam hóc quidem tibi ín procliuist, quam ímber est, quandó pluit.
HE. Fác is homo ut redimátur. TY. Faciam. sét ted oro [hoc], Hégio,
HE. Quíd uis faciam? dum áb re nequid óres. TY. Auscultá, scies.
Égo me amitti, dónicum ille huc rédierit, non póstulo:
Vérum, te quaeso, aéstumatum hunc míhi des, quem mittam ád patrem,
V́t is homo redimátur illi. HE. Immo álium potius mísero
Hínc, ubi erunt indútiae, illuc, tùum qui conueniát patrem,
Quí tua quae iussís mandata ita út uelis [ei] pérferat.
TY. Át nihil est ignótum ad illum míttere: operam lúseris.
Húnc mitte, hic transáctum reddet ómne, si illuc uénerit.
Néc quemquam fidéliorem néque quoi plus credát potes
Míttere ad eum, néc qui magis sit séruos ex senténtia,
Néque adeo quoi tŭum concredat fílium hodie audácius.
Né uereare: mĕo periclo ego húius experiár fidem
Frétus ingenio ĕius, quod me esse scít erga se béneuolum.

HE. Míttam equidem istunc aéstumatum tùa fide, si uís. TY. Volo:
Quám citissumé potest, tam hoc cédere ad factúm uolo.
HE. Númquae causast quín, si ille huc non rédeat, uigintí minas
Míhi des pro illo? TY. Óptuma immo. HE. Sóluite istum núnc ïam,
Átque utrumque. TY. Dí tibi omnes ómnia optata ófferant,
Quóm me tanto honóre honestas quómque ex uinclis éximis.
Hóc quidem hau moléstumst iam, quod cóllus collarí caret.
HE. Quód bonis benefít beneficium, grátia ea grauidást bonis.
Núnc tu illum si illó's missurus, díce, monstra, praécipe,
Quae ád patrem uis núntiari. uín uocem huc ad té? TY. Voca.
HE. Quae rés bene uortat míhi meoque fílio
Vobísque: uolt te nóuos erus operám dare
Tuo uéteri domino, quód is uelit, fidéliter.
Nam ego aéstumatum huic dédi te uigintí minis:
Hic aútem te ait míttere hinc uelle ád patrem,
Meum ut ílli redimat fílium, mutátio
Intér me atque illum ut nóstris fiat fíliis.
PH. Vtróqueuorsum réctumst ingeniúm meum,
Ad te átque [ad] illum: pró rota me utí licet.
Vel ego húc uel illuc uórtar, quo imperábitis.
HE. Tu tíbi tuopte ingénio prodes plúrumum,
Quom séruitutem férs ita ut ferrí decet.

Sequere: én tibi hominem. TY. Hábeo gratiám tibi,
Quom cópiam istam mi ét potestatém facis,
Vt ego ád parentis húnc remittam núntium,
Qui mé quid rerum hic ágitem et quid fierí uelim,
Patrí meo ordine ómnem rem illuc pérferat.
Nunc íta conuenit ínter me atque hunc, Týndare,
Vt te aéstumatum in Álidem mittam ád patrem:
Si nón rebitas, huíc ut uigintí minas
Dem pró te. PH. Recte cónuenisse séntio.
Nam páter expectat aút me aut aliquem núntium,
Qui hinc ád se ueniat. TY. Érgo animum aduortás uolo,
Quae núntiare hinc té uolo in patriam ád patrem.
PH. Phílocrates, ut adhúc locorum féci, faciam sédulo,
Ýt potissumúm quod in rem récte conducát tuam
Íd petessam id pérsequarque córde atque animo et uíribus.
TY. Fácis ita ut te fácere oportet: núnc animum aduortás uolo.
Ómnium primúm salutem dícito matri ét patri
Ét cognatis ét siquem alium béneuolentem uíderis:
Me híc ualere et séruitutem séruire huic homini óptumo,
Quí me honore honéstiorem sémper fecit ét facit.
PH. Ístuc ne praecípias, facile mémoria meminí tamen.
TY. Nam équidem nisi quod cústodem habeo líberum me esse árbitror.
Dícito patrí, quo pacto míhi [nunc] cum hoc conuénerit
De húius filió. PH. Quae memini, móra merast monérier.

TY. Vt eum redimat ét remittat nóstrum huc amborúm uicem.
PH. Méminero. HE. At quam prímum poterit: ín rem utriquest máxume.
PH. Nón tuum tu mágis uidere quam ílle suum gnatúm cupit.
HE. Méus mihi, suus quoíquest carus. PH. Númquid aliut uís patri
Núntiari? TY. [Me hic ualere et tute audacter dicito,
Tyndare, inter] Nós fuisse ingénio hau discordábili,
Néque te conmeruísse culpam néque me aduorsatúm tibi,
Béneque ero gessísse morem in tántis aerumnís tamen,
Néque med umquam déseruisse té neque factis néque fide
Rébus in dubiís, egenis. haéc pater quandó sciet,
Týndare, ut fuerís animatus érga suum gnatum átque se,
Númquam erit tam auárus, quin te emíttat gratiís manu.
Ét mea opera, si hínc rebito, fáciam ut faciat fácilius:
Nám tua opera et cómitate et uírtute et sapiéntia
Fécisti ut redíre liceat ád parentis dénuo,
Quóm aput hunc conféssus es et génus et diuitiás meas:
Quó pacto emisísti e uinclis túum erum tua sapiéntia.
PH. Féci ego ita ut conmémoras, et te méminisse id gratúmst mihi.
Mérito [tuo] tibi ea éuenerunt á me. nam nunc, Phílocrates,
Sí ego item memorém quae me erga múlta fecistí bene,

Nóx diem adimat: nám quasi seruos méus sis, nihilo sétius
Ópsequiosus [tú] mihi semper fŭisti. HE. Di uostrám fidem,
Hóminum ingenium líberale. ut lácrumas excutiún' mihi.
Vídeas corde amáre inter se: quántis [hic modo] laúdibus
Súum erum seruos cónlaudauit. TY. Pól istic me haut centénsumam
Pártem laudat, quam ípse meritust út laudetur laúdibus.
HE. Érgo quom optumé fecisti, núnc adest occásio
Bénefacta cumuláre, ut erga hunc rém geras fidéliter.
PH. Mágis non factum póssum uelle quam ópera experiar pérsequi:
Íd uti scias, Iouém supremum téstem do [tibi], Hégio,
Me ínfidelem nón futurum Phílocrati. HE. Probus és homo.
PH. Néc me secus umquam ĕi facturum quícquam quam memét mihi.
TY. Ístaec dicta te éxpedire et óperis et factís uolo,
Ét quom minus dixí quam uolui dé te, animum aduortás uolo
Átque horunc uerbórum causa cáue tu mi iratús fuas.
Sét, te quaeso, cógitato hinc mĕa fide mittí domum
Te aéstumatum et méam esse uitam hic pró te positam pígneri,
Né tu me ignorés, quom extemplo meo é conspectu apscésseris,
[Quom me seruom in seruitute pro te hic reliqueris]

Túque te pro líbero esse dúcas, pignus déseras,
Néque des operam pró me ut huius réducem facias fílium.
Scíto te hinc minís uiginti aéstumatum míttier.
Fác fidele sís fidelis, cáue fidem fluxám geras.
Nám pater, scio, fáciet quae illum fácere oportet ómnia.
Sérua tibi in perpétuom amicum me átque hunc inuentum ínueni.
Haéc per dexterám tuam te déxtera retinéns manu
Ópsecro, infidélior mi né fuas quam ego súm tibi.
Hóc age [sis]: tu míhi nunc erus es, tú patronus, tú pater:
Tíbi conmendo spés opesque mĕas. PH. Mandauistí satis.
Sátin habes, mandáta quae sunt fácta si referó? TY. Satis.
PH. Ét tua et tua húc ornatus réueniam ex senténtia.
Númquid aliut? TY. V́t quam primum póssis redeas. PH. Rés monet.
HE. Iám [tu] sequere mé, uiaticum út dem a trapezitá tibi:
Éadem opera a praetóre sumam sýngraphum. TY. Quem sýngraphum?
HE. Quem híc ferat secum ád legionem, hinc íre huic ut liceát domum.
Tu íntro abi. TY. Bene ámbulato. PH. Béne uale. HE. Edepol rém meam
Cónstabiliui, quom íllos emi dé praeda a quaestóribus.
Éxpediui ex séruitute fílium, si dís placet.

Át etiam dubitáui hos homines émerem an non emerém diu.
Séruate istum súltis intus, sérui, ne quoquám pedem
Écferat sine cústodela. [iám] ęgo apparebó domi,
Ád fratrem modo [ád] captiuos álios inuisó meos.
Ĕadem percontábor, ecqui hunc ádulescentem nóuerit.
Séquere tu: te ut ámittam, ei rei prímum praeuortí uolo.

ACTVS III.

ERGASILVS.

Míser homost, qui ipsús sibi quod edit quaérit et id aegre ínuenit.
Sét illest miseriór, qui et aegre quaérit et nihil ínuenit.
Ílle miserrumus ést, qui, quom esse cúpiit, quod edit nón habet.
Nam hércle ego huic dié, si liceat, óculos ecfodiám lubens:
Íta malignitáte onerauit ómnis mortalís mihi.
Néque ieiuniósiorem néc magis ecfertúm fame
Vídi nec quoi mínus procedat quídquid facere occéperit:
Íta uenter guttúrque resident ésurialis férias.
Ílicet parasíticae arti máxumam in malám crucem:
Íta iuuentus iám ridiculos ínopes ab se ségregat.
Níl morantur iám Lacones ími supsellí uiros,
Plágipatidas, quíbus sunt uerba síne penu et pecúnia.
Ĕos requirunt, quí, lubenter quom éderint, reddánt domi.
Ípsi opsonant, quaé parasitorum ánte erat prouíncia.
Ípsi de foró tam aperto cápite ad lenonés eunt,
Quam ín tribu sontís aperto cápite condemnánt reos,
Néque ridiculos iám terunci fáciunt. sese omnés amant.

Nám uti dudum hinc ábii, accessi ad ádulescentis ín foro:
'Sáluete' inquam: 'quo ímus una ad prándium?' atque illí tacent.
'Quís ait "hoc" aut quís profitetur?' ínquam: quasi mutí silent,
Néque me rident. 'úbi cenamus [hódie]?' inquam atque illi ábnuont.
Díco unum ridículum dictum dé dictis melióribus,
Quíbus solebam ménstrualis épulas ante apíscier:
Némo ridet. scíui extemplo rém de conpectó geri.
Né canem quidem ínritatam uóluit quisquam imitárier,
Sáltem, si non árriderent, déntis ut restríngerent.
Ábeo ab illis, póstquam uideo mé sic ludificárier.
Pérgo ad alios, uénio ad alios, déinde ad alios: úna rest.
Ómnes de conpécto rem agunt, quási in Velabro oleárii.
[Nunc redeo inde, quoniam me ibi uideo ludificarier.]
Ítem alii parasíti frustra obámbulabant ín foro.
Núnc barbarica lége certumst iús meum omne pérsequi.
Cónsilium qui iniére, quo nos uíctu et uita próhibeant,
Ís diem dicam, ínrogabo múltam, ut mihi cenás decem
Meo árbitratu dént, quom cara annóna sit. sic égero.
Núnc ibo ad portum hínc. est illi mi úna spes cenática:
Si éa decolabít, redibo huc ád senem ad cenam ásperam.

HEGIO. (ARISTOPHONTES.)

Quid ést suauiús quam
Bene rém gerere bŏno puplicó, sicut féci
Ego herí, quom emi hosce hómines. ubi quísque uident [me hódie],
Eúnt obuiám gratulánturque eám rem.
Ita [núnc] me miserúm restitándo, retinéndo
Lassúm reddidérunt:
Vix éx gratulándo misér iam eminébam.
Tandem ábii ad praetorem. íbi uix requieuí, rogo
Mihi sýngraphum: datur: ílico
Dedi Týndaro: ille abiít domum:
Inde ílico praeuórtor
Domúm, postquam id áctumst.
Eo prótinus ad fratrém, mei ubi álii sunt captíui:
Rogó Philocratem ex Álide ecquis hóminum norit: [átque] hic
Exclámat, esse eum síbi sodalem: díco eum esse apút me.
Hic éxtemplo orat ópsecratque, eum síbi uidere ut líceat.
Iussi ílico hunc exóluier. inde ábii. nunc tu séquere,
Vt quód me orauisti ímpetres, eum hóminem uti conuénias.

TYNDARVS.

Nunc íllut est, quom mé fuisse quam ésse nimio máuelim:
Nunc spés opes auxíliaque a me ségregant spernúntque se.

[Hic íllest dies, quom núlla uitae mèae salus sperábilist:
Neque aúxilium mist néque adeo spes, quaé mi hunc aspellát metum: 519
Nec súbdolis mendáciis mihi úsquam mantellúmst meis.]
Nec súcophantiís nec fucis úllum mantellum óbuiamst.
Neque déprecatió perfidiis mèis nec malefactís fugast.
[Nec cónfidentiae úsquam hospitiumst néc deuorticulúm dolis.]
Opérta quae fuére aperta súnt, patent praestígiae.
Omnís palamst res: néque de hac re negótiumst, 525
Quín male occidam óppetamque péstem eri uicém malam.
Pérdidit me Arístophontes híc, qui intro aduenít modo:
Ís me nouit, ís sodalis Phílocrati et cognátus est.
Néque Salus seruáre, si uolt, mé potest: nec cópiast
[Me éxpediundi], nísi si astutiam áliquam corde máchinor.
Quám, malum? quid máchiner, quid cónminiscar, haéreo: 531
[Nísi] nugas inéptiasque iam íncipisso máxumas.

HEGIO. ARISTOPHONTES. TYNDARVS. LORARII.

HE. Quo illúm nunc hominem próripuisse fòras se dicam ex aédibus?
TY. Enimuéro nunc ego óccidi: eúnt ad te hostes, Týndare.
Quid fábulabor? quíd negabo? aut quíd fatebor? [nám] mihi 535
Res ómnis in incertó sitast: quid rébus confidám meis?
Vtinám te di prius pérderent, quam périisti e patriá tua,

Arístophontes, qui éx parata re ínparatam omném facis.
Occísast haec res, nísi reperio atrócem mi aliquam astútiam.
HE. Sequere: én tibi hominem, adi átque adloquere. TY. Quís homost me hominum míserior?
AR. Quíd istuc est, quod mĕos te dicam fúgitare oculos, Týndare,
Próque ignoto me áspernari, quási me numquam nóueris?
Équidem tam sum séruos quam tu, etsi égo domi libér fui,
Tu úsque a puero séruitutem séruiuisti in Álide.
HE. Édepol minume míror, si te fúgitat aut oculós tuos
Aút si te odit, qui ístum appelles Týndarum pro Phílocrate.
TY. Hégio, hic homó rabiosus hábitus est in Álide:
Né tu quod istic fábuletur aúris inmittás tuas.
Nám istic hastis ínsectatus ést domi matrem ét patrem,
Ét illic isti quí sputatur mórbus interdúm uenit.
Prŏin tu ab istoc prócul apscedas. HE. Ýltro istum a me. AR. Ain, uérbero,
Mé rabiosum atque ínsectatum esse hástis meum memorás patrem?
Ét eum mihi esse mórbum, ut qui med ópus sit insputárier?
HE. Né uerere, múltos iste mórbus homines mácerat,
Quíbus insputarí saluti fúit atque is prófuit.
AR. Quíd, tu autem etiam huic crédis? HE. Quid ego crédam huic? AR. Insanum ésse me.
TY. Víden tu hunc, quam inimíco uoltu intúitur? concedi óptumumst,

Hégio: fit quód ego dixi: glíscit rabies: cáue tibi.
HE. Crédidi esse insánum extemplo, ubi te áppellauit Týndarum.
TY. Quín suum ipse intérdum ignorat nómen neque scit quí siet.
HE. Át etiam te sùum sodalem esse ăibat. TY. Hau uidí magis:
Ét quidem Alcmaeus átque Orestes ét Lycurgus póstea
Vna opera mihi súnt sodales qua íste. AR. At etiam, fúrcifer,
Mále loqui mi audés? non ego te nóui? HE. Pol planum íd quidemst:
[Non nouisse, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate.]
Quém uides, eum ignóras: illum nóminas, quem nón uides.
AR. Ímmo iste eum sese àit qui non est ésse et qui ueróst negat.
TY. Tu ĕnim repertu's, Phílocratem qui súperes ueriuérbio.
AR. Pól, ego ut rem uideó, tu inuentu's, uéra uanitúdine
Quí conuincas. sét quaeso hercle agedum áspice ad me. TY. En. AR. Díc modo,
Tén negas Tyndárum esse? TY. Nego ego. AR. Tún te Philocratem ésse ais?
TY. Égo [uero] inquam. AR. Túnc huic credis? HE. Plús quidem quam tibi aút mihi:
Nam ílle quidem, quem tú esse hunc memoras, hódie hinc abiit Álidem
Ád patrem huius. AR. Quém patrem, qui séruos est? TY. Et tú quidem

Séruos es, libér fuisti: et égo me confidó fore,
Si húius huc recónciliasso in líbertatem fílium.
AR. Quíd ais, furcifér? tun natum té esse memoras líberum?
TY. Nón equidem me Líberum, set Phílocratem esse aió. AR. Quid est?
Vt scelestus, Hégio, nunc íste [te] ludós facit.
Nám is est seruos ípse neque praetér se umquam ei seruós fuit.
TY. Quía tute ipse egés in patria néc tibi qui uiuás domist,
Ómnis inueníri similis tŭi uis: non mirúm facis:
Ést miserorum, ut máleuolentes sínt atque inuideánt bonis.
AR. Hégio, uide sís nequid tu huic témere insistas crédere:
Átque ut perspició, profecto iám aliquid pugnaé dedit:
Fílium tuum quód redimere se ait, id ne utiquam míhi placet.
TY. Scío te id nolle fíeri: ecficiam támen ego id, si di ádiuuant.
Íllum restituam huíc, hic autem in Álidem me mĕo patri:
Própterea ad patrem hínc amisi Týndarum. AR. Quin túte is es:
Néque praeter te in Álide ullus séruos istoc nóminest.
TY. Pérgin seruom me éxprobrare esse, íd quod ui hostili óptigit?
AR. Ĕnim iam nequeo cóntineri. TY. Heus, aúdin quid ait? quín fugis?

Iám illic hic nos ínsectabit lápidibus, nisi illúnc iubes
Cónprehendi. AR. Crúcior. TY. Ardent óculi: fune opust, Hégio:
Víden tu illi maculári corpus tótum maculis lúridis?
Átra bilis ágitat hominem. AR. At pól te, si hic sapiát senex,
Píx atra agitet àput carnuficem tŭoque capiti inlúceat.
TY. Iám deliraménta loquitur, láruae stimulánt uirum.
HE. Quíd, si [ego] hunc [nunc] cónprehendi iússerim? TY. Sapiás magis.
AR. Crúcior lapidem nón habere mé, ut illi mastígiae
Cérebrum excutiam, quí me insanum uérbis concinnát suis.
TY. Aúdin lapidem quaéritare? AR. Sólus te solúm uolo,
Hégio. HE. Istinc lóquere, siquid uís, procul: tamen aúdiam.
TY. Námque edepol si adbítes propius, ós denasabít tibi
Mórdicus. AR. Neque pól me insanum, Hégio, esse créduis
Néque fuisse umquám neque esse mórbum, quem istic aútumat.
Vérum siquid métuis a me, iúbe me uincirí: uolo,
Dúm istic itidem uínciatur. TY. Ímmo enimuero, Hégio,
Istic qui uolt uínciatur. AR. Táce modo: ego te, Phílocrates
Fálse, faciam ut uérus hodie réperiare Týndarus.
Quíd mi abnutas? TY. Tíbi ego abnuto? * * * * * *
* * * * * * * * quíd agat, si apsis lóngius?

HE. Quíd ais? quid, si adeam húnc insanum? TY. Núgas: ludificábitur,
Gárriet quoi néque pes umquam néque caput conpáreat.
Órnamenta apsúnt: Aiacem, hunc quóm uides, ipsúm uides.
HE. Níhili facio, támen adibo. TY. Núnc ego omnino óccidi,
Núnc ego inter sacrúm saxumque stó nec quid faciám scio.
HE. Dó tibi operam, Arístophontes, síquid est quod mé uelis
AR. Éx me audibis uéra quae nunc fálsa opinare, Hégio.
Sét primum hoc med éxpurgare tíbi uolo, me insániam
Néque tenere néque mi esse ullum mórbum nisi quod séruio.
Át ita me rex dĕorum atque hominum fáxit patriae cónpotem,
Ýt istic Philocratés non magis est quam aút ego aut tu. HE. Eho, díc mihi,
Quís illic igitur ést? AR. Quem dudum díxi a principió tibi.
Hóc si secus repéries, nullam caúsam dico quín mihi
Ét parentum et líbertatis àput te deliquió siet.
HE. Quíd tu ais? TY. Me túum esse seruom et té meum erum. HE. Haut istúc rogo.
Fŭistin liber? TY. Fúi. AR. Enimuero nón fuit, nugás agit.
TY. Quí tu scis? an tú fortasse fŭisti meae matri ópstitrix,

Qui íd tam audacter dícere audes? AR. Púerum te uidí puer.
TY. Át ego te maiórem uideo máior: en rusúm tibi.
Mèam rem non curés, si recte fácias: num ego curó tuam?
HE. Fúitne huic patér Thensaurochrýsonicochrýsides?
AR. Nón fuit: neque ego ístuc nomen úmquam audiui ante húnc diem.
Phílocrati Theodóromedes fùit pater. TY. Pereó probe.
Quín quiescis? [í] dierectum, cór meum, ac suspénde te:
Tú supsultas, égo miser uix ásto prae formídine.
HE. Sátin istuc mihi éxquisitumst fùisse hunc seruom in Álide
Néque esse hunc Philocratém? AR. Tam satis quam númquam hoc inueniés secus.
Sét ubi is nunc est? HE. Ýbi ego minume atque ípsus se uolt máxume.
Tum ígitur ego derúncinatus, dèartuatus súm miser
Hùius scelesti téchnis, quí me ut lúbitumst ductauít dolis.
Sét uide sis. AR. Quin éxploratum díco et prouisum hóc tibi.
HE. Cérton? AR. Quin nihil, ínquam, inuenies mágis hoc certo cértius:
Phílocrates iam inde úsque amicus fùit mihi a pueró puer.
HE. Sét qua faciest túus sodalis Phílocrates? AR. Dicám tibi:
Mácilento ore, náso acuto, córpore albo, oculís nigris,

Súbrufust, aliquántum crispus, cíncinnatus. HE. Cónuenit.
TY. Ýt quidem hercle in médium ego hodie péssume procésserim:
Vaé illis uirgis míseris, quae hodie in térgo morientúr meo.
HE. Vérba mihi data ésse uideo. TY. Quíd cessatis, cónpedes,
Cúrrere ad me méaque amplecti crúra, ut uos custódiam?
HE. Sátin illi me hodié scelesti cápti ceperúnt dolo?
Íllic seruom se ádsimulabat, híc sese autem líberum.
Núculeum amisí, retinui pígneri putámina.
Íta mi stolido súsum uorsum os súbleuere offúciis.
Híc quidem me numquam ínridebit. Cólaphe, Cordalió, Corax,
Íte istinc, ecférte lora. LO. Núm lignatum míttimur?
HE. Inícite manicas [áctutum] huic mastígiae.
TY. Quid hoc ést negoti? quíd ego deliquí? HE. Rogas?
Satór sartorque scélerum et messor máxume.
TY. Non óccatorem príus audebas dícere?
Nam sémper occant príus quam sariunt rústici.
HE. Atát, ut confidénter mihi contra ástitit.
TY. Decet ínnocentem séruom [hominem] atque innóxium
Confídentem esse, suum áput erum potíssumum.
HE. Astríngite isti súltis uehementér manus.
TY. Tuús sum, tu has quidem [míhi] uel praecidí iube.
Set quíd negotist quam ób rem suscensés mihi?
HE. Quia mé meamque rém, quod in te unó fuit,

Tuís scelestis fálsidicis falláciis
Dilácerauisti dèartuauistíque opes,
Confécisti omnis rés ac rationés meas.
Ita mi éxemisti Phílocratem falláciis.
Illum ésse seruom crédidi, te líberum:
Ita uósmet aiebátis itaque nómina
Intér uos permutástis. TY. Fateor ómnia
Facta ésse ita ut tu dícis et falláciis
Abísse eum aps te méa opera atque astútia:
An, ópsecro hercle te, íd nunc suscensés mihi?
HE. At cúm cruciatu máxumo id factúmst tuo.
TY. Dum ne ób malefacta, péream: parui [id] aéstumo.
Si ego híc peribo, ast ílle, ut dixit, nón redit:
At erít mi hoc factum mórtuo memorábile,
[Me] méum erum captum ex séruitute atque hóstibus
Reducém fecisse líberum in patriam ád patrem,
Meúmque potius mé caput perículo
[Hic] praèoptauisse quam ís periret pónere.
HE. Facito érgo ut Acherúnti clueas glória.
TY. Qui pér uirtutem périt, at non [is] ínterit.
HE. Quando égo te exemplis péssumis cruciáuero
Atque ób sutelas tŭas te morti mísero,
Vel te ínterisse uél perisse praédicent,
Dum péreas, nihil intérduo aiant uíuere.
TY. Pol si ístuc faxis, haú sine poena féceris,
Si ille húc rebitet, sícut confido ádfore.
AR. Pro di ínmortales: núnc ego teneo, núnc scio
Quid hóc negotist. méus sodalis Phílocrates
In líbertatest àput patrem in patriá. benest:
Nec ést mihi quisquam, mélius aeque quoí uelim.

Set hóc mihi aegrest, me huíc dedisse operám malam,
Qui núnc propter me méaque uerba uínctus est.
HE. Votuín te quicquam mi hódie falsum próloqui?
TY. Votuísti. HE. Quor es aúsus mentirí mihi?
TY. Quia uéra obessent ílli, quoi operám dabam:
Nunc fálsa prosunt. HE. Át tibi oberunt. TY. Óptumest:
At erúm seruaui, quém seruatum gaúdeo,
Quoi mé custodem addíderat erus maiór meus.
Set málene id factum [tu] árbitrare? HE. Péssume.
TY. At ego áio recte, qui áps te sorsum séntio:
Nam cógitato, síquis hoc gnató tuo
Tuus séruos faxet, quálem haberes grátiam?
Emítteresne nécne eum seruóm manu?
Essétne aput te is séruos acceptíssumus?
Respónde. HE. Opinor. TY. Quór ergo iratús mihi's?
HE. Quia illí fuisti [tú] quam mihi fidélior.
TY. Quid? tu úna nocte póstulauisti ét die
Recéns captum hominem, núperum et nouícium,
Te pérdocere, ut mélius consulerém tibi
Quam illí quicum una [a] púero aetatem exégeram?
HE. Ergo áb eo petito grátiam istam. dúcite
Vbi pónderosas, crássas capiat cónpedis:
Inde íbis porro in látomias lapidárias.
Ibi quom álii octonos lápides ecfodiúnt, nisi
Cotídiano sésquiopus conféceris,
Sescéntoplago nómen indetúr tibi.

AR. Per dèos atque homines égo te optestor, Hégio,
Ne tu ístunc hominem pérduis. HE. Curábitur:
Nam nóctu neruo uínctus custodíbitur,
Intérdius sub térra lapides éximet.
Diu ego húnc cruciabo, nón uno apsoluám die.
AR. Certúmnest tibi istuc? HE. Nón moriri cértiust.
Abdúcite istum actútum ad Hippolytúm fabrum,
Iubéte huic crassas cónpedis inpíngier.
Inde éxtra portam ad mèum libertum Córdalum
In lápicidinas fácite deductús siet:
Atque húnc me uelle dícite ita curárier,
Nequí deterius huíc sit quam quoi péssumest.
TY. Quor égo te inuito mé esse saluom póstulem?
Períclum uitae mèae tuo stat perículo.
Post mórtem in morte níhil est quod metuám mali.
Etsí peruiuo usque ád summam aetatém, tamen
Breue spátiumst perferúndi quae minitás mihi.
Vale átque salue, etsi áliter ut dicám meres.
Tu, Arístophontes, dé me ut meruisti íta uale:
Nam míhi propter te hoc óptigit. HE. Abdúcite.
TY. At únum hoc quaeso, si húc rebitet Phílocrates,
Vt mi éius facias cónueniundi cópiam.
HE. Perístis, nisi iam hunc é conspectu abdúcitis.
TY. Vis haéc quidem herclest, ét trahi et trudí semul.
HE. Illést abductus récta in phylacam, ut dígnus est.
Ego illís captiuis áliis documentúm dabo,
Ne tále quisquam fácinus incipere aúdeat.
Quod ápsque hoc esset, quí mihi hoc fecít palam,

Vsque óffrenatum sùis me ductarént dolis.
Nunc cértumst nulli pósthac quicquam crédere.
Satís sum semel decéptus: speraní miser
Ex séruitute me éxemisse fílium.
Ea spés elapsast. pérdidi unum fílium,
Puerúm quadrimum quém mihi seruos súrpuit,
Neque eúm seruom umquam répperi neque fílium:
Maiór potitus hóstiumst. quod hoc ést scelus:
Quasi in órbitatem líberos prodúxerim.
Sequere hác: redducam te úbi fuisti. néminis
Miseréri certumst, quía mei miseret néminem.
AR. Exaúspicaui ex uínclis: nunc intéllego
Redaúspicandum esse ín catenas dénuo.

ACTVS IIII.

ERGASILVS.

Iúppiter supréme, seruas mé measque augés opes:
Máxumas opímitates ópiparasque offérs mihi:
Laudém, lucrum, ludúm, iocum, festíuitatem, férias,
Pompám, penum, potátiones, sáturitatem, gaúdium.
[Saluós sum] nec quoiquam hómini supplicáre nunc certúmst mihi:
Nam uél prodesse amíco possum uél inimicum pérdere.
Ita híc me amoenitáte amoena amoénus onerauít dies:
[Ita] síne sacris heréditatem sum áptus ecfertíssumam.
Nunc ád senem cursúm capessam hunc Hégionem, quoí boni
Tantum ádfero, quantum ípsus a dis óptat, atque etiam ámplius.
Nunc cérta res est, èodem pacto ut cómici seruí solent,
Coníciam in collum pállium, primo éx me [ille] hanc ut rem aúdiat:
Speróque me ob hunc núntium [esse] aetérnum adepturúm cibum.

HEGIO. ERGASILVS.

HE. Quanto ín pectore hánc rem meó magis uolúto,
Tantó mi aegritúdo auctiór est in ánimo,

Ad íllum modúm sublitum ós esse mi hódie:
Neque íd perspicere quíui.
Quod quóm scibitúr, [tum] per úrbem inridébor.
Quom extémplo ad forum áduenero, ómnes loquéntur:
'Hic íllest senéx doctus, quoí uerba dáta sunt.'
Set Érgasilus éstne hic, procúl quem [ire] uídeo?
Conlécto quidémst pallió: quidnam actúrust?
ER. Moue áps te morám [nunc], Ergásile, atque age hánc rem.
Mínor interminórque, nequis mi [hódie] opstiterit óbuiam,
Nísi qui satis diú uixisse sése homo arbitrábitur:
Nám qui opstiterit óre sistet. HE. Híc homo pugilatum íncipit.
ER. Fácere certumst. pròinde ita omnes ítinera insistánt sua,
Néquis in hac plateá negoti cónferat quicquám sui:
Nám meus est ballísta pugnus, cúbitus catapultást mihi,
Húmerus aries: túm genu ut quemque ícero, ad terrám dabo.
Déntilegos omnís mortalis fáciam, quemque offéndero.
HE. Quaé illaec est minátio? nam néqueo mirarí satis.
ER. Fáciam ut huius dié locique mèique semper méminerit:
Quí mi in cursu opstíterit, faxo uítae is opstiterít suae.
HE. Quíd hic homo tantum íncipissit fácere cum tantís minis?
ER. Príus edico, néquis propter cúlpam capiatúr suam:
Cóntinete uós domi, prohibéte a uobis uím meam.

HE. Míra edepol sunt ni híc in uentrem súmpsit confidéntiam.
Vaé misero illi, quòius cibo iste fáctust imperiósior.
ER. Túm pistores scrófipasci, quí alunt furfurí sues,
Quárum odore praéterire némo pistrinúm potest:
Ĕorum si quoiúsquam scrofam in púplico conspéxero,
Éx ipsis dominís meis pugnis éxculcabo fúrfures.
HE. Básilicas edíctiones átque imperiosás habet.
Sátur homost, habét profecto in uéntre confidéntiam
ER. Túm piscatorés, qui praehibent pópulo piscis foétidos,
Qui áduehuntur quádrupedanti crúcianti canthério,
Quórum odos subbásilicanos ómnis abigit ín forum:
Ĕis ego ora uérberabo súrpiculis piscáriis,
Ýt sciant, aliéno naso quam éxhibeant moléstiam.
Túm lanii autem, quí concinnant líberis orbás ouis,
Quí locant caedúndos agnos ét dupla agninám danunt,
Quí petroni nómen indunt uérueci sectário:
Éum ego si in uiá petronem púplica conspéxero,
Ét petronem et dóminum reddam mórtalis misérrumos.
HE. Eúge: edictiónes aedilícias [pol] habet híc quidem:
Mírumque adeost ni húnc Aetoli síbi fecere agoránomum.
ER. Nón ego nunc parasítus sum, set régum rex regálior:
Tántus uentri cónmeatus méo adest in portú cibus.
Sét ego cesso hunc Hégionem oneráre laetitiá senem?
Quí homine [hominum] adaéque nemo uíuit fortunátior.
HE. Quaé illaec est laetítia, quam illic laétus largitúr mihi?

ER. [Púltabo aedis:] heús, ubi estis? écquis hoc aperit óstium?
HE. Híc homo ad cenam récipit se ad me. ER. Áperite hasce ambás foris
Príus quam pultando ássulatim fóribus exitiúm dabo.
HE. Pérlubet hunc cónloqui hominem: Ergásile. ER. Qui Ergasilúm uocat?
HE. Réspice [me]. ER. Fortúna tibi quod néc faciet nec [núnc] facit,
Hóc me iubes. set quíst? HE. Respicedum ad me: Hégio sum. ER. Óh mihi:
Quántumst hominum [tu] óptume optumórum, in tempore áduenis.
HE. Néscio quem ad pórtum nanctu's, úbi cenes: eo † fastidis.
ER. Cédo manum. HE. Manúm? ER. Manum, inquam, cédo tuam actutúm. HE. Tene.
ER. Gaúde. HE. Quid ego gaúdeam? ER. Quia ego ímpero. age gaudé modo.
HE. Pól maerores mi ánteuortunt gaúdiis. ER. * * * *
Iám ego ex corpore éxigam omnis máculas maerorúm tibi:
Gaúde audacter. HE. Gaúdeo, etsi níl scio quod gaúdeam.
ER. Béne facis: iubé . . HE. Quid iubeam? ER. Ígnem ingentem fíeri.
HE. Ígnem ingentem? ER. Íta dico, ut sit mágnus. HE. Quid? me, uólturi,
Tùan causa aedis íncensurum cénses? ER. Noli iráscier.
Iúben an non iubés astitui aúlas, patinas élui,
Láridum atque epulás foueri fóculis in feruéntibus,

Álium piscis praéstinatum abíre? HE. Hic uigilans sómniat.
ER. Álium porcinam átque agninam et púllos gallináceos?
HE. Scís bene esse, sí sit unde. ER. Múraenam atque ophthálmiam,
Hóraeum, scombrum ét trugonum et cétum et mollem cáseum?
HE. Nóminandi istórum tibi erit mágis quam edundi cópia
Híc aput me, Ergásile. ER. Mean me caúsa hoc censes dícere?
HE. Néc nihil hodie néc multo plus tu híc edes, ne frústra sis:
Pròin tu tui cotídiani uícti uentrem ad me ádferas.
ER. Quín ita faciam ut túte cupias fácere sumptum, etsi égo uotem.
HE. Égone? ER. Tu ne. HE. Túm tu mi igitur érus es. ER. Immo béneuolens.
Vín te faciam fórtunatum? HE. Málim quam miserúm quidem.
ER. Cédo manum. HE. En manúm. ER. Di te omnes ádiuuant. HE. Nil séntio.
ER. Nón enim es in sénticeto, eó non sentis. sét iube
Vása tibi pura ádparari ád rem diuinám cito
Átque agnum [huc] adférri propere pínguem. HE. Quor? ER. Vt sácrufices.
HE. Quoí deum? ER. Mihi [quidem] hércle: nam ego nunc tíbi sum summus Iúppiter:
Ídem ego sum Salús, Fortuna, Lúx, Laetitia, Gaúdium.

Pròinde tu deum hunc sáturitate fácias tranquillúm tibi.
HE. Éssurire míhi uidere. ER. Míhi quidem essurio, nón tibi.
HE. Tuo árbitratu: fácile patior. ER. Crédo: consuetú's puer.
HE. Iúppiter te díque perdant. ER. Te hércle mi aequomst grátias
Ágere ob nuntiúm: tantum ego nunc pórto a portu tíbi boni.
Núnc tu mihi placés. HE. Abi stultus, séro post tempús uenis.
ER. Ígitur olim si áduenissem, mágis tu tum istuc díceres.
Núnc hanc laetitiam áccipe a me quám fero: nam fílium
Tŭum modo in portú Philopolemum uíuom, saluom et sóspitem
Vídi in puplicá celoce ibidémque illum adulescéntulum
Áleum una et tŭum Stalagmum séruom, qui aufugít domo,
Quí tibi subrupuít quadrimum púerum filiolúm tuum.
HE. Ábi in malam rem, lúdis me. ER. Ita me amábit sancta Sáturitas,
Hégio, itaque sŭo me semper cóndecoret cognómine,
Ýt ego uidi. HE. Mĕumne gnatum? ER. Tŭum gnatum et geniúm meum.
HE. Ét captiuom illum Álidensem? ER. *Μὰ τὸν Ἀπόλλω.* HE. Et séruolum
Mĕum Stalagmum, mĕum qui gnatum súbrupuit? ER. *Νὴ τὰν Κόραν.*

HE. † Iam diu? ER. *Νὴ τὰν Πραινέστην.* HE. Vénit? ER. *Νὴ τὰν Σιγνίαν.*
HE. Cérton? ER. *Νὴ τὰν Φρουσινῶνα.* HE. Víde sis. ER. *Νὴ τὰν Ἀλάτριον.*
HE. Quíd tu per barbáricas urbis iúras? ER. Quia enim item ásperae
Súnt, ut tuum uictum aútumabas ésse. HE. Vae aetatí tuae.
ER. Quíppe quando míhi nil credis, quód ego dico sédulo.
Sét Stalagmus quŏius erat tunc nátionis, quom hínc abit?
HE. Sículus. ER. At nunc Sículus non est: Bóius est: boiám terit:
Líberorum quaérundorum caúsa ei credo uxór datast.
HE. Díc, bonan fidé tu mi istaec uérba dixistí? ER. Bona.
HE. Di ínmortales, íterum natus uídeor, si uera aútumas.
ER. Ăin tu? dubium habébis etiam, sáncte quom ego iurém tibi?
Póstremo, Hegió, si parua iúri iurandóst fides,
Víse ad portum. HE. Fácere certumst: tu íntus cura quód opus est:
Súme, posce, próme quiduis: té facio cellárium.
ER. Nam hércle, nisi ego mánticinatus próbe ero, fusti péctito.
HE. Aéternum tibi dápinabo uíctum, si uera aútumas.
ER. Ýnde id? HE. A me mĕoque gnato. ER. Spónden tu istut? HE. Spóndeo.
ER. Át ego tuum tibi áduenisse fílium respóndeo.

HE. Cúra quam optumé potes. ER. Bene ámbula et redámbula.
Íllic hinc abiit: míhi rem summam crédidit cibáriam.
Di ínmortales, iam út ego collos praétruncabo tégoribus.
Quánta pernis péstis ueniet, quánta labes lárido,
Quánta sumini ápsumedo, quánta callo cálamitas,
Quánta laniis lássitudo, quánta porcináriis:
Nam ália si memorém, quae ad uentris uíctum conducúnt, morast.
Núnc ibo [in meam] praéfecturam, út ius dicam lárido
Ét quae pendent índemnatae pérnae, eis auxilium út feram.

PVER.

Diéspiter te díque, Ergasile, pérdant et uentrém tuum
Parasítosque omnis ét qui posthac cénam parasitís dabit.
Cladés calamitasque, íntemperies módo in nostram aduenít domum.
Quasi [sí sit] lupus esúriens, metui ne ín me faceret ínpetum.
Nimisque hércle ego illum mále formidabam: íta frendebat déntibus.
Aduéniens deturbáuit totum cúm carni carnárium.
Arrípuit gladium, détruncauit tríbus tegoribus glándia.
Aulás calicesque omnís confregit, nísi quae modialés erant:
Cocúm percontabátur, possent sériae feruéscere.

Cellás refregit ómnis intus reclúsitque [omne] armárium.
Adséruate istunc súltis, serui: ego íbo ut conueniám senem:
Dicam [ílli] ut sibi penum áliut ornet, sí quidem sese utí uolet:
Nam [ín hóc], ut hic quidem adórnat, aut iam níhil est aut iam níhil erit.

ACTVS V.

HEGIO. PHILOPOLEMVS. PHILOCRATES. STALAGMVS.

HE. Iouí disque agó gratiás merito mágnas,
Quom té reducem [núnc] tuo patrí reddidérunt
Quomque éx miseriís plurumís me exemérunt,
Quas, dúm te caréndum hic fuít, sustentábam,
Quomque húnc [ego] conspício in potéstate nóstra
Quomque húius repértast fidés firma nóbis.
PHILOP. Sátis iam dolui ex ánimo et cura sátis me et lacrumis máceraui:
Sátis iam audiui tùas aerumnas, ád portum mihi quás memorasti.
Hóc agamus. PHILOCR. Quíd nunc, quoniam técum seruauí fidem
Tíbique hunc reducem in líbertatem féci? HE. Fecisti út tibi,
Phílocrates, numquám referre grátiam possím satis,
Prŏinde ut tu proméritu's de me et fílio. PHILOP. Immó potes,
Páter, et poteris ét ego potero et dí potestatém dabunt,
Ýt beneficium béne merenti nóstro merito múneres,
Sícut tu huic potés, pater mi, fácere merito máxume.
HE. Quíd opust uerbis? língua nullast quá negem quidquíd roges.

Philocr. Póstulo aps te ut mi íllum reddas séruom, quem hic relíqueram
Pígnus pro me, míhi qui melior quám sibimet sempér fuit,
Pró benefactis éius ut ei prétium possim réddere.
HE. Quóm bene fecistí, referetur grátia id quod póstulas:
Ét id et aliut quód me orabis ímpetrabis. átque te
Nólim suscensére, quod ego irátus ei fecí male.
Philocr. Quíd fecisti? HE. In lápicidinas cónpeditum cóndidi,
Ýbi resciui míhi data esse uérba. Philocr. Vae miseró mihi:
Própter meum capút labores hómini euenisse óptumo.
HE. Át ob eam rem míhi libellam pró eo argenti né duis:
Grátiis a me, út sit liber, dúcito. Philocr. Edepol, Hégio,
Fácis benigne: sét quaeso hominem ut iúbeas arcessí. HE. Licet.
Ýbi uos estis? íte actutum, Týndarum huc arcéssite.
Vós ite intro: intéribi ego ex hac státua uerbereá uolo
Érogitare, mèo minore quíd sit factum fílio.
Vós lauate intéribi. Philop. Sequere hac, Phílocrates, me intró. Philocr. Sequor.
HE. Áge tu illuc procéde, bone uir, lépidum mancupiúm meum.
ST. Quíd me facere opórtet, ubi tu tális uir falsum aútumas?

Fúi ego bellus, lépidus, bonus uir númquam neque frugí bonae
Néque ero umquam: ne [tu ín] spem ponas mé bonae frugí fore.
HE. Própemodum ubi locí fortunae tŭae sint facile intéllegis.
[Si eris uerax, tua ex re facies, ex mala meliusculam.]
Récta et uera lóquere: set neque uére [tu] neque récte adhuc
Fécisti umquam. ST. Quód ego fatear, crédin pudeat quom aútumes?
HE. Át ego faciam ut púdeat: nam in rubórem te totúm dabo.
ST. Éia, credo ego, ínperito plágas minitarís mihi:
Tándem ista aufer. díce quid fers, út feras hinc quód petis.
HE. Sátis facundu's: sét iam fieri dícta conpendi uolo.
ST. Ýt uis fiat. HE. Béne morigerus fŭit puer: nunc nón decet.
Hóc agamus. iam ánimum aduorte ac míhi quae dicam edíssere.
Sí eris uerax, éx tuis rebus féceris meliúsculas.
ST. Núgae istaec sunt: nón me censes scíre quid dignús siem?
HE. Át ea supterfúgere potis es paúca, si non ómnia.
ST. Paúca ecfugiam, scío: nam multa euénient, et meritó meo,
Quía [ego] et fugi et tíbi subrupui fílium et eum uéndidi.

HE. Quoí homini? ST. Polyplúsio Theodóromedi in Álide
Séx minis. HE. Pro di ínmortales: ís quidem huius ést pater
Phílocratis. ST. Quin mélius noui quám te et uidi saépius.
HE. Sérua, Iuppitér supreme, et méd et meum gnatúm mihi.
Phílocrates, per tŭum te genium ópsecro, exi: té uolo.

PHILOCRATES. HEGIO. STALAGMVS.

PH. Hégio, adsum: síquid me uis, ímpera. HE. Hic gnatúm meum
Tŭo patri ait se uéndidisse séx minis in Álide.
PH. Quám diu id factúmst? ST. Hic annus íncipit uicénsumus.
PH. Fálsa memorat. ST. Aút ego aut tu: nám quadrimulúm tibi
Túus pater pecúliarem páruolo pueró dedit.
PH. Quíd erat ei nomén? si uera dícis, memoradúm mihi.
ST. Paégnium uocitátust: post uos índidistis Týndaro.
PH. Quór ego te non nóui? ST. Quia iam mós est obliuisci hóminibus
Néque nouisse, quóius nihili sít faciunda grátia.
PH. Díc mihi, isne istíc fuit quem uéndidisti mèo patri,
Quí mihi [puero] dátus peculiárist? ST. Huius fílius.

HE. Víuitne is homo? ST. Argéntum accepi, níl curaui céterum.
HE. Quíd tu ais? PH. Quin ístic ipsust Týndarus tuus fílius,
Vt quidem hic arguménta loquitur. nam is mecum a peueró puer
Béne pudiceque éducatust úsque ad adulescéntiam.
HE. Ét miser sum et fórtunatus, sí uos uera dícitis.
Ĕo miser sum, quía male illi féci, si gnatús meust.
Éheu, quom ego plús minusque féci [illi] quam aequóm fuit.
Quód male feci, crúcior: modo si inféctum fieri póssiet.
Sét eccum incedit húc ornatus haút ex suis uirtútibus.

Tyndarvs. Hegio. Philocrates. Stalagmvs.

TY. Vídi ego multa saépe picta quae Ácherunti fíerent
Crúciamenta: uérum enimuero núlla adaequest Ácheruns
Átque ubi ego fui in lápicidinis. íllic ibi demúmst locus,
Vbi labore lássitudost éxigunda ex córpore.
Nam úbi illo adueni, quási patriciis púeris aut monédulae
Aút anates aut cóturnices dántur quicum lúsitent:
Ítidem mi adueniénti haec upupa quí me delectém datast.
Sét erus eccum ante óstium, et erus álter eccum ex Álide

Rédiit. HE. Salueto, éxoptate gnáte mi. TY. Hem: quid, gnáte mi?
Áttat, scio quor té patrem esse adsímules et me fílium:
Quía mi item ut paréntes lucis dás tuendi cópiam.
PH. Sálue, Tyndare. TY. Ét tu, quoius caúsa hanc aerumnam éxigo.
PH. Át nunc liber ín diuitias fáxo uenies: nám tibi
Páter hic est: hic séruost qui te huic hínc quadrimum súrpuit,
Véndidit patrí meo te séx minis. is té mihi
Páruolum pecúliarem páruolo pueró dedit.
Íllic indicium fécit: nam hunc ex Álide huc redúcimus
Quín huius filium íntus eccum, frátrem germanúm tuum.
TY. Quíd tu ais? addúxtine illum cáptiuom huius fílium?
PH. Quín, inquam, intus híc est. TY. Fecisti édepol et recte ét bene.
PH. Núnc tibi pater hic ést: hic fur est túus, qui paruom hinc te ápstulit.
TY. Át ego hunc grandis grándem natu ob fúrtum ad carnuficém dabo.
PH. Méritus est. TY. Ergo édepol [merito] méritam mercedém dabo.
Sét dic, oro [té], pater meus tún' es? HE. Ego sum, gnáte mi.
TY. Núnc demum in memóriam redeo, quóm mecum recógito
[Nunc edepol demum in memoriam regredior audisse me]

Quási per nebulas Hégionem mĕum patrem uocárier.
HE. Égo sum. PH. Conpedibús [te] quaeso ut tíbi sit leuior fílius
Átque hic grauior séruos. HE. Certumst príncipium id praeuórtier.
Éamus intro, ut árcessatur fáber, ut istas cónpedis
Tíbi adimam, huic dem. ST. Quoí peculi níhil est, recte féceris.

Caterva.

Spéctatores, ád pudicos móres facta haec fábulast.
Néque in hac subigitátiones súnt neque ulla amátio
Néc pueri suppósitio aut argénti circumdúctio,
Néque ubi amans aduléscens scortum líberet clam sŭum patrem.
Hŭius modi paucás poetae réperiunt comoédias,
Ýbi boni melióres fiant. núnc uos, si uobís placet
Ét si placuimús neque odio fúimus, signum hoc míttite:
Quí pudicitiae ésse uoltis praémium, plausúm date.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 ad 194 iambici senarii
\- 195 et 196 iambici octonarii
\- 197 iambicus dimeter acatalectus
\- 198 et 199 iambici octonarii
\- 200 et 202 iambici senarii
\- 201 et 203 iambici octonarii
\- 204 et 205 cretici tetrametri acatalecti
\- 206 iambicus octonarius
\- 207 creticus tetrameter acatalectus

V. 208 et 209 trochaici octonarii
- 210 et 211 cretici tetrametri acatalecti
- 212 creticus dimeter acatalectus
- 213 ad 224 cretici tetrametri acatalecti
- 225 iambicus dimeter acatalectus
- 226 ad 230 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 231 iambicus septenarius
- 232 creticus tetrameter acatalectus
- 233 creticus dimeter acatalectus
- 234 ad 239 cretici tetrametri acatalecti
- 240 et 241 trochaici octonarii
- 242 ad 360 trochaici septenarii
- 361 ad 384 iambici senarii
- 385 ad 497 trochaici septenarii
- 498 bacchiacus dimeter acatalectus
- 499 ad 502 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 503 bacchiacus dimeter acatalectus
- 504 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 505 iambicus senarius
- 506 et 507 iambici dimetri acatalecti
- 508 iambicus dimeter catalecticus
- 509 bacchiacus dimeter acatalectus
- 510 ad 515 iambici septenarii
- 516 ad 524 iambici octonarii
- 525 iambicus senarius
- 526 ad 532 trochaici septenarii
- 533 ad 540 iambici octonarii
- 541 ad 658 trochaici septenarii
- 659 ad 767 iambici senarii
- 768 et 769 trochaici septenarii
- 770 ad 780 iambici octonarii
- 781 ad 783 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 784 iambicus dimeter catalecticus
- 785 ad 790 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 791 ad 908 trochaici septenarii
- 909 ad 921 iambici octonarii
- 922 ad 927 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 928 et 929 trochaici octonarii
- 930 ad 1036 trochaici septenarii.

T. MACCI PLAVTI

MILES GLORIOSVS.

GRAECA ALAZON.

ARGVMENTVM I.

Meretrícem Athenis Éphesum miles áuehit.
Id dúm ero amanti séruos nuntiáre uolt
Legáto peregre, cáptust ipsus ín mari
Et éidem illi míliti donó datust.
Suum arcéssit [seruos dóminum] Athenis ét forat
Geminís conmunem [scíte] parietem aédibus,
Licéret ut clam cónuenire amántibus.
Obérrans custos hós uidet de tégulis,
Ridículis autem, quási sit alia, lúditur.
Itémque inpellit mílitem Palaéstrio
Omíssam faciat cóncubinam, quándo ei
Senís uicini cúpiat uxor núbere.
Vltro ábeat orat, dónat multa. ipse ín domo
Senís prehensus poénas pro moechó luit.

ARGVMENTVM II.

Meretrícem ingenuam déperibat mútuo
Athéniensis iúuenis. Naupactum ís domo
Legátus abiit: míles in eandem íncidit,
Depórtat Ephesum inuítam. seruos Áttici
Vt núntiaret dómino factum náuigat:
Capitúr, donatur ílli captus míliti.
Ad erum út ueniret Éphesum scribit. áduolat
Aduléscens atque in próxumo deuórtitur
Aput hóspitem patérnum. medium párietem
Perfódit seruos, cónmeatus clánculum

Qua fóret amantum: géminam fingit múlieris
Sorórem adesse. móx ei dominus aédium
Suám cluentam ad sóllicitandum mílitem
Subórnat. capitur ílle: sperat núptias,
Dimíttit concubínam et moechus uápulat.

PERSONAE.

PYRGOPOLINICES MILES
ARTOTROGVS PARASITVS
PALAESTRIO SERVOS
PERIPLECOMENVS SENEX
SCELEDRVS SERVOS
PHILOCOMASIVM MVLIER
PLEVSICLES ADVLESCENS
LVCRIO PVER
MILPHIDIPPA ANCILLA
ACROTELEVTIVM MERETRIX
SERVI
PVER
CARIO COCVS
LORARII
CANTOR.

ACTVS I.

PYRGOPOLINICES (CVM SATELLITIBVS). ARTOTROGVS.

PY. Curáte ut splendor mĕo sit clupeo clárior,
Quam sólis radii esse ólim quom sudúmst solent:
Vt, ubi úsus ueniat, cóntra consertá manu
Praestríngat oculorum áciem [acri] in acie hóstibus.
Nam ego hánc machaeram míhi consolarí uolo,
Ne lámentetur néue animum despóndeat,
Quia sé iam pridem fériatam géstitem,
Quae mísere gestit strágem facere ex hóstibus.
Set ubi Ártotrogust? AR. Híc est, stat proptér uirum
Fortem átque fortunátum et forma régia.
Tam béllatorem Márs se haut ausit dícere
Neque aéquiperare sŭas uirtutis ád tuas.
PY. Quemne égo seruaui in cámpis Gorgonidóniis,
Vbi Búmbomachides Clútomestoridysárchides
Erat ímperator súmmus, Neptuní nepos?
AR. Meminí: nempe ĭllum dícis cum armis aúreis,
Quoius tú legiones dífflauisti spíritu
Quasi uéntus folia aut pániculum tectórium.
PY. Istúc quidem edepol níhil est. AR. Nihil hercle hóc quidemst,
Praeut ália dicam, tú quae numquam féceris.
Periúriorem hoc hóminem siquis uíderit
Aut glóriarum pléniorem, [hercle ís quidem]

Me síbi habeto, ego me [ei] máncupio dabó: nisi
Vnum épityrum estur [ínsanum] insané bene.
PY. Vbi tú's? AR. Eccum. edepol uél elephanto in Índia
Quo pácto pugno praéfregisti bráchium.
PY. Quid, bráchium? AR. Illut 'féminur' uolui dícere.
PY. At indíligenter íceram. AR. Pol sí quidem
Conísus esses, pér corium, per uíscera
Perque ós elephanti tránstineret bráchium.
PY. Nolo ístaec hic nunc. AR. Ne hércle operae pretiúm quidemst
Mihi té narrare, tŭas qui uirtutís sciam.
Ventér creat omnis hás aerumnas: aúribus
Perhaúriendumst, né [mihi] dentes déntiant,
Et ádsentandumst quídquid hic mentíbitur.
PY. Quid illúc quod dico? AR. Hem, scío iam quid uis dícere:
Factum hérclest: memini fíeri. PY. Quid id est? AR. Quídquid est.
PY. Habén tabellas? AR. Vís rogare? habeo, ét stilum.
PY. Facéte aduortis túum animum ad animúm meum.
AR. Nouísse mores tŭos me meditaté decet
Curámque adhibere ut praéolat mihi quod tú uelis.
PY. Ecquíd meministi? AR. Mémini: centum in Cílicia
Et quínquaginta, céntum in Cryphioláthronia,
Trigínta Sardi, séxaginta Mácedones
Sunt hómines, quos tu occídisti [una] unó die.

PY. Quanta ístaec hominum súmmast? AR. Septem mília.
PY. Tantum ésse oportet: récte rationém tenes.
AR. At núllos habeo scríptos: sic meminí tamen.
PY. Edepól memoria's óptuma. AR. Offaé monent.
PY. Dum tále facies quále adhuc, adsíduo edes:
Commúnicabo sémper te mensá mea.
AR. Quid ín Cappadocia, úbi tu quingentós semul,
Ni hebés machaerá fóret, uno ictu occíderas?
PY. Satíetas belli quía erat, siui uíuerent.
AR. Quid tíbi ego dicam, quód omnes mortalés sciunt,
Pyrgópolinicem te únum in terra uíuere
Virtúte et forma et fáctis inuictíssumum?
Te omnés amant mulíeres, neque [id] iniúria,
Qui sís tam pulcer. uél illae quae heri pállio
Me réprehenderunt . . PY. Quíd eae dixerúnt tibi?
AR. Rogitábant: 'hicine Achílles est?' inquít mihi.
'Immo éius frater' ínquam 'est'. ibi illarum áltera
'Ergó mecastor púlcer est' inquít mihi
'Et líberalis: uíde caesaries quám decet:
Ne illaé sunt fortunátae quae cum istó cubant.'
PY. Itane ăibant tandem? AR. Quaé me ambae opsecráuerint
Vt te hódie quasi pompam ílla praeterdúcerem.
PY. Nimiást miseria nímis pulcrum esse hominém. AR. [Mihi]
Moléstiae sunt: órant, ambiunt, ópsecrant
Vidére ut liceat: ád sese arcessí iubent:
Vt tŭo non liceat óperam dare negótio.
PY. Vidétur tempus ésse ut eamus ád forum:

Vt ín tabellis quós consignaui [ínterim]
Latrónes, hibus dínumerem stipéndium.
Nam réx Seleucus me ópere orauit máxumo
Vt síbi latrones cógerem et conscríberem.
[Ei] rei húnc diem mihi óperam decretúmst dare.
AR. Age eámus ergo. PY. Séquimini, satéllites.

ACTVS II.

PALAESTRIO.

Mihi ad énarrandum hoc árgumentumst cómitas,
Si ad aúscultandum uóstra erit benígnitas.
Qui autem aúscultare nólet, exurgát foras,
Vt sít ubi sedeat ílle qui auscultáre uolt.
Nunc qua ádsedistis caúsa in festiuó loco,
Comoédiai quám modo acturí sumus
Et árgumentum et nómen uobis éloquar.
Alázon Graece huic nómen est comoédiae:
Id nós Latine glóriosum dícimus.
Hoc óppidum Ephesust: índe miles méus erus,
Qui hinc ád forum abiit, glóriosus, ínpudens,
Stercóreus, plenus périuri atque adúlteri,
Ait sése ultro omnis múlieres sectárier.
Is déridiculost, quáqua incedit, ómnibus:
Itaque híc meretricis, lábiis dum ductánt eum,
Maiórem partem uídeas ualgis sáuiis.
Id uólo uos scire, quó modo ad hunc deuénerim
In séruitutem ab ĕo quoi seruiuí prius:
Nam ego haú diu aput hunc séruitutem séruio.
Date óperam: nam nunc árgumentum exórdiar.
Erat érus Athenis míhi adulescens óptumus.
Is amábat meretricem [áltam] Athenis Átticis
Et illa íllum contra: quíst amor cultu óptumus.

Is púplice legátus Naupactúm fuit
Magnái rei púplicai grátia.
Intéribi hic miles fórte Athenas áduenit.
Insínuat sese ad íllam amicam erí [mei]:
Occépit eius mátri suppalpárier
Vino, órnamentis ópiparisque opsóniis:
Itaque íntumum ibi se míles aput lenám facit.
Vbi prímum euenit míliti huic occásio,
Sublínit os illi lénae, matri múlieris,
Quam erus méus amabat. nám is illius fíliam
Conícit in nauem míles clam matrém suam
Eamque húc inuitam múlierem in Ephesum áduehit.
Vt amícam erilem Athénis auectám sció,
Ego [tántum] quantum [pótis sum] mihi nauém paro:
Inscéndo, ut eam rem Naúpactum ad erum núntiem.
Vbi súmus prouecti in áltum, sicut uóluerunt
Capiúnt praedones náuem illam ubi uectús fui.
Prius périi quam ad erum uéni quo ire occéperam.
Ille [quí] me cepit dát me huic dono míliti.
Hic póstquam in aedis méd ad se adduxít domum,
Video íllam amicam erílem, Athenis quaé fuit.
Vbi cóntra aspexit me, óculis mihi signúm dedit,
Ne se áppellarem. dèinde, postquam occásiost,
Conquéritur mecum múlier fortunás suas.
Ait sése Athenas fúgere cupere ex hác domu:
Sese íllum amare, méum erum, Athenis quí fuit,
Neque péius quemquam odísse quam istum mílitem.
Ego quóniam inspexi múlieris senténtiam,
Cepí tabellas, cónsignaui clánculum,
Dedi mércatori quoídam, qui ad illum déferat,
[Meum erum, qui Athenis fuerat, qui hanc amauerat]

Vt is húc ueniret. ís non spreuit núntium:
Nam et uénit et hic in próxumo deuórtitur
Apút paternum suum hóspitem, lepidúm senem.
Atque [ís] illi amanti suo hóspiti morém gerit
Nosque ópera consilióque adhortatúr, iuuat.
Itaque égo paraui hic íntus magnas máchinas,
Qui amántis una intér se facerem cónuenas:
Nam unúm conclaue cóncubinae quód dedit
Milés, quo nemo nísi eapse inferrét pedem,
In eó conclaui ego pérfodiui párietem,
Qua cónmeatus clam ésset hinc huc múlieri.
Et séne sciente hoc féci: ís consiliúm dedit.
Nam méus conseruos ést homo hau magní preti,
Quem cóncubinae míles custodem áddidit.
Ei nós facetis fábricis et doctís dolis
Glaucúmam ob oculos óbiciemus ĕumque ita
Faciémus ut quod uíderit ne uíderit.
Et móx ne erretis, haéc duarum hodie [ín] uicem
Et híc et illic múlier feret imáginem
Atque éadem erit, uerum ália esse adsimulábitur.
Ita súblinetur ós custodi múlieris.
Set fóris concrepuit hínc a uicinó sene.
Ipse éxit: hic illest lépidus quem dixí senex.

PERIPLECOMENVS. PALAESTRIO.

PE. Ni hércle defregéritis talos pósthac, quemque in tégulis
Víderitis aliénum, ego uostra fáciam latera lórea.
Míhi quidem iam arbitrí uicini súnt, meae quid fiát domi:

Íta per inpluuium íntro spectant. núnc adeo edico ómnibus:
Quemque a milite hóc uideritis hóminem in nostris tégulis,
Éxtra unum Palaéstrionem, huc déturbatote ín uiam.
Quód ille gallinam aút columbam sé sectari aut símiam
Dícat: disperístis, ni usque ad mórtem male mulcássitis.
Átque adeo, ut ne légi fraudem fáciant aleáriae,
Ádcuratote út sine talis dómi agitent conuíuium.
PA. Néscio quid malefáctum [a] nostra huic fámiliast, quantum aúdio:
Íta hic senex talós elidi iússit conseruís meis.
Sét me excepit: níhili facio quíd illis faciat céteris.
Ádgrediar hominem. PE. Ítne aduorsum hic qui áduenit [rectá uia]?
PA. Quíd agis, Periplecómene? PE. Hau multos hómines, si optandúm foret,
Núnc uidere et cónuenire quám te mauellém. PA. Quid est?
Quíd tumultuás cum nostra fámilia? PE. Occisí sumus.
PA. Quíd negotist? PE. Rés palamst. PA. Quae rés palamst? PE. De tégulis
Módo nescio quis ínspectauit uóstrum familiárium
Pér nostrum inpluuium íntus aput nos Phílocomasium atque hóspitem
Aúsculantis. PA. Quís homo id uidit? PE. Túus conseruos. PA. Quís is homost?
PE. Néscio: ita abripuít repente sése subito. PA. Súspicor
Mé perisse. PE. Vbi abít, conclamo: 'heus, quíd agis tu' inquam 'in tégulis?'

Ille mihi abiens íta respondit, sé sectari símiam.
PA. Vaé mihi misero quoí pereundumst própter nihili béstiam.
Sét Philocomasium hícine etiam núnc est? PE. Quom exibam, híc erat.
PA. Síst, iube huc transíre quantum póssit, se ut uideánt domi
Fámiliares: nísi quidem illa nós uolt, qui seruí sumus,
Própter amorem suum ómnis crucibus cóntubernalís dari.
PE. Díxi ego istuc: nísi quid aliut uís. PA. Volo. hoc ei dícito:
[Ne hércle usquam] artem et dísciplinam apstíneat colere. PE. Quem ád modum?
PA. V́t eum qui se hic uídit uerbis uíncat ne is se uíderit.
Qui árguat se, eum cóntra uincat iúre iurandó suo.
Sí quidem centiéns hic uisa sít, tamen infitiás eat.
Nám mulier holitóri numquam súpplicat, si quást mala:
Dómi habet hortum et cóndimenta ad ómnis † molis máleficas,
[Dómi] habet os, linguám, perfidiam, málitiam atque audáciam,
[Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam]
Dòmi dolos, domi délenifica fácta, domi fallácias.
PE. Égo istaec, si erit hic, núntiabo. sét quid est, Paléstrio,
Quód uolutas túte tecum in córde? PA. Paulispér tace,
Dúm ego mihi consília in animum cónuoco et dum cónsulo
Quíd agam, quem dolúm doloso cóntra conseruó parem,

Qui íllam hic uidit aúsculantem: id uísum ne uisúm siet.
PE. Quaére: ego hinc apscésscro aps te huc ínterim. illuc sís uide,
Quem ád modum astitít seuero frónte curans, cógitans.
Péctus digitis púltat: cor credo éuocaturúst foras.
Écce auortit: rúsus laeuo in fémine habet laeuám manum.
Déxtera digitís rationem cónputat: ferít femur.
Déxtera micát uehementer: quód agat aegre súppetit.
Cóncrepuit digitís: laborat, crébro conmutát status.
Éccere autem cápite nutat: nón placet quod répperit.
Quídquid est, incóctum non exprómet, bene coctúm dabit.
Écce autem aedificát: columnam ménto suffigít suo.
Ápage, non placét profecto míhi illaec aedificátio:
Nam ós columnatúm poetae esse índaudiui bárbaro,
Quoí bini custódes semper tótis horis óccubant.
Eúge, euscheme hercle ástitit et dúlice et comoédice.
Númquam hodie quiéscet prius quam id quód petit perfécerit.
Hábet, opinor. áge siquid agis: uígila, ne somnó stude:
Nísi quidem hic agitáre mauis uárius uirgis uígilias.
Tíbi ego dico: an, heúreta, me hauscis te ádloqui? Palaéstrio,
Vígila inquam, expergíscere inquam: lúcet hoc inquam. PA. Aúdio.
PE. Víden hostis tibi adésse tuoque térgo opsidium? consule,
Árripe opem auxiliúmque ad hanc rem: própere hoc non placidé decet.

Ánteueni aliqua [atque] áliquo actutum círcumduce exércitum.
Cóge in opsidiúm perduellis, nóstris praesidiúm para.
Ínterclude cónmeatum inimícis, tibi muní uiam,
Quá cibatus cónmeatusque ád te et legionés tuas
Túto possit péruenire. hanc rém age: res subitáriast.
Réperi, comminíscere, cedodum cálidum consiliúm cito.
Quae híc sunt uisa ut uísa ne sint, fácta infecta utí sient.
Mágnam illic, homo, rem íncipissis, mágna moenis moénia.
Túte hoc si unus récipere ad te dícis, confidéntiast
Nós inimicos prófligare pósse. PA. Dico et récipio.
PE. Ét ego te impetráre dico id quód petis. PA. At te Iúppiter
Béne amet. PE. At tu inpérti, amice, mé quod conmentú's. PA. Tace,
Dum ín regionem astútiarum mèarum te induco: út scias
Iúxta mecum méa consilia. PE. Sálua sumes índidem.
PA. Érus meus elephánti corio círcumtentust, nón suo,
Néque habet plus sapiéntiae quam lápis. PE. Istuc egomét scio.
PA. Núnc sic rationem íncipissam, hánc instituam astútiam:
Ád Philocomasium húc sororem géminam germanam álteram
Dícam Athenis áduenisse cúm amatore aliquó suo,
Tám similem quam lácte lactist: ăput te eos hic deuórtier
Dícam hospitio. PE. Euge, eúge, lepide: laúdo conmentúm tuum.

PA. Ýt, si illanc concríminatus sít aduorsum mílitem
Méus conseruos, [se] ĕam uidisse hic cum álieno ausculárier,
Árguam [hanc] uidísse aput te cóntra conseruóm meum
Cúm suo amatore ámplexantem atque aúsculantem. PE. Immo óptume.
Ídem ego dicam, si [éx] me exquiret míles. PA. Set simíllumas
Dícito esse: et Phílocomasio id praécipiundumst út sciat:
Né titubet, si exquíret ex ea míles. PE. Nimis doctúm dolum.
Sét si ambas uidére in uno míles concilió uolet,
Quíd agimus? PA. Facilést. trecentae póssunt causae cónligi:
'Nón domist: abiit ámbulatum: dórmit: ornatúr: lauat:
Prándet: potat: óccupatast: óperae non est: nón potest'.
Quántum uis prolátionumst: dúm modo hunc primá uia
Índucamus, uéra ut esse crédat quae mentíbimur.
PE. Plácet ut dicis. PA. Íntro abi ergo et si ístist mulier, ĕam iube
Cíto domum transíre atque haec ei [díce,] monstra, praécipe,
Ýt teneat consília nostra, quem ád modum exorsí sumus,
Dé gemina soróre. PE. Docte tíbi illam perdoctám dabo.
Númquid aliut? PA. Íntro ut abeas. PE. Ábeo. PA. Et quidem ego ibó domum
Átque homini inuestígando operam huic díssimulabo [mé dare],
Quí fuerit conséruos, qui hodie sít sectatus símiam.

Nam ílle non potuit quín sermone suo áliquem familiárium
Párticipauerít de amica erí, uidisse sése eam
Híc in proxumo aúsculantem cum álieno adulescéntulo.
Nóui morem egomét: 'tacere néqueo solus quód scio'.
Si ínuenio qui uídit, ad eum uíneam pluteósque agam.
Rés paratast: uí pugnandoque hóminem caperest cérta res.
Si íta non reperio, íbo odorans quási canis uenáticus
Ýsque donec pérsecutus uólpem ero uestígiis.
Sét fores crepuérunt nostrae: ego uóci moderabór meae:
Nam íllic est Philocomásio custos, méus conseruos, qui ít foras.

SCELEDRVS. PALAESTRIO.

SC. Nísi quidem ego hodie ámbulaui dórmiens in tégulis,
Cérto edepol scio mé uidisse hic próxume uicíniae
Phílocomasium erílem amicam síbi malam rem quaérere.
PA. Híc illam uidit aúsculantem, quántum hunc audiuí loqui.
SC. Quís hic est? PA. Tuus conséruost. quid agis, Scéledre? SC. Te, Palaéstrio,
Vólup est conuenísse. PA. Quid iam? aut quíd [hoc] negotist? fác sciam.
SC. Métuo .. PA. Quid metuís? SC. Ne hercle hodie, quántumst familiárium,

Máxumum in malúm cruciatum hic ínsuliamus. PA. Tú sali
Sólus: nam ego istam ínsulturam et désulturam níl moror.
SC. Néscis tu fortásse, aput nos fácinus quod natúmst nouom.
PA. Quód id est facinus? SC. Ínpudicum. PA. Túte sci solí tibi:
Míhi ne dixis: scíre nolo. SC. Nón enim faciam quín scias.
Símiam hodie súm sectatus nóstram in horum tégulis.
PA. Édepol, Sceledre, homó sectatu's níhili nequam béstiam.
SC. Dí te perdant. PA. Té istuc aequomst, quóniam occepisti éloqui.
SC. Fórte fortuná per inpluuium húc despexi in próxumum:
Átque ego illi aspicio aúsculantem Phílocomasium cum áltero
Néscio quo adulescénte. PA. Quod ego, Scéledre, scelus ex te aúdio?
SC. [Hércle] uidi. PA. Tútine? SC. Egomet, dŭobus his oculís meis.
PA. Ábi, non uerisímile dicis néque uidisti. SC. Núm tibi
Líppus uideor? PA. Médicum istuc tibi méliust percontárier.
Vérum enim tu istam, sí te di ament, témere hau tollas fábulam.
Tŭis nunc cruribús capitique fraúdem capitalem hínc creas:
Nám tibi iam ut pereás paratumst dúpliciter, nisi súpprimis

Tŭum stultiloquiúm. SC. Qui uero dúpliciter? PA. Dicám tibi.
Prímumdum, si fálso insimulas Phílocomasium, hoc périeris:
Íterum, si id est uérum, tu ei cústos additus périeris.
SC. Quíd fuat me néscio: hoc me uídisse ego certó scio.
PA. Pérgin, infelíx? SC. Quid tibi uis dícam, nisi quod uíderim?
Quín etiam nunc íntus hic in próxumost. PA. Eho, nón domist?
SC. Víse, abi intro túte: nam ego iam míhi nil credi póstulo.
PA. Cértumst facere. SC. Híc te opperiar: èadem illi insidiás dabo,
Quám mox horsum ad stábulum iuuenix récipiat se [a] pábulo.
Quíd ego nunc faciám? custodem mé illi miles áddidit:
Núnc si indicium fácio, interii: sí taceo, [interií] tamen,
Si hóc palam fuerít. quid peiust múliere aut audácius?
Dúm ego in tegulís sum, illa [ex suo] se hóspitio eduxít foras.
Édepol facinus fécit audax. hóc nunc si milés sciat,
Crédo hercle hasce aedís sustollat tótas atque hunc ín crucem.
Hércle, quidquid est, mússitabo pótius quam intereám male.
Nón ego possum quae ípsa sese uénditat tutárier.
PA. Scéledre, Sceledre, quís homo in terris álter [test] audácior?
Quís magis dis inimícis natust quám tu atque iratís? SC. Quid est?

PA. Iúben tibi oculos écfodiri, quíbus id quod nusquámst uides?
SC. Quíd, nusquam? PA. Non égo tuam empsim uítam uitiosá nuce.
SC. Quíd negotist? PA. Quíd negoti sít rogas? SC. Quor nón rogem?
PA. Nón tu tibi istam praétruncari línguam largiloquám iubes?
SC. Quam ób rem iubeam? PA. Phílocomasium éccam domi, quam in próxumo
Vídisse aibas te aúsculantem atque ámplexantem cum áltero.
SC. Mírumst lolio uíctitare té tam uili trítico.
PA. Quíd iam? SC. Quia luscítiosu's. PA. Vérbero edepol tú quidem
Caécu's, non luscítiosus: nam [éccillam] quidém domi.
SC. Quíd, domi? PA. Domi hércle uero. SC. Abi, lúdis me, Palaéstrio.
PA. Iám mihi sunt manus ínquinatae. SC. Quídum? PA. Quia ludó luto.
SC. Vaé capiti tuó. PA. [Tuo] istuc, Scéledre, promittó fore,
Nísi oculos orátionemque ália conmutás tibi.
Sét fores crepuérunt nostrae. SC. At égo illi opseruassó foris:
Nám nihil est qua hinc húc transire ea póssit nisi recto óstio.
PA. Quín domi eccam: néscio quae te, Scéledre, scelera súscitant.
SC Míhi ego uideo, míhi ego sapio, [míhi] ego credo plúrumum:

Mé homo nemo déterruerit quín ea sit in hisce aédibus.
Híc opsistam, ne ínprudenti huc éa se subrepsít mihi.
PA. Méus illic homost: déturbabo iam égo illum de pugnáculis.
Vín iam faciam utí stultiuidum té [esse] fateare? SC. Áge face.
PA. Néque te quicquam sápere corde néque oculis utí? SC. Volo.
PA. Némpe tu istic ais ésse erilem cóncubinam? SC. Atque árguo
Ĕam me uidisse aúsculantem hic íntus cum alienó uiro.
PA. Scín tu nullum cónmeatum [huc] hínc esse a nobís? SC. Scio.
PA. Néque solarium neque hortum nísi per inpluuiúm? SC. Scio.
PA. Quíd? nunc si ea domíst: si eam facio ut éxire hinc uideás domo,
Dígnun es uerbéribus multis? SC. Dígnus. PA. Serua istás foris,
Né tibi clam se súpterducat ístinc atque huc tránseat.
SC. Cónsiliumst ita fácere. PA. Pede ego iám illam huc tibi sistam ín uiam.
SC. Ágedum ergo face. uólo scire, utrum egone íd quod uidi uíderim
Án illic faciat quód facturum dícit, ut ea sít domi.
Nam égo quidem meos óculos habeo néc rogo utendós foris.
Sét hic illi suppárasitatur sémper: hic eae próxumust:
Prímus ad cibúm uocatur, prímo [ei] pulmentúm datur.
Nám illic noster ést fortasse círciter triénnium:
Néc quoiquam [alii] quam ílli in nostra méliust famulo fámilia.

Sét ego hoc quod ago, id me ágere oportet: hóc opseruare óstium.
Si híc opsistam, hac quïdem pol certo uérba mihi numquám dabunt.

PALAESTRIO. PHILOCOMASIVM. SCELEDRVS.

PA. Praecépta facito ut mémineris. PH. Totiéns monere mírumst.
PA. At métuo ut satis sis súbdola. PH. Cedo uél decem, édocebo
Minumé malas ut sínt malae: mihi sólaest quod supérfit.
Age núnc ïam insiste ín dolos: ego [húc] procul recédam.
PA. Quid aís tu, Sceledre? SC. Hanc rém gero: habeo aúris, loquere quíduis.
PA. Credo égo istoc exempló tibi esse péreundum extra pórtam,
Dispéssis manibus pátibulum quom habébis. SC. Nam quamóbrem?
PA. Respícedum ad laeuam: illaéc quis est muliér? SC. Pro di inmortáles,
Eri cóncubinast haéc quidem. PA. Mihi quóque pol ita uidétur.
Age núnc ïam, quandó lubet. SC. Quid agám? PA. Peri praeprópere.
PH. Vbi istést bonus seruos, quí probri me máxumi innocéntem
Falso ínsimulauit? PA. Én tibi, hic mi id díxit, [utiquest]. PH. Díxtin

Tu té uidisse in próxumo hic, sceléste, me ausculántem?
PA. Atque cum álieno adulescéntulo dixít. SC. Dixi hercle uéro.
PH. Tun uidisti? SC. Atque his quídem oculis. PH. Oculís carebis crédo,
Qui plús uident quam quód uident. SC. Numquam hércle deterrébor
Quin uíderim id quod uíderim. PH. [Set súmne] ego mora múltum,
Quae cum hóc insano fábuler, quem pól ego capitis pérdam?
SC. Nolí minitari: scío crucem futúram mihi sepúlcrum:
Ibi mĕi sunt maiorés siti, patér, auos, proauos, ábauos.
Non póssunt tuis mináciis hisce óculi mi ecfodíri.
Set paúcis uerbis té uolo: Palaéstrio, opsecró te,
Vnde éxit haec? PA. Vnde nísi domo? SC. Domó? PA. Me uiden? SC. Te uídeo:
Nisi mírumst facinus quó modo haec hinc húc transire pótuit.
Nam cérto neque soláriumst aput nós neque hortus úllus
Neque fénstra nisi clatráta. nam certe égo te hic intus uídi.
PA. Pergín, sceleste, inténdere hanc argúere? PH. Ecastor érgo
Mi hau fálsum euenit sómnium quod nóctu hac somniáui.
PA. Quid sómniauisti? PH. Éloquar: set amábo aduortito ánimum.

Hac nócte in somnis méa soror geminást germana uísa
Venísse Athenis în Ephesum cum súo amatore quódam.
Ei ambo hóspitio huc in próxumum deuórti mihi sunt uísi.
PA. Palaéstrionis sómnium narrátur. perge pórro.
PH. Ego laéta uisa, quía soror uenísset, propter èandem
Suspítionem máxumam sum uísa sustinére.
Nam argúere in somnis mé meus mihi fámiliaris uísust,
Me cum álieno adulescéntulo, quasi núnc tu, esse ausculátam,
Quom illa aúsculata méa soror gemina ésset suumpte amícum.
Ita me ínsimulatam pérperam [probri] ésse somniáui.
PA. Satin éadem in uigilanti éxpetunt, quae in sómnis uisa mémoras?
Eu, hércle praesens sómniumst: abi íntro et conprecáre.
Narrándum ego istuc míliti censébo. PH. Facere cértumst:
Neque mé quidem patiár probri inpúne [esse] insimulátam.
SC. Timeó quid rerum gésserim: ita dórsus totus prúrit.
PA. Scin té perisse? SC. Núnc quidem domi cértost: certa rés est
Nunc nóstrum opseruare óstium, [ubi] ubíst. PA. At, Sceledre, quaéso,
Vt ád id exemplum sómnium consímile somniáuit,
Atque út tu suspicátus es [te] eam uídisse ausculántem.
. . . . . qu . . . . egomet . . . . . sam . . . quod uidisse po . .

SC. Mene èam non uidisse árbitras? PA. Ne tu hércle sero, opínor,
Resipísces. si ad erum uénerit haec rés, peribis púlcre.
SC. Nunc démum experior mi ób oculos calíginem opstitísse.
PA. Dudum édepol planumst hóc quidem: quae hic úsque fuerit íntus.
SC. Nihil hábeo certi quíd loquar: non uídi eam, etsi uídi.
PA. Ne tu édepol stultitiá tua nos paéne perdidísti:
Dum té fidelem fácere ero uoluísti, apsumptu's paéne.
Set fŏres uicini próxumi crepuérunt: conticíscam.

PHILOCOMASIVM. PALAESTRIO. SCELEDRVS.

PH. Inde ígnem in aram, ut Éphesiae Diánae laeta laúdes
Gratísque agam eique ut Árabio fumíficem odore amoéne:
Quae me ín locis Neptúniis templísque turbuléntis
Seruáuit, saeuis flúctibus ubi sum ádflictata múltum.
SC. Palaéstrio, eho Palaéstrio. PA. Eho Scéledre, Sceledre, quíd uis?
SC. Haec múlier quae hinc exít modo estne erílis concubína
Philocómasium an non ést ea? PA. Hercle opínor, ea uidétur.
Set fácinus mirumst, quó modo haec hinc húc transire pótuit:
Si quídem east. SC. An dubium íd tibist eam ésse hanc? PA. Ea uidétur.

SC. Adeámus, appellémus. heus, quid istúc est, Philocomásium?
Quid tíbi istic hisce in aédibus debétur? quid negótist?
Quid núnc taces? tecúm loquor. PA. Immo édepol tute técum:
Nam haec níl respondet. SC. Te ádloquor, uití probrique pléna,
Quae círcum uicinós uagas. PH. Quicúm tu fabuláre?
SC. Quicúm nisi tecum? PH. Quís tu homo's? aut mécum quid est negóti?
SC. Mén rogas, hem, quí sim? PH. Quin ego hóc rogem quod nésciam?
PA. Quís ego sum igitur, si húnc ignoras? PH. Míhi odiosu's, quísquis es,
Ét tu et hic. SC. Non nós nouisti? PH. Neútrum. SC. Metuo máxume . .
PA. Quíd metuis? SC. Enim né [nos] nosmet pérdiderimus úspiam:
Nám nec te neque mé nouisse ait haéc. PA. Perscrutari hóc uolo,
Scéledre, nos nostri án alieni símus: ne clam quípiam
Nós uicinorum ínprudentis áliquis inmutáuerit.
SC. Cérte equidem nostér sum. PA. Et pol ego. SC. Quaéris tu, muliér, malum.
Tíbi ego dico: heus, Phílocomasium. PH. Quaé te intemperiaé tenent,
Quí me perperám perplexo nómine appellés? SC. Eho,
Quís igitur uocáre? PH. Glycerae nómen est. SC. Iniúria

Fálsum nomen póssidere, Phílocomasium, póstulas.
[Ábi scelesta: nam ínsignite] méo ero facis iniúriam.
PH. Égone? SC. Tu [ne]. PH. Quaé heri Athenis Éphesum adueni uésperi
Cúm meo amatore, ádulescente Athéniensi? SC. Díc mihi,
Quíd tibi in Epheso hic ést negoti? PH. Géminam germanám meam
Híc sororem esse índaudiui: eam uéni quaesitúm. SC. Mala's.
PH. Ímmo ecastor stúlta multum, quaé uobiscum fábulem.
Ábeo. SC. Abire nón sinam te. PH. Mítte. SC. Manufestária's:
Nón omitto. PH. At iám crepabunt míhi manus, malaé tibi,
Nísi me omittis. SC. Quíd, malum, astas? quín retines altrínsecus?
PA. Níl moror negótiosum míhi esse tergum. quí scio
Án ista non sit Phílocomasium atque ália similis ĕius siet?
PH. Míttin me an non míttis? SC. Ímmo ui átque inuitam ingrátiis,
Nísi uoluntate íbis, rapiam té domum. PH. Hosticum hóc mihi
Dómiciliumst, Athénis domus est. SC. Át erus [hic]. PH. Ego istám domum
Néque moror neque uós qui sitis hómines noui néque scio.
SC. Lége agito: te núsquam mittam, nisi das firmatám fidem,

Te húc, si omisero, íntro ituram. PH. Ví me cogis, quísquis es.
Dó fidem, si omíttis, isto me íntro ituram quó iubes.
SC. Écce omitto. PH. At ego ábeo omissa. SC. Múliebri fecít fide.
PA. Scéledre, [e] manibus ámisisti praédam: tam east quám potis
Nóstra erilis cóncubina. uín tu facere hoc strénue?
SC. Quíd faciam? PA. Ecfer míhi machaeram huc íntus. SC. Quid faciés ea?
PA. Íntro rumpam récta in aedis: quémque hic intus uídero
Cúm Philocomasio aúsculantem, eum ego óptruncabo extémpulo.
SC. Vísanest ea ésse? PA. Immo edepol pláne east. SC. Set quó modo
Díssimulabat. PA. Ábi, machaeram huc écfer. SC. Iam faxo híc erit.
PA. Néque eques neque pedés profectost quísquam tanta audácia,
Qui aéque faciat cónfidenter quícquam quam [quae] múlieres.
Ýt utrobique orátionem dócte [atque astute] édidit:
Ýt sublinitur ós custodi caúto, conseruó meo.
Nímis beat, quod cónmeatus tránstinet trans párietem.
SC. Heús, Palaestrió, machaera níhil opust. PA. Quid iam? aút quid est?
SC. Dómi eccam erilem cóncubinam. PA. Quíd, domi? SC. In lectó cubat.
PA. Édepol ne tu tíbi malam rem répperisti, ut praédicas.

SC. Quíd iam? PA. Qui hanc attíngere ausu's múlierem hinc e próxumo.
SC. Mágis hercle metuó. set numquam quísquam faciet quín soror
Ísta sit germána huius. PA. Eam pol tu aúsculantem hic uíderas:
Ét quidem palámst eam esse ut dícis. SC. Quid propiús fuit
Quam út perirem, sí locutus éssem ero? PA. Ergo sí sapis,
Mússitabis. plús oportet scíre seruom quám loqui.
Égo abeo a te, néquid tecum cónsili conmísceam,
Átque ad hunc [ibó] uicinum: tùae mihi turbae nón placent.
Érus si ueniet, sí me quaeret, híc ero: hinc me arcéssito.

SCELEDRVS. PERIPLECOMENVS.

SC. Satin ábiit ille néc erile [hic] negótium
Plus cúrat quasi non séruitutem séruiat?
Certo ílla quidem hic nunc íntus est in aédibus:
Nam egomét cubantem eam módo [nostrae] offendí domi.
Certum ópseruatiónist nunc operám dare.
PE. Non hércle hisce homines mé marem, set féminam
Vicíni rentur ésse serui mílitis:
Ita mé ludificant. mèamne hic in uia hóspitam,
Quae heri húc Athenis cum hóspite aduenít meo,
Tractátam et ludificátam, ingenuam et líberam?

SC. Perii hércle: hic ad me récta habet rectám uiam.
Metuo íllaec mihi res né malo magnó fuat,
Quantum húnc audiui fácere uerborúm senem.
PE. Accédam ad hominem. tún Sceledre hic, scelerúm caput,
Meam lúdificauisti hóspitam ante aedís modo?
SC. Vicíne, ausculta quaéso. PE. Ego auscultém tibi?
SC. Volo me éxpurgare. PE. Túne te expurgés mihi,
Qui fácinus tantum támque indignum féceris?
An quía latrocinámini, arbitrámini
Quiduís licere fácere uobis, uérbero?
SC. Licétne? PE. At ita me dí deaeque omnés ament,
Nisi míhi supplicium uirgeum de té datur
Longúm diutinúmque a mane ad uésperum:
Quod mèas confregisti ímbrices et tégulas,
Ibi dúm condignam té sectaris símiam:
Quodque índe inspectauisti meum aput me hóspitem,
Ampléxam amicam quom aúsculabatúr suam:
[Quin] cóncubinam erílem insimulare aúsus es
Probrí pudicam méque summi flágiti:
Tum quód tractauisti hóspitam ante aedís meas:
Nisi míhi supplicium stímuleum de [té] datur,
Dedécoris pleniórem erum faciám tuum,
Quam mágno uento plénumst undarúm mare.
SC. Ita súm coactus, Périplecomene, ut nésciam,
Vtrúm me expostuláre tecum aequómst prius,
An, si ístaec non est haéc neque haec uisást mihi,

Med éxpurgare tíbi uidetur aéquius:
Sicút etiam nunc néscio quid uíderim:
Ita ístast huius símilis nostraí tua,
Siquidem non eademst. PE. Víse ad me intro: iám scies.
SC. Licétne? PE. Quin te iúbeo: i, placide nóscita.
SC. Ita fácere certumst. PE. Heús, Philocomasiúm, cito
Transcúrre curriculo ád nos: ita negótiumst.
Post, quándo exierit Scéledrus a nobís, cito
Transcúrrito ad uos rúsum curriculó domum.
Nunc pól ego metuo néquid infuscáuerit.
Si hic nón uidebit múlierem * * *
* * * * * * aperitúr foris.
SC. Pro di ínmortales, símiliorem múlierem
Magisque ĕandem, [tam] quae nón sit eadem, nón reor
Deos fácere posse. PE. Quíd nunc? SC. Conmeruí malum.
PE. Quid ígitur? eanest? SC. Étsi east, non ést ea.
PE. Vidístine istam? SC. Vídi et illam et hóspitem
Conpléxum atque ausculántem. PE. Eanest? SC. Néscio.
PE. Vin scíre plane? SC. Cúpio. PE. Abi intro ad uós domum
Contínuo: uide sitne ístaec uostra intús. SC. Licet:
Pulcre ádmonuisti. iám ego ad te exibó foras.
PE. Numquam édepol hominem quémquam ludificárier
Magís facete uídi et magis mirís modis.

Set éccum egreditur. SC. Périplecomene, te ópsecro
Per dèos atque homines pérque stultitiám meam
Perqué tua genua . . PE. Quíd [iam]? SC. Meae [ut] inscítiae
Et mèae stultitiae ignóscas. nunc demúm scio
Me fùisse excordem, caécum, incogitábilem:
Nam Phílocomasium eccam íntus. PE. Quid nunc, fúrcifer?
Vidístine ambas? SC. Vídi. PE. Erum exhibeás uolo.
SC. Meruísse me equidem máxumum fateór malum
Et tùae fecisse me hóspitae aio iniúriam.
Set méam esse erilem cóncubinam cénsui,
Quoi mé custodem erus áddidit milés meus.
Nam ex úno puteo símilior numquám potis
Aqua aquái sumi, quam haéc est atque ista hóspita.
Et mé despexe ad té per inpluuiúm tuum
Fatébor. PE. Quidni fáteare ego quod uíderim?
SC. Et ibi aúsculantem [me ăput te hanc uidisse hóspitam].
PE. Vidísti? SC. Vidi: quór negem quod uíderim?
Set Phílocomasium mé uidisse cénsui.
PE. Ratú'sne esse hominem me ómnium minumí preti,
Si ego mé sciente páterer uicinó meo
Eam fíeri aput me tam ínsignite iniúriam?
SC. Nunc démum a me insipiénter factum esse árbitror,
Quom rém cognosco. at nón malitiosé tamen
Feci. PE. Ímmo indigne: nám hominem seruóm suos

Domitós habere opórtet oculos ét manus
Órationemque. SC. Égo nunc si post húnc diem
Muttíuero, etiam quód egomet certó sciam,
Dato éxcruciandum me: égomet me dedám tibi.
Nunc hóc mi ignosce quaéso. PE. Vincam animúm meum,
Ne málitiose fáctum id aps te esse árbitrer.
Ignóscam tibi istuc. SC. Át tibi di faciánt bene.
PE. Ne tu hércle, si te dí ament, linguam cónprimes
Posthác: etiam illut quód scies nescíueris
Nec uíderis quod uíderis. SC. Bene mé mones:
Ita fácere certumst. sátin exoratú's? PE. Abi.
SC. Numquíd nunc aliut mé uis? PE. Ne me nóueris.
SC. Dedit híc mihi uerba. quám benigne grátiam
Fecít, ne iratus ésset. scio quam rém gerat:
Vt míles, quom extemplo á foro aduenját domum,
[Me] cónprehendat. úna hic et Palaéstrio
Me habént uenalem: sénsi et iam dudúm scio.
Numquam hércle ex ista nássa ego hodie escám petam.
Nam iam áliquo aufugiam et me óccultabo aliquót dies,
Dum haec cónsilescunt túrbae atque irae léniunt.
Nam núnc satis pipulo ínprobo meruí mali.
Verúm tamen, de me quídquid est, ibo hínc domum.
PE. Ille hínc apscessit. sát edepol certó scio
Occísam saepe sápere plus multó suem:
Qui adeo ádmutiletur ne íd quod uidit uíderit.
Nam illíus oculi atque aúres atque opínio
Transfúgere ad nos. úsque adhuc actúmst probe:

Nimiúm festiuam múlier operam praéhibuit.
Redeo ín senatum rúsum. nam Palaéstrio
Domí nunc aput mest, Scéledrus nunc autémst foris:
Frequéns senatus póterit nunc habérier.
Ibo íntro: ne, dum apsum, íllis sortitús fuat.

ACTVS III.

PALAESTRIO. PLEVSICLES. PERIPLECOMENVS.

PA. Cóhibete intra límen etiam uós parumper, Pleúsicles.
Sínite me prius próspectare, ne úspiam insidiaé sient,
Cónsilium quod habére uolumus. nam ópus est nunc tutó loco,
Vnde inimicus néquis nostri spólia capiat cónsili.
Nám bene [consultúm] consilium súbrupitur saepíssume,
Sí minus cum cura aút cautela lócus loquendi léctus est:
[Ét] bene consultum ínconsultumst, si íd inimicis úsuist,
Néque potest quin, sí inimicis úsuist, opsít tibi.
Quíppe si rescíuerint inimíci consiliúm tuum,
Tŭopte tibi consílio occludunt línguam et constringúnt manus,
Átque eadem quae illís uoluisti fácere [illi] faciúnt tibi.
Sét speculabor, néquis aut hinc á laeua aut a déxtera
Nóstro consilió uenator ádsit cum auritís plagis.
Stérilis hinc prospéctus usque ad últumam plateámst probe.
Éuocabo. heus, Périplecomene et Pleúsicles, progrédimini.
PE. Écce nos tibi oboédientis. PA. Fácilest imperium ín bonos.

Sét uolo scire, eodém consilio quód intus meditatí sumus
Sí gerimus rem. PE. [Ímmo] magis esse ád rem utibile nón potest.
Ímmo quid tibi? PL. Quódne uobis pláceat, displiceát mihi?
Quís homo sit magis méus quam tute's? PE. Lóquere lepide et cómmode.
PA. Pól ita decet hunc fácere. PL. At hoc me fácinus misere mácerat
Mèumque cor corpúsque cruciat. PE. Quíd id est quod cruciát? cedo.
PL. Mé tibi istuc aetátis homini fácinora puerília
Óbicere [et] neque té decora néque tuis uirtútibus
Á te expetere: ex ópibus summis mèi [te] honoris grátia
Míhique amanti ire ópitulatum atque éa te facere fácinora,
Quaé istaec aetas fúgere facta mágis quam sectarí solet.
Ĕam pudet me tíbi in senecta obícere sollicitúdinem.
PE. Nòuo modo tu amás. siquidem te quícquam quod faxís pudet,
Níhil amas, umbrá's amantum mágis quam amator, Pleúsicles.
PL. Háncine aetatem éxercere [mĕi] me amoris grátia?
PE. Quíd ais tu? itane tíbi ego uideor óppido Acherúnticus?
Tám capularis? támne tibi diu uídeor uitam uíuere?
Nam équidem hau sum annos nátus praeter quínquaginta et quáttuor:
Cláre oculis uideó, sum pernix mánibus, pedibus móbilis.

PA. Si álbicapillus híc uidetur, ne útiquam ab ingenióst senex:
Ínest in hoc amússitata súa sibi ingenua índoles.
PL. Pól id experior équidem ita esse ut praédicas, Palaéstrio:
Nám benignitás quidem huius óppido adulescéntulist.
PE. Ímmo, hospes, magis quóm periclum fácies, magis noscés meam
Cómitatem ergá te amantem. PL. Quíd opust nota nóscere?
PE. Plús dabo quam praédicabo ex mé uenustatís tibi.
* * * * * * * *
V́t aput te exemplum éxperiundi hábeas neu rogés foris.
Nám nisi qui ipse amáuit, aegre amántis ingenium ínspicit.
Sét ego amoris áliquantum habeo humórisque etiam in córpore
Néquedum exarui éx amoenis rébus et uoluptáriis.
Vél cauillatór facetus uél conuiua cómmodus
Ítidem ero: neque ego óblocutor sum álteri in conuíuio.
Íncommoditate ápstinere me ăput conuiuas cómmodo
Cónmemini: et meae orátionis iústam partem pérsequi
Ét meam partem itidém tacere, quom álienast orátio.
Mínume sputatór, screator sum, ítidem minume múccidus:
Néque alienum ego úmquam scortum súbigito in conuíuio:
Néque praeripio púlpamentum néque praeuorto póculum:
Néque per uinum umquam éx me exoritur díscidium in conuíuio.

Síquis ibist odiósus, abeo dòmum, sermonem ségrego.
Vénerem, amorem amoénitatemque áccubans exérceo:
Póst, Ephesi sum nátus, non sum in Ápulis, non Ánimulae.
PL. Ó lepidissumúm senem, si quas mémorat uirtutís habet:
Átque quidem [pol] pláne eductum in nútricatu Vénerio
PA. Át quidem illuc aetátis qui sit, nón inuenies álterum
Lépidiorem ad omnís res nec qui amíco sit amicús magis.
PL. Tùi quidem edepol ómnes mores ád uenustatém ualent.
Cédo tris mi homines aúrichalco cóntra cum istis móribus.
PE. Túte me ut fateáre faciam esse ádulescentem móribus:
Íta [ego] ad omnis cónparebo tíbi res benefactís frequens.
Ópusne erit tibi áduocato trísti, iracundo? écce me.
Ópusne leni? léniorem díces quam mutúmst mare,
Líquidiusculúsque ero quam uéntus est fauónius.
Vél hilarissumúm conuiuam hinc índidem expromám tibi
Vél primariúm parasitum atque ópsonatorem óptumum.
Tum ád saltandum nón cinaedus málacus aequest átque ego.
PA. Quíd ad illas artís optassis, si óptio eueniát tibi?
PL. Huíc pro meritis út referri páriter possit grátia
Tíbique, quibus nunc mé esse experior súmmae sollicitúdini.
Át tibi tanto súmptui esse míhi molestumst. PE. Mórus es.

Nam in mala uxore átque inimico síquid sumas, súmptus est:
Ín bono hospite átque amico quaéstus est quod súmitur,
Ýt quod in diuínis rebus súmptumst sapientí lucrost.
Dèum uirtute [sátis] est unde accípiam [te] aput me cómiter.
És, bibe, animo opséquere mecum atque ónera te hilaritúdine:
Líberae sunt aédes, liberum aútem [esse] egomet mé uolo.
Nám mihi deum uirtúte dicam própter diuitiás meas
Lícuit uxorém dotatam génere summo dúcere:
Sét nolo mi oblátratricem in aédis intro míttere.
PL. Quór non uis? nam prócreare líberos lepidúmst opus.
PE. Hércle uero líberum esse, id [nímio] multost lépidius.
Nám bona uxor, sí ea duci [pótis] est usquam géntium,
Ýbi eam possiem ínuenire? uérum egone eam ducám domum,
Quaé mihi numquam hoc dícat: ‘eme, uir, lánam, tibi unde pállium
Málacum et calidum cónficiatur túnicaeque hibernaé bonae,
Ne álgeas hac híeme’: hoc numquam uérbum ex uxore aúdias:
Vérum prius quam gálli cantent, quaé me [e] somno súscitet,
Dícat: ‘da mihi, uír, kalendis mèam qui matrem múnerem:
Dá qui faciam cóndimenta: dá quod dem quinquátribus
Praécantrici, cóniectrici, áriolae atque arúspicae:

Túm piatricém clementer nón potest quin múnerem:
Iám pridem, quia níhil apstulerit, súscenset toraria:
Tum ópstitrix expóstulauit mécum, parum missúm sibi:
Quíd? nutrici nón missuru's quícquam, quae uernás alit?
Flágitiumst si níl mittetur: quó supercilió spicit.'
Haéc atque horum símilia alia dámna multa múlierum
Mé prohibent uxóre, quae mi huius símilis sermonés serat.
PA. Dí tibi propitií sunt hercle: nám si istam amissís semel
Líbertatem, hau fácile eundem rúsum restitués locum.
PL. Tú homo et alterí sapienter pótis es consulere ét tibi:
Át illa laus est, mágno in genere et ín diuitiis máxumis
Líberos hominem éducare, géneri monumentum ét sibi.
PE. Quándo habeo multós cognatos, quíd mihi opus est líberis?
Núnc bene uiuo et fórtunate atque út uolo atque animo út lubet.
[Nám] mea bona meís cognatis dícam, inter eos pártiam:
[Ídeo ut liberí] me curant. uísunt quid agam, ecquíd uelim:
Príus quam lucet ádsunt, rogitant nóctu ut somnum céperim.
[Eos pro liberis habebo, qui mihi mittunt munera.]
Sácruficant: dant índe partem míhi maiorem quám sibi,
Ábducunt me ad éxta, me ad se ad prándium, ad cenám uocant.
Ille miserrumúm se retur, mínumum qui misít mihi.
Ílli inter se cértant donis: égomet mecum mússito:
'Bóna mea inhiant: [át] certatim nútricant et múnerant.'

PA. Nímis bona ratióne nimiumque ád te et tua multúm uides,
Ét tibi sunt gemini ét trigemini, sí te bene habes, fílii.
PE. Pól si habuissem, sátis cepissem míseriarum [e] líberis.
*   *   *   *   *   *   *   *
Cóntinuo excruciárer animi: sín forte [ei] fuissét febris,
Cénserem emorí: cecidissetue ébrius de equoue úspiam,
Métuerem ne ibi défregisset crúra aut ceruicís sibi.
PA. Huíc homini dignúmst diuitias ésse et diu uitám dari,
Qui ét rem seruat ét se bene habet sŭisque amicis uólt [bene].
PL. Ó lepidum caput. íta me di deaéque ament, aequóm fuit
Dĕos parauisse, úno exemplo ne ómnes uitam uíuerent.
Sícut merci prétium statuit quíst probus agoránomus:
Quaé probast [aut lúculenta], pró uirtute ut uéneat,
Quae ínprobast, pro mércis uitio dóminum pretio paúperet:
Ítidem diuos díspertisse uítam humanam aequóm fuit:
Quí lepide ingeniátus esset, uítam ei longinquam [út] darent,
Qui ínprobi essent ét scelesti, is ádimerent animám cito.
Si hóc parauissént, [et] homines éssent minus multí mali
Ét minus audactér scelesta fácerent facta: et póstea,
Quí homines probi éssent, esset ís annona uílior.
PE. Quí deorum consília culpet, stúltus inscitúsque sit.

* * * núnc ïam istis rébus desistí decet:
Nám uolo [iam] opsonáre ut, hospes, tùa te ex uirtute ét mea
Mèae domi accipiám benigne, lépide et lepidis uíctibus.
PL. Níl me paenitét iam quanto súmptui fuerím tibi.
Nam hóspes nullus tám in amici hospítium deuortí potest,
Quín, ubi triduom [íbi] continuom fúerit, iam odiosús siet:
Vérum ubi dies decém continuos [réstans odio fámiliaest],
Tămetsi dominus nón inuitus pátitur, serui múrmurant.
PE. Séruientis séruitutem ego séruos instruxí mihi,
Hóspes, non qui mi ímperarent quíbusue ego essem obnóxius.
Si íllis aegrest míhi quod uolup est, mĕo rem remigió gero:
Támen id quod odióst faciundumst cúm malo atque ingrátiis.
Núnc quod occepi ópsonatum pérgam. PL. Si certúmst tibi,
Cómmodulum opsoná, ne magno súmptu: mihi quiduís sat est.
PE. Quín tu istanc orátionem hinc uéterem atque antiquam ámoues?
Próletarió sermone núnc quidem, hospes, útere.
Nam í solent, quando áccubuere, ubi céna adpositast, dícere:
'Quíd opus fuit ístoc sumptu tánto nostra grátia?
Ínsaniuisti hércle: nam idem hoc hóminibus sat erát decem.'

Quód eorum causa ópsonatumst, cúlpant et comedúnt tamen.
PA. Fít pol illuc ad íllut exemplum: ut dócte et perspecté sapit.
PE. Sét eidem homines númquam dicunt, quámquam adpositumst ámpliter:
'Iúbe illut demi: tólle hanc patinam: rémoue pernam, níl moror:
Aúfer illam offám porcinam: próbus hic conger frígidust:
Rémoue, abi aufer': néminem eorum haec ádseuerare aúdias,
Sét procellunt sése in mensam, dum ínhiant [quae fastídiunt].
PA. Bónus bene ut malós descripsit móres. PE. Haut centénsumam
Pártem dixi atque, ótium rei sí sit, possum exprómere.
PA. Ígitur id quod ágitur huice prímum praeuortí decet.
Núnc hoc animum aduórtite ambo. ópus est mihi operá tua,
Périplecomene: nám ego inueni lépidam sucophántiam,
Qui ádmutiletur míles usque caésariatus, átque uti
Huíc amanti ac Phílocomasio hanc éfficiamus cópiam,
Vt hic eam abducát habeatque. PE. Dári istanc rationém uolo.
PA. Át ego mi anulúm dari istunc tùum uolo. PE. Quam ad rem úsuist?
PA. Quándo habebo, igitúr rationem mèarum fabricarúm dabo.
PE. Vtere, accipe. PA. Áccipe a me rúsum rationém doli

Quam ínstitui. PE. Tibi pérpurgatis óperam dabimus aúribus.
PA. Érus meus ita mágnus moechus múlierumst, ut néminem
Fŭisse adaeque néque futurum crédam. PE. Credo ego istúc item.
PA. Átque [is] Alexandrí praestare praédicat formaé suam:
Ítaque omnis se ultró sectari in Épheso memorat múlieres.
PE. Édepol qui te dé isto multi cúpiunt nunc mentírier:
Sét ego ita esse ut dícis teneo púlcre. proin, Palaéstrio,
Quám potis tam uérba confer máxume ad conpéndium.
PA. Écquam tu potís reperire fórma lepida múlierem,
Quoí facetiárum [cor] corpúsque sit plenum ét doli?
PE. Íngenuamne an líbertinam? PA. Aequi ístuc faciam, dúm modo
Éam des quae sit quaéstuosa, quaé alat corpus córpore
Quoíque sapiat péctus: nam cor nón potest, quod núlla habet.
PE. Laútam uis an nóndum lauta quaé sit? PA. Siccam, [at] súcidam:
Quám lepidissumám potis quamque ádulescentem máxume.
PE. Hábeo eccillam mèam cluentam, méretricem adulescéntulam.
Sét quid ea usus ést? PA. Vt ad ted èam iam deducás domum
Ítaque eam huc ornátam adducas, [út] matronarúm modo
Cápite compto crínis uittasque hábeat adsimulétque se

Túam esse uxorem: ita praécipiundumst. PE. Érro quam insistás uiam.
PA. Át scies. set écquae ancillast ílli? PE. Est primé cata.
PA. Ĕa quoque opus est. íta praecipito múlieri atque ancíllulae,
Ýt simulet se túam esse uxorem et déperire hunc mílitem:
Quásique hunc anulúm suae faueae déderit, ea porró mihi,
Míliti ut darém: quasique [ei] ego rĕi sim interpres. PE. Aúdio:
Né mi ut surdo uérbera auris. PA. Égomet recta [sémita
Ád eum ibo: a] tuá mi uxore dícam delatum ét datum,
Ýt sese ad eum cónciliarem. ille ĕius domi cupiét miser:
Quí nisi adulterió studiosus rĕi nulli aliaest ínprobus.
PE. Nón potuit reperíre, si ipsi Sóli quaerundás dares,
Lépidiores dŭas ad hanc rem quam égomet. habe animúm bonum.
PA. Érgo adcures: próperato opus est. núnc tu ausculta, Pleúsicles.
PL. Tíbi sum oboediéns. PA. Hoc facito: míles domum ubi aduénerit,
Mémineris ne Phílocomasium nómines. PL. Quam nóminem?
PA. Glýceram. PL. Nempe eandém quae dudum cónstitutast. PA. Páx, abi.
PL. Méminero: set quíd meminisse id réfert, ego [nescio] tamen.
PA. Égo enim dicam túm, quando usus póscet. intereá tace:

Ýt [tum] quom etiam hic áget actutum pártis defendás tuas.
PL. Éo ego intro igitur. PA. Í, praecepta sóbrie adcurés face.

PALAESTRIO. LVCRIO.

PA. Quantás res turbo, quántas moueo máchinas.
Erípiam ego hodie cóncubinam míliti,
Si cénturiati béne sunt manuplarés mei.
Set illúm uocabo. heus Scéledre, nisi negótiumst,
Progrédere ante aedis: té uoco Palaéstrio.
LV. Non óperaest Sceledro. PA. Quíd iam? LV. Sorbet dórmiens.
PA. Quid, sórbet? LV. Illut 'stértit' uolui dícere:
Set quía consimilest quóm stertas quasi sórbeas,
* * * * * * PA. Eho,
An dórmit Sceledrus íntus? LV. Non nasó quídem:
Nam eo mágnum clamat. PA. Tétigit calicem clánculum:
Deprómpsit nardini ámphoram cellárius.
Eho tú, sceleste, qui ílli suppromú's: eho.
LV. Quid uís? PA. Qui lubitumst ílli condormíscere?
LV. Oculís, opinor. PA. Nón te istuc rogitó, scelus.
Procéde huc: iam perísti nisi uerúm scio.
Prompsísti tu illi uínum? LV. Non prompsí. PA. Negas?
LV. Nego hércle uero: nam ílle me uotuit dícere.

Neque équidem heminas ócto exprompsi in úrceum,
Neque ílle calidum hic éxbibit in prándium.
PA. Neque tú bibisti? LV. Dí me perdant sí bibi,
Si bíbere potui. PA. Quíd iam? LV. Quia enim opsórbui:
Nam nímis calebat, ámburebat gútturem.
PA. Alii ébrii sunt, álii poscam pótitant:
Bonó suppromo et prómo cellam créditam.
LV. Tu idem hércle faceres, sí tibi esset crédita:
Quoniam aémulari nón licet, nunc ínuides.
PA. Eho,
An úmquam prompsit ántehac? respondé, scelus.
Atque út tu scire póssis, edicó tibi:
Si fálsa dices [sério], excruciábere.
LV. Itan uéro? ut tu ipse mé dixisse délices:
Post [é] sagina ego éiciar cellária,
Vt tíbi qui promptet álium suppromúm pares.
PA. Non édepol faciam: age éloquere audactér mihi.
LV. Numquam édepol uidi prómere. uerum hóc erat:
Mihi ímperabat, égo promebam póstea.
PA. Hem,
Ibi crébro, [credo,] cápite sistebánt cadi.
LV. Non hércle tam istic uálide cassabánt cadi.
Set in célla paulum lóculi erat nimis lúbrici:
Ibi erát bilibris aúla sic proptér cados:
Ea saépe deciens cónplebatur [ín] die:
Vbi bácchabatur aúla, cassabánt cadi.
PA. Abi íntro. [nempe] in célla uos uinária
Bacchánal facitis: iam hércle ego erum addúcam á foro.

LV. Perii: éxcruciabit mé erus, domum si uénerit,
Quom haec fácta scibit, quía [ego] sibi non díxerim.
Fugiam hércle aliquo atque hoc ín diem extollám malum.
Ne díxeritis ópsecro huic uostrám fidem.
PA. Quo té agis? LV. Missus sum álio: iam huc reuénero.
PA. Quis mísit? LV. Philocomásium. PA. Abi: actutúm redi.
LV. Quaesó tamen, tu pártem infortuní meam,
Si díuidetur, me ápsente accipitó tamen.
PA. Modo íntellexi quám rem mulier gésserit:
Quia Scéledrus dormit, húnc subcustodém suum
Foras áblegauit, dum áb se huc transirét. placet.
Set Périplecomenus quam ĕi mandaui múlierem
Nimis lépida forma dúcit. di hercle hanc rem ádiuuant.
Quam dígne ornata incédit, hau meretrície.
Lepide hóc succedit súb manus negótium.

PERIPLECOMENVS. ACROTELEVTIVM. (MILPHIDIPPA.) PALAESTRIO.

PE. Rem omnem, Ácroteleutiúm, tibi tibique úna, Milphidíppa,
Domí demonstraui órdine. hanc fabricám fallaciásque
Minus sí tenetis, dénuo uolo pércipiatis pláne:
Satis si íntellegitis, áliut est quod pótius fabulémur.

AC. Stultítia atque insipiéntia [insúlsitasque hercle] haéc sit,
Me ire ín opus alienum aút tibi meam óperam pollicitári,
Si in ópificina ea nésciam aut mala ésse aut fraudulénta.
PE. At méliust [te] monérier. AC. Meretrícem commonéri
Quam sáne magni réferat, mihi clámst. quid? egone frústra,
Postquam ádbibere aurés meae tuae lóream orationis,
Tibi díxi miles quem ád modum potésset deasciári?
PE. At némo solus sátis sapit: nam ego múltos saepe uídi
Regiónem fugere cónsili prius quám repertam habérent.
AC. Siquíd faciundumst múlieri male átque malitióse,
Ibi ei ínmortalis mémoriast meminísse id sempitérno:
Sin béne quid aut fidéliter faciúndumst, eaedem euéniet
Oblíuiosa extémplo uti fiát, meminisse néqueat.
PE. Ergo ístuc metuo quód uenit uobís faciundum utrúmque:
Nam id próderit mihi, míliti male quód facietis ámbae.
AC. Dum né scientes quíd bonum faciámus, ne formída.
Mala núlla mulier ést * * * * *
* * * * né paue, peióribus conuéniunt.
PE. Ita uós decet. conséquimini. PA. Cesso égo illis obuiam íre?

PE. Bene ópportuneque óbuiam es, Palaéstrio. en tibi ádsunt
Quas mé iussisti addúcere et quo ornátu. PA. Eu, noster ésto:
Veníre saluom gaúdeo. lepide hércle ornatas dúcis.
Palaéstrio Acroteleútium salútat. AC. Quis hic amábost,
Qui tám pro nota nóminat me? PE. Hic nóster architéctust.
AC. Salue, árchitecte. PA. Sálua sis. set díc mihi, ecquid híc te
Oneráuit praeceptís? PE. Probe meditátam utramque dúco.
PA. Audíre cupio quem ád modum: nequíd peccetis páueo.
PE. Ad túa praecepta dé meo nihíl nouom adposíui.
AC. Nempe lúdificari mílitem tuum erúm uis? PA. Elocúta's.
AC. Lepide ét sapienter, cómmode et facéte res parátast.
PA. Atque hùius uxorem té uolo [esse] ádsimulare. AC. Fíet.
PA. Quasi míliti animum adiécceris simuláre. AC. Sic futúrumst.
PA. Quasique éa res per me intérpretem et tuam áncillam adcurétur.
AC. Bonus uátes poteras ésse: nam quae súnt futura dícis.
PA. Quasique ánulum hunc ancíllula tua aps té detulerit ád me,
Quem [pórro] ego milití darem tuis uérbis. AC. Vera dícis.

PE. Quid istís nunc memoratís opust, quae cónmeminere? AC. Méliust.
Nam, mí patrone, hoc cógitato: ubi próbus est architéctus,
Bene líneatam sí semel carínam conlocáuit,
Facile ésse nauem fácere, ubi * * * *
Nunc haéc carina sátis probe fundáta et bene statútast:
Adsúnt fabri architéctonesque ad eám [rem] haut inperíti.
Si nón nos materiárius remorátur, quod opust quí det,
Noui índolem nostri íngeni, cito erít parata náuis.
PA. Nempe tú nouisti mílitem, meum erúm? AC. Rogare mírumst:
Populi ódium quidni nóuerim, magnídicum, cincinnátum,
Moechum únguentatum? PA. Núm ille te nam nóuit? AC. Numquam uídit:
Qui nóuerit me quís ego sim? PA. Nimis lépide fabuláre:
Eo pótuerit [rem] lépidius pol fíeri. AC. Potin ut hóminem
Mihi dés, quiescas cétera? ni lúdificata ero hóminem,
Culpam ómnem in med inpónito. PA. Age ígitur intro abíte:
Insístite hoc negótium sapiénter. AC. Alia cúra.
PA. Age, Périplecomene, has núnc ïam duc íntro. ego [eo] ad forum, íllum
Conuéniam atque hunc eí ánulum dabo átque praedicábo
A túa esse uxore mihi datum eamque íllum deperíre.
Hanc ád nos, quom extemplo á foro ueniémus, mittitóte,

Quasi clánculum ad [eum] míssa sit. PE. Faciémus: alia cúra.
PA. Vos módo curate: ego illúm probe iam onerátum runcinábo.
PE. Bene ámbula, bene rém gere. at ego núnc si ecficiam hoc pláne,
Vt cóncubinam mílitis meus hóspes habeat hódie
Atque hínc Athenas áuehat: [si] hodie húnc dolum dolámus,
Quid tíbi ego mittam múneris? AC. * * * * * *
* * * * dat nunc áb se mulier óperam,
Lepidíssume et comptíssume confído confutúrum.
Vbi fácta erit conlátio nostrárum malitiárum,
Hau uéreor ne nos súbdola perfídia peruincámur.
PE. Abeámus ergo intro, haéc uti meditémur cogitáte,
Vt ádcurate et cómmode hoc quod agúndumst exequámur:
Nequíd, ubi miles uénerit, titubétur. AC. Tu moráre.

ACTVS IIII.

PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

PY. Vólup est quod agas si íd procedit lépide [atque ex] senténtia.
Nam égo hodie ad Seleúcum regem mísi parasitúm meum,
Vt latrones quós conduxi hinc ád Seleucum dúceret:
Qui éius regnum tútarentur, míhi dum fieret ótium.
PA. Quín tu tuam rem cúra potius quám Seleuci. quaé tibi
Cónditio noua lúculenta fértur per me intérpretem.
PY. Ímmo omnis res pósteriores póno atque operam dó tibi.
Lóquere: auris meás profecto dédo in ditionem tuam.
PA. Círcumspicedum, néquis nostro hic aúceps sermoní siet:
Nam hóc negoti clándestino ut agerem mandatúmst mihi.
PY. Némo adest. PA. Hunc árrabonem amóris primum a me áccipe.
PY. Quíd hic? undest? PA. A lúculenta atque [á] festiua fémina,
Quaé te amat tuamque éxpetessit púlcram pulcritúdinem.
Ĕius nunc mi anulum ád te ancilla pórro ut deferrém dedit.

PY. Quíd? ea ingenuane án festuca fácta [e] serua líberast?
PA. Vah,
Égone ut ad te ab líbertina esse aúderem internúntius,
Qui íngenuis satis résponsare néqueas, quae cupiúnt tui?
PY. Núptanest an uídua? PA. Et nupta et uíduast. PY. Quo pactó potis
Núpta et uidua esse éadem? PA. Quia aduléscens nuptast cúm sene.
PY. Eúge. PA. Lepida et líberali fórmast. PY. Caue mendácium.
PA. Ád tuam formam illa úna dignast. PY. Hércle pulcram praédicas.
Sét quis east? PA. Senis húius uxor Périplecomeni in próxumost.
Éa demoritur te átque ab illo cúpit abire: odít senem.
Núnc te orare atque ópsecrare iússit ut tui cópiam
Síbi potestatémque facias. PY. Cúpio hercle equidem, si ílla uolt.
PA. Quaén cupiat? PY. Quid illá faciemus cóncubina quaé domist?
PA. Quín tu illam iube áps te abire quó lubet: sicút soror
Ĕius huc gemina uénit Ephesum et máter arcessúntque eam.
PY. Ého tu, aduenitne Éphesum mater éius? PA. Aiunt quí sciunt.
PY. Hércle occasiónem lepidam ut múlierem excludám foras.
PA. Ímmo uin tu lépide facere? PY. Lóquere et consiliúm cedo.

PA. Vín tu illam actutum ámouere, a te út abeat per grátiam?
PY. Cúpio. PA. Tum te hoc fácere oportet. tíbi diuitiarum ádfatimst:
Iúbe sibi aurum atque órnamenta quae ílli instruxti múlieri
[Ómnia] dono habére auferreque áps te quo lubeát sibi.
PY. Plácet ut dicis. sét [enim] ne istam amíttam et haec mutét fidem
Víde modo. PA. Vah délicatu's: quaé te tamquam oculós amet.
PY. Vénus me amat. PA. St, táce: aperitur fóris: concede huc cláuculum.
Haéc celox illíust quae hinc egréditur internúntia.
PY. Quae haéc celox? PA. Ancíllula illius ést quae hinc egreditúr foras:
Quae ánulum istunc áttulit quem tíbi dedi. PY. Edepol haéc quidem
Béllulast. PA. Pithécium haec est praé illa et spinturnícium.
Víden tu illam oculis uénaturam fácere atque aucupium aúribus?

Milphidippa. Pyrgopolinices. Palaestrio.

MI. Iámst ante aedis círcus ubi sunt lúdi faciundí mihi.
Díssimulabo hos quási non uideam néque esse hic etiamdúm sciam.
PY. Táce: subauscultémus, ecqui dé me fiat méntio.
MI. Númqui hic prope adest quí rem alienam pótius curet quám suam?

Qui aúcupet me quíd agam? qui de uésperi uiuát suo?
Ĕos nunc homines métuo ne opsint míhi neue opstent úspiam,
[Dómina] domo si clam húc transibit, quae húius cupiens córporist,
Quae ámat hunc hominem nímium lepidum et nímia pulcritúdine,
Mílitem Pyrgópolinicem. PY. Sátin haec quoque me déperit?
Laúdat speciem meam. PA. Édepol huius sérmo haut cinerem quaéritat.
PY. Quo árgumento? PA. Quía enim loquitur laúte et minume sórdide.
[Quídquid istaec dé te loquitur, níhil attrectat sórdidi.]
Tum aútem illa ipsast nímium lepida nímisque nitida fémina.
PY. Hércle uero [haec] iam ádlubescit prímulum, Palaéstrio.
PA. Príusne quam illam oculís uidisti? PY. Quód uideo, id credó mihi:
Nam haéc lacerta múllo apsente me ádigit se ut amem. PA. Hercle hánc quidem
Níl tu amassis: míhi desponsast. tíbi si illa hodie núpserit,
Égo continuo uxórem hanc ducam. PY. Ergo hánc quid dubitas cónloqui?
PA. Séquere hac me ergo. PY. Pédisecus tibi sum. MI. Ṽtinam, quoius causá foras
[Húc] sum egressa, cónueniundi míhi potestas éuenat.
PA. Erit ét tibi exoptatum óptinget: bonum habe ánimum, ne formída.

Homo quídamst qui scit quód quaeris ubi sít. MI. Quem ego hic audíui?
PA. Sociúm tuorum consíliorum et partícipem [celatórum].
MI. Tum pól ego id quod celo haút celo. PA. Immo étiam sic non célas.
MI. Quo argúmento? PA. Infidós celas: ego súm tibi firme fídus.
MI. Cedo sígnum, si harunc Báccharum es. PA. Amat múlier quaedam quéndam.
MI. Pol istúc quidem multae. PA. At nón multae de dígito donum míttunt.
MI. Enim cógnoui nunc: fécisti modo mi éx procliuo plánum.
Set hic númquis adest? PA. Vel adést uel non. MI. Cedo té mihi solae sólum.
PA. Breuin án longinquo sérmoni? MI. Tribus uérbis. PA. Iam ad te rédeo.
PY. Quid? ego ástabo hic tantísper cum hac forma ét factis sic frústra?
PA. Patere átque asta: tibi ego hánc do operam. PY. Propera: [éxpectando] excrúcior.
PA. Pedetémptim tu scis tráctari solitás esse huius modi mércis.
PY. Age age, út tibi maxume cóncinnumst. PA. Nullúmst hoc stolidius sáxum.
Adeo ád te. quid me uóluisti? MI. Quo pácto hoc dudum accépi,
[Calidúm] refero ad te cónsilium, hunc quasi dépereat. PA. Teneo ístuc.
Conlaúdato formam ét faciem et uirtútis conmemoráto.

MI. Ad eám rem habeo omnem aciém, tibi uti dudúm iam demonstráui.
Tu cóntra cura et cóntempla et de mèis uenator uérbis.
PY. Aliquám mihi partem hodie óperae des deníque: tandem ilico adésdum.
PA. Adsum: ímpera, siquid uís. PY. Quid illaec narrát tibi? PA. Lamentári
Ait íllam miseram, crúciari et lacrumántem se adflictáre,
Quia tís egeat, quia té careat: ob eám rem huc ad te míssast.
PY. Iube adíre. PA. At scin quid tú facias? face té fastidi plénum,
Quasi nón lubeat: me inclámato, quia síc te uolgo uólgem.
PY. Memini ét praeceptis párebo. PA. Voco [ego] érgo hanc quae te quaérit?
PY. Adeát, siquid uolt. PA. Síquid uis, adi, múlier. MI. Pulcer, sálue.
PY. Meum cógnomentum cónmemorat. di tíbi dent quaequomque óptes.
MI. Tecum aétatem exigere út liceat. PY. Nimium óptas. MI. Non me díco,
Set erám meam quae te démoritur. PY. Multae ídem istuc aliae cúpiunt,
Quibus cópia non est. MI. Écastor hau mírumst: te habes cárum,
Hominém tam pulcrum et praéclarum uirtúte et fortem fáctis.
Heus, dígnior fuit quisquam hómo qui esset? PA. Non hércle humanust [spúrcus]:

Nam uólturio plus húmani credóst. PY. Magnum me fáciam
Nunc, quóm illaec me sic cónlaudat. PA. Viden tu ígnauom, ut sese ínfert?
Quin tu huíc responde: haec íllaec est ab illác quam dudum [díxi].
PY. Quanam áb illarum? nam ita me óccursant multaé: meminisse hau póssum.
MI. Ab illá quae digitos déspoliat suos ét tuos digitos décorat:
Nam hunc ánulum [ego] ab tui cúpienti huic détuli, hic [ad te] pórro.
PY. Quid núnc tibi uis, muliér, memora. MI. Vt quae tís cupit eam ne spérnas:
Quae pér tuam nunc uitám uiuit: sit nécne, in te spes únost.
PY. Quid núnc uolt? MI. Te conpéllare et conplécti et contrectáre.
Nam nísi tu illi fers súppetias, iam illa ánimum despondébit.
Age, mi Áchilles, fiat quód te oro: serua íllam, pulcer, púlcre.
Expróme benignum ex te íngenium, urbícape, occisor régum.
PY. Heu,
Hercle ódiosas res: quótiens hoc tibi, uérbero, ego interdíxi,
Meam né sic uolgo póllicitere operám. PA. Audin tu, múlier?
Dixi hóc tibi dudum et núnc dico: ni huic uérri adfertur mérces,
Non híc suo seminió quemquam porcéllam inpertitúrust.

MI. Dabitúr quantum ipsus pretí poscet. PA. Talentúm Philippum huic opus aúrist.
Minus áb nemine accipiét. MI. Heu, ecastór nimis uilist tándem.
PY. Non míhi auaritia umquam ígnatast: satis hábeo diuitiárum.
Plus [pól] mi auri millést modium Philippí. PA. Praeter thensaúrumst:
Tum argénti montis, nón massas habet: Aétna aeque non áltast.
MI. Heu,
Ecástor periurum. PA. V́t ludo? MI. Quid ego? út sublecto? PA. Scíte.
MI. Set amábo me mitte áctutum. PA. Quin tu huíc respondes áliquid,
Aut fácturum aut non fácturum? quid illám miseram animi excrúcias,
Quae númquam male de té meritast? PY. Iube eámpse exire huc ád nos:
Dic me ómnia quae uolt fácturum. MI. Facis núnc ut [te] facere aéquomst,
Quom quaé [illaec] uolt eadém tu uis. PA. Non ínsulsum huic ingéniumst.
MI. Quomque óratricem hau spréuisti sistíque exorare éx te.
Quid est, út ludo? PA. Nequeo hércle equidem risu ádmoderarier. MI. [Érgo]
Ob eám causam huc aps te áuorti. PY. Non édepol tu scis, múlier,
Quantum égo honorem nunc ílli habeo. MI. Scio et ístuc illi dícam.

PA. Contra aúro alii hanc uendére potuit operám. MI. Pol istuc tibi crédo.
PA. Meri béllatores gígnuntur, quas híc praegnatis fécit,
Et púeri annos octíngentos uiuónt. MI. Vae tibi, nugátor.
PY. Quin mílle annorum pérpetuo uiuónt ab saeclo ad saéclum.
PA. Eo mínus dixi, ne haec cénseret me aduórsum se mentíri.
MI. Perií, quot hic ipse annós uiuet, quoius fílii tam diu uíuont?
PY. Postríduo natus sum égo, mulier, quam Iúppiter ex Ope nátust.
PA. Si hic prídie natus forét quam illest, hic habéret regnum in caélo.
MI. Iam iám sat amabost: sínite abeam, si póssum, uiua a uóbis.
PA. Quin érgo abis, quando résponsumst? MI. Ibo átque illam huc addúcam,
Proptér [quam] operast mihi. númquid uis? PY. Ne mágis sim pulcer quám sum:
Ita mé mea forma habet sóllicitum. PA. Quid núnc stas? quin abis? MI. Ábeo.
PA. Atque ádeo, audin? dicíto docte et cordáte. MI. Vt cor ei sáliat.
PA. Philocómasio dic, sí east hic, domum ut tránseat: hunc hic ésse.
MI. Hic cúm mea erast: [nam] clám nostrum hunc sermónem sublegérunt.
PA. Lepidé factumst: iam ex sérmone hoc gubernábunt doctius pórro.

MI. Remoráre: abeo. PA. Neque té remoror neque té tago neque te—táceo.
PY. Iube máturare illam éxire huc: iam istí rei praeuortémur.
Quid núnc mi's auctor út faciam, Palaéstrio,
De cóncubina? nám nullo haec pactó potest
Prius [á me] in aedis récipi, quam illam amíserim.
PA. Quid mé consultas quíd agas? dixi equidém tibi,
Quo pácto id fieri póssit clementíssume.
Aurum átque uestem múliebrem omnem habeát sibi,
Quae illi ínstruxisti: súmat, abeat, aúferat:
Dicásque tempus máxume esse ut eát domum:
Sorórem geminam adésse et matrem dícito,
Quibus cóncomitata récte deueniát domum.
PY. Qui tú scis eas adésse? PA. Quia oculís meis
Vidí sororem hic èius. PY. Conuenistíne eam?
PA. Conuéni. PY. Ecqui [tibi] fŏrtis uisast? PA. Ómnia
Vis óptinere. PY. Ýbi matrem esse aibát soror?
PA. Cubáre in naui líppam atque oculis túrgidis
Nauclérus dixit quí illas aduexít mihi.
Is ad hós nauclerus hóspitio deuórtitur.
PY. Quid is, écqui fortist? PA. Ábi sis hinc: nam tú quidem
Ad equás fuisti scítus admissárius,
Qui cónsectare quá maris qua féminas.
Hoc áge nunc. PY. Istuc quód das consiliúm mihi,
Te cúm illa uerba fácere de ista ré uolo:
Nam cúm illa sane cóngruost sermó tibi.
PA. Quid pótiust quam ut tute ádeas, tuam rem túte agas?

Dicás necessum tíbi esse uxorem dúcere:
Cognátos persuadére, amicos cógere.
PY. Itán tu censes? PA. Quíd ego ni ita cénseam?
PY. Ibo ígitur intro. tu híc ante aedis ínterim
Speculáre, ut ubi illaec pródeat me próuoces.
PA. Tu módo istuc cura quód agis. PY. Curatum íd quidemst.
Quin sí uoluntate nólet, ui extrudám foras.
PA. Istúc caue faxis. quín potius per grátiam
Bonam ábeat aps te: atque íllaec quae dixi [èi] dato.
[Aurum ornamenta quae illi instruxisti ferat.]
PY. Cupio hércle. PA. Credo fácile te impetrássere.
Set abi íntro: noli stáre. PY. Tibi sum oboédiens.
PA. Numquíd uidetur démutare atque út quidem
Dixi ésse uobis dúdum hunc moechum mílitem?
Nunc ád me ut ueniat úsust Acroteleútium,
Ancíllula eius ac Pleúsicles. pro Iúppiter,
Satin út commoditas úsquequaque me ádiuuat?
Nam quós uidere me éxoptabam máxume,
Vna éxeuntis uídeo [iam] hinc e próxumo.

ACROTELEVTIVM. MILPHIDIPPA. PLEVSICLES. PALAESTRIO.

AC. Séquimini: semul círcumspicite néquis adsit árbiter.
MI. Néminem pol uídeo nisi quem uólumus conuentum. PA. Ét ego uos.
MI. Quíd agis, noster árchitecte? PA. Egone árchitectus? uáh. MI. Quid est?
PA. Quía enim non sum dígnus prae te, ut fígam palum in párietem.

AC. Héia uero. PA. Nímis facete nímisque facundé malast:
Ýt lepide derúncinauit mílitem. MI. At etiám parum.
PA. Bóno animo es: negótium omne iám succedit súb manus.
Vós modo porro, ut óccepistis, dáte operam adiutábilem.
Nám ipse miles cóncubinam intro ábiit oratúm suam,
Áb se ut abeat cúm sorore et mátre Athenas. PL. Eú, probe.
PA. Quín etiam aurum atque órnamenta, quae ípse instruxit múlieri,
Ómnia dat donó sibi ut habeat: íta ego consiliúm dedi.
PL. Fácile istuc quidémst, si et illa uólt et ille autém cupit.
PA. Nón tu scis, quom ex álto puteo súsum ad summum escénderis,
Máxumum períclum inde esse ab súmmo ne rusúm cadas?
Núnc haec res aput súmmum puteum géritur: si praesénserit
Míles, nihil ecférri poterit húius. nunc quom máxume
Ópus dolis est. PL. Dómi esse ad eam rem uídeo siluaí satis:
Múlieres tres: quártus tute's, quínctus sum ego, sextúst senex.
PA. Quód aput nos falláciarum strúctumst, [ego] certó scio,
Óppidum quoduís uidetur pósse expugnari [ĕis] dolis.
Dáte modo operam. AC. Íd nos ad te, síquid uelles, uénimus.

PA. Lépide facitis. núnc tibi hanc ego ímpero prouínciam.
AC. Ímpetrabis, ímperator, quoăd ego potero, quód uoles.
PA. Mílitem lepide ét facete [et] laúte ludificárier
Vólo. AC. Voluptatem imperas mi ecástor. PA. At scin quem ád modum?
AC. Némpe ut adsimulém me amore istíus differri. PA. Eú, tenes.
AC. Quásique istius caúsa amoris éx hoc matrimónio
Ábierim cupiéns istius núptiarum. PA. Omne órdine.
Nísi modo unum hoc: hásce esse aedis dícas dotalís tuas:
Hínc senem aps te abísse, postquam féceris diuórtium:
Né ille mox uereátur [huc] intro íre in alienám domum.
AC. Béne mones. PA. Set úbi ille exierit íntus, istic té procul
Íta uolo adsimuláre, prae eius fórma quasi spernás tuam
Quásique eius opuléntitatem réuerearis: ét semul
Fórmae amoenitátem illius, fácie pulcritúdinem
Cónlaudato. sátin praeceptumst? AC. Téneo. satinest, sí tibi
Méum opus ita dabo éxpolitum, ut ínprobare nón queas?
PA. Sát habeo. nunc tíbi uicissim quae ímperabo díscito.
Quom éxtemplo hoc erit fáctum, ut intro haec ábierit, ibi tu ílico
Fácito uti ueniás [ornatu] ornátus huc nauclérico.
Caúsiam habeas férrugineam, cúlcitam ob oculos láneam:

Pálliolum habeas férrugineum, nám is colos thalássicust:
Íd conexum in húmero laeuo, éxpapillato bráchio
[Cóniciens in cóllum, tum autem lúmbis subligáculo]
Praécinctis, aliqui ádsimulato quási gubernatór sies.
Átque aput hunc senem ómnia haec sunt: nám is piscatorés habet.
PL. Quíd? ubi ero exornátus, quin tu dícis quid factúrus sum?
PA. Húc uenito et mátris uerbis Phílocomasium arcéssito,
Ýt, si itura sít Athenas, ĕat tecum ad portúm cito
Átque ut iubeat férri in nauem, síquid inponí uelit:
Nísi eat, te solúturum esse náuem: uentum operám dare.
PL. Sátis placet fictúra: perge. PA. Ille éxtemplo illam hortábitur,
Ýt eat propere, né morae sit mátri. PL. Multimodís sapis.
PA. Égo illi dicam ut me ádiutorem qui ónus feram ad portúm roget:
Ílle iubebit me íre cum illa ad pórtum: ego adeo, ut tú scias,
Prósum Athenas prótinam abibo técum. PL. Atque ubi illo uéneris,
Tríduom seruíre numquam té quin liber sís sinam.
PA. Ábi cito atque orná te. PL. Numquid áliut? PA. Haec ut mémineris.
PL. Ábeo. PA. Et uos abíte hinc intro actútum: nam illum hinc sát scio
Iam éxiturum esse íntus. AC. Celebrest aput nos imperium tuum.

PA. Ágite apscedite érgo. ecce autem cómmodum aperitúr foris.
Hílarus exit, ímpetrauit: ínhiat quod nusquámst, miser.

PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

PY. Quód uolui, ut uolui, ímpetraui: pér amicitiam et grátiam
[Á me ut abeat.] PA. Quídnam te intus fŭisse tam dicám diu?
PY. Númquam ego me tam sénsi amari quám nunc ab illa múliere.
PA. Quíd iam? PY. Vt multa uérba fecit, lénta ut materiés fuit.
Vérum postremo ímpetraui ut uólui: donauíque ei
Quaé uoluit, quae póstulauit. [té] quoque [ei] donó dedi.
PA. Étiam me? quo módo ego uiuam síne te? PY. Age, animó bono es:
Ítem illinc ego te líberabo. nám si possem ulló modo
Ímpetrare ut abíret nec te abdúceret, operám dedi:
Vérum oppressit. PA. Dĕos sperabo téque. postremó tamen
Étsi istuc mihi acérbumst, quia ero té carendumst óptumo,
Sáltem id uolup est, quom éx uirtute fórmae [id] euenít tibi
Méa opera super hác uicina, quam égo nunc concilió tibi.
PY. Quíd opust uerbis? líbertatem tíbi ego et diuitiás dabo,

Si ímpetras. PA. Reddam ímpetratum. PY. At géstio. PA. At modicé decet.
Móderare animo: né sis cupidus. sét eccam ipsam, egreditúr foras.

ACROTELEVTIVM. MILPHIDIPPA. PYRGOPOLINICES. PALAESTRIO.

MI. Era, éccum praesto mílitem. AC. Vbíst? MI. Ad laeuam uídedum.
Aspícito limis, né ille nos se séntiat uidére.
AC. Video. édepol nunc nos témpus est malás peiores fíeri.
MI. Tuúmst principium. AC. Ópsecro, tute ípsum conueiísti?
Ne párce uoci, ut aúdiat. MI. Cum ipsó pol sum locúta
Placidé, dum lubitumst mi, ótio, meo árbitratu, ut uólui.
PY. Audín quae loquitur? PA. Aúdio. quam laétast, quia ted ádiit.
AC. O fórtunata múlier es. PY. Vt amári uideor. PA. Dígnu's.
AC. Permírum ecastor praédicas, te adísse atque exorásse:
Per epístulam aut per núntium quasi régem adiri eum áiunt.
MI. Namque édepol uix fuit cópia adeúndi atque impetrándi.
PA. Vt tu ínclutu's aput múlieres. PY. Patiár, quando ita Venús uolt.

AC. Venerí pol habeo grátiam eandémque et oro et quaéso,
Vt éius mihi sit cópia quem amó quemque expetésso,
Benígnusque erga me út siet: quod cúpiam ne grauétur.
MI. Spero íta futurum. quámquam illum multaé sibi expetéssunt,
Ille íllas spernit ségregatque ab se ómnis extra te únam.
AC. Ergo ístus metus me mácerat, quod illíc fastidiósust,
Oculi éius ne senténtiam mutént, ubi uiderít me,
Atque éius elegántia meam extémplo speciem spérnat.
MI. Non fáciet: habe animúm bonum. PY. Vt ípsa se contémpnit.
AC. Metuó ne praedicátio tua núnc meam formam exúperet.
MI. Istúc curaui ut opínione illíus pulcriór sis.
AC. Si pól me nolet dúcere uxórem, genua ampléctar
Atque ópsecrabo. alió modo, si nón quibo impetráre,
Conscíscam letum: uíuere sine illó scio me non pósse.
PY. Prohibéndam mortem múlieri [esse] uídeo. adibon? PA. Mínume.
Nam tú te uilem féceris, si te últro largiére:
Sine últro ueniat, quaéritet, desíderet, expéctet.
Nisi pérdere istam glóriam uis quám habes, caue sis fáxis.
Nam núlli mortalí scio optigísse hoc nisi duóbus,
Tibi ét Phaoni Lésbio, tam [uésane] ut amaréntur.

AC. Eo íntro aut tu illum huc éuoca forás, mea Milphidíppa.
MI. Immo ópperiamur, dum éxeat aliquís. AC. Durare néqueo
Quin íntro eam. MI. Occlusást foris. AC. Ecfríngam. MI. Sana nón es.
AC. Si amáuit umquam aut sí parem hic sapiéntiam habet ac fórmam,
Per amórem siquid fécero, cleménti ignoscet ánimo.
PA. Vt quaéso amore pérditast [haec] mísera. PY. Mutuóm fit.
PA. Tace, ne aúdiat. MI. Quid ástitisti opstúpida? quor non púltas?
AC. Quia nón est intus quem égo uolo. PA. Qui scís? AC. Scio edepol fácile:
Nam odóre nasum séntiat, si intús sit. PY. Ariolátur.
Quia mé amat, proptereá Venus fecít eam ut diuináret.
AC. Nescío ubi hic prope adest quem éxpeto uidére: olet profécto.
PY. Nasó pol iam haec quidém uidet plus quam óculis. PA. Caeca amórest.
AC. Tene me, ópsecro. MI. Quor? AC. Né cadam. MI. Quid itá? AC. Quia stare néqueo:
Ita ánimus per oculós meus [mihi] défit. MI. Militém pol
Tu aspéxisti? AC. Ita. MI. Non uídeo, ubist? AC. Vidéres pol, si amáres.
MI. Non édepol tu illum mágis amas quam egomét, si per te líceat.
PA. Omnés profecto múlieres te amánt, ut quaeque aspéxit.

PY. Nescio tu ex me hoc audíueris an nón: nepos sum Véneris.
AC. Mea Mílphidippa, adi ópsecro et congrédere. PY. Vt me uerétur.
PA. Illa ád nos pergit. MI. Vós uolo. PA. Et nós te. MI. [Eccam,] ut iussísti,
Erám meam eduxí foras. PY. Videó. MI. Iube ergo adíre.
PY. Indúxi in animum ne óderim item ut álias, quando orásti.
MI. Verbum édepol facere hau pótis erit, si accésserit prope ád te:
Dum te óptuetur, ínterim linguam óculi praecidérunt.
PY. Leuándum morbum múlieri [esse] uídeo. MI. Vide ut extímuit,
Postquám ted aspexít. PY. Viri quoque ármati idem istuc fáciunt:
Ne tú mirere múlierem. set quíd [illa] uolt me fácere?
MI. Ad se út eas: tecum uíuere uolt átque aetatem exígere.
PY. Egone ád illam eam quae núpta sit? uir éius est metuéndus.
MI. Quin tŭa causa exegít uirum ab se. PY. Quíd? qui id facere pótuit?
MI. Aedés dotales húius sunt. PY. Itane? MI. Íta pol. PY. Iube domum íre:
Iam ego ílli ero. MI. Vide né sies illi éxpectatióni:
Ne illam ánimi excrucies. PY. Nón ero profécto. abite. MI. Abímus.
PY. Set quíd ego uideo? PA. Quíd uides? PY. Nescio quis eccum incédit,

Ornátu quidem thalássico. PA. Iam nós uolt is pro-
fécto:
Nauclérus hic quidemst. PY. Vídelicet arcéssit hanc.
PA. Ita crédo.

PLEVSICLES. PALAESTRIO. PYRGOPOLINICES.

PL. Alium álio pacto própter amorem ní sciam
Fecísse multa néquiter, uereár magis
Me amóris causa [cum] hóc ornatu incédere.
Verúm quom multos múlta admisse accéperim
Inhonésta propter amórem atque aliena á bonis:
* * * * * * *
Mitto énim ut occidi Achílles ciuis pássus est . . .
Set eccúm Palaestriónem, stat cum mílite:
Orátio alio míhi demutandást mea.
Muliér profecto nátast ex ipsá mora:
Nam quaéuis alia quaé morast aequé mora
Minor éa uidetur quám quae propter múlieremst.
Hoc ádeo fieri crédo consuetúdine.
Nam ego hánc arcessam Phílocomasium. sét foris
Pultábo. heus, ecquis híc est? PA. Adulescéns.
quid est?
Quid uís? quid pultas? PL. Phílocomasium quaérito:
A mátre illius uénio. si iturást, eat.
Omnís moratur: náuem cupimus sóluere.
PY. Iam dúdum res parátast. [heus,] Palaéstrio,
Aurum, órnamenta, uéstem, pretiosa ómnia
Duc ádiutores técum ad nauem quí ferant.
Omnía conposita [iám] sunt quae donáui ei.

PA. Eó. PL. Quaeso hercle própera. PY. Non morábitur.
Quid istúc [est] quaeso quód oculo factúmst tuo?
PL. Habeo équidem hercle oculum. PY. At laéuom dico. PL. Éloquar.
Marís causa hercle istóc ego oculo utór minus:
Nam si ápstinuissem a máre, eo tamquam hoc úterer.
Set nímis morantur mé diu. PY. Eccos éxeunt.

Palaestrio. Philocomasivm. Plevsicles. Pyrgopolinices. (Servi.)

PA. Quíd modi flendó quaeso hodie fácies? PH. Quid ego ní fleam?
Vbi pulcerrume égi aetatem, inde ábeo. PA. En iam hominém tibi
Qui á matre et soróre uenit. PH. Vídeo. PY. Audin, Palaéstrio?
PA. Quíd uis? PY. Quin iubés tu ecferri dóna quae [ego] istí dedi?
PL. Phílocomasium, sálue. PH. Et tu sálue. PL. Materque ét soror
Tíbi salutem mé iusserunt dícere. PH. Saluaé sient.
PL. Órant te ut eas: uéntus operam dúm dat, ut uelum éxplicent.
Nám matri oculi sí ualerent, mécum uenissét semul.
PH. Íbo. quamquam inuíta facio, píetas consuadét. PL. Sapis.
PY. Sí non mecum aetátem egisset, hódie stulta uíueret.

PH. Ístuc crucior, á uiro me táli abalienárier:
Nám tu quamuis pótis es facere ut ádfluat facétiis,
Ét quia tecum erám, propterea nímio eram ferócior.
Ĕam nobilitatem ámittundam uídeo. PY. Ne fle. PH. Nón queo,
Quóm te uideo. PY. Hábe bonum animum. PH. Scío ego quid doleát mihi.
PA. Nám nil miror, sí lubenter, Phílocomasium, [tu] híc eras,
Quóm ego seruos, quándo aspicio hunc, lácrumem quia diiúngimur.
[Íta] forma huius, móres, uirtus ánimum attinuere híc tuum.
PH. Ópsecro, licét conplecti príus quam proficiscó? PY. Licet.
PH. Ó mei oculi, ó mi anime. PA. Ópsecro, tene múlierem,
Ne ádfligatur. PY. Quíd istuc? PA. Quia, postquam áps te abit, animó male
Fáctumst huic repénte miserae. PY. Cúrrite intro, adférte aquam.
PA. Níhil aquam morór: quin malo [apscédas]: ne interuéneris,
Quaéso, dum resipíscit. PY. Capita intér se nimis nexa hísce habent.
Nón placet: labra ín labris ferrúminat. quid agís, malum?
PL. Témptabam spiráret an non. PY. Aúrem admotam opórtuit.
PL. Sí magis uis, eam omíttam. PY. Nolo: rétine. PA. Adflictór miser.
PY. Éxite atque ecférte huc intus ómnia isti quaé dedi.

PA. Étiam nunc salúto te, [Lar] fámiliaris, príus quam eo.
Cónserui conséruaeque omnes, béne ualete et uíuite:
Béne quaeso inter uós dicatis ét mihi apsentí tamen.
PY. Áge, Palaestrió, bono animo es. PA. Heú [heu], nequeo quín fleam,
Quom áps ted abeam. PY. Aequó fer animo. PH. Sét quid hoc? quae rést? quid est?
Ó lux, salue. PL. Iám resipisti? PH. Ópsecro, quem ampléxa sum
Hóminem? perii. súmne ego aput me? PL. Né time, uoluptás mea.
PY. Quíd istuc est negóti? PA. Animus hánc modo hic relíquerat
* * * * * * * * * *
Métuoque et timeó, ne hoc tandem própalam fiát nimis.
PY. Quíd id est? PA. Nos secúndum ferri núnc per urbem haec ómnia,
Néquis hoc tibi uítio uortat. PY. Méa, non illorúm dedi:
Párui ego alios fácio. age, ite cúm dis beneuoléntibus.
PA. Túa ego hoc causa díco. PY. Credo. PA. Iám uale. PY. Et tu béne uale.
PA. Íte cito: iam ego ádsequar uos: cúm ero pauca [uólo] loqui.
Quámquam alios fidéliores sémper habuistí tibi
Quám me, tam tibi hábeo magnam grátiam rerum ómnium:
Ét si ita [tibi] senténtia esset, tíbi seruire máuelim
Múlto quam alií libertus ésse. PY. Habe animúm bonum.
PA. Heí mihi, quom uenít mi in mentem, ut móres mutandí sient,

Múliebres morés discendi, oblíuiscendi stratiótici.
PY. Fác sis frugi. PA. Iám non possum: amísi omnem lubídinem.
PY. Í, sequere illos: né morere. PA. Béne uale. PY. Et tu béne uale.
PA. Quaéso ut memineris: si forte líber fieri occéperim,
Míttam nuntium ád te: ne me déseras. PY. Non ést meum.
PA. Cógitato idéntidem, tibi quám fidelis fúerim.
Si íd facies, tum démum scibis, tíbi qui bonus sit, quí malus.
PY. Scío: perspexi saépe, uerum quom ántehac [tum] hodie máxume.
PA. Scís? immo hodie uérum factum făxo post dicés magis.
PY. Víx reprimor quin té manere iúbeam. PA. Caue istuc féceris.
Dícant te mendácem nec uerum ésse, fide nulla ésse te:
Dícant seruorúm praeter med ésse fidelem néminem.
Nám si honeste cénseam te fácere posse, suádeam.
Vérum non potést: caue faxis. PY. Ábi: iam patiar, quídquid est.
PA. Béne uale igitur. PY. Íre meliust strénue. PA. Etiam núnc uale.
PY. Ánte hoc factum hunc sum árbitratus sémper seruom péssumum:
Ĕum fidelem míhi esse inuenio. quom égomet mecum cógito,
Stúlte feci, qui húnc amisi. íbo hinc intro núnc ïam
Ád amores meós. et, sensi, hinc sónitum fecerúnt fores.

PVER. PYRGOPOLINICES.

PV. Ne mé moneatis: mémini ego officiúm meum.
Ego iámiam conuenam íllunc. ubi ubist géntium,
Inuéstigabo [eum]: óperae non parcám meae.
PY. Me quaérit illic: íbo [ego] huic puero óbuiam.
PV. Ehém, te quaero: sálue, uir lepidíssume,
Cumuláte commoditáte, praeter céteros
Duo dí quem curant. PY. Quí duo? PV. Mars ét Venus.
PY. Facétum puerum. PV. Íntro te ut eas ópsecrat:
Te uólt, te quaerit téque expectans déperit.
Amánti fer opem. quíd stas? quin intro ís? PY. Eo.
PV. Ipsús illic sese iam ínpediuit ín plagas.
Parátae insidiae súnt: stat in statú senex,
Vt ádoriatur moéchum, qui formást ferox,
Qui omnís se amare crédit, quaeque aspéxerit:
Quem omnés oderunt quá uiri qua múlieres.
Nunc ín tumultum ibo: íntus clamorem aúdio.

———

ACTVS V.

PERIPLECOMENVS. PYRGOPOLINICES. CARIO. LORARII. SCELEDRVS.

PE. Dúcite istum: sí non sequitur, rápite sublimém foras.
Fácite inter terram átque caelum utí siet: discíndite.
PY. Ópsecro hercle, Périplecomene, té. PE. Nequiquam hercle ópsecras.
Víde ut istic tibi sít acutus, Cário, cultér probe.
CA. Quín iam dudum géstit moecho [huic] hóc abdomen ádimere.
Fáciam uti quasi púero in collo péndeant crepúndia.
PY. Périi. PE. Haut etiam: número hoc dicis. CA. Iámne [ego] in hominem ínuolo?
PE. Ímmo etiam prius uérberetur fústibus. CA. Multúm quidem.
PE. Quór es ausus súbigitare álienam uxorem, ínpudens?
PY. Íta me di ament, últro uentumst ád me. PE. Mentitúr: feri.
PY. Máne dum narro. PE. Quíd cessatis? PY. Nón licet mihi dícere?
PE. Díc. PY. Oratus sum húc uenire. PE. Quáre's ausus? én tibi.
PY. Oíei, satis sum uérberatus: ópsecro. CA. Quam móx seco?

PE. Vbi lubet: dispénnite hominem díuorsum et disténnite.
PY. Ópsecro hercle té, mea uerba ut aúdias prius quám secat.
PE. Lóquere, dum non níhili factu's. PY. Víduam [illam] esse cénsui:
Ítaque ancilla, cónciliatrix quaé erat, dicebát mihi.
PE. Iúra te nocitúrum non esse hómini de hac re némini,
Quód tu hic hodie uérberatu's aút quod uerberábere,
Sí te saluom hinc ámittemus Vénerium nepótulum.
PY. Iúro per Diónam et Martem mé nociturum némini,
Quód ego hic hodie uápularim: iúreque id factum árbitror:
Ét si hinc non abeo íntestatus, béne agitur pro nóxia.
PE. Quíd, si id non faxís? PY. Vt uiuam sémper intestábilis.
CA. Vérberetur étiam: postibi ámittundum cénseo.
PY. Dí tibi bene fáciant semper, quom áduocatus béne mi ades.
CA. Érgo des minam aúri nobis. PY. Quam ób rem? CA. Saluis téstibus
Vt hodie te hinc ámittamus Vénerium nepótulum.
Áliter hinc non íbis: ne sis frústra. PY. Dabitur. CA. Mágis sapis.
Dé tunica et chlamyde ét machaera néquid speres: nón feres.
LO. Vérberone etiam án eum amittis? PY. Mítis sum equidem fústibus:
Ópsecro uos. PE. Sóluite istunc. PY. Hábeo gratiám tibi.

PE. Sí posthac prehéndero ego te hic, séparabo a téstibus.
PY. Caúsam hau dico. PE. Ĕamus intro, Cário. PY. Seruós meos
Éccos uideo. Phílocomasium iám profectast? díc mihi.
SC. Iám dudum. PY. Hei mihi. SC. Mágis [id] dicas, sí scias quod égo scio:
Námque illic qui lánam ob oculum habébat nauta nón erat.
PY. Quís erat igitur? SC. Phílocomasio amátor. PY. Qui tu scís? SC. Scio:
Nám postquam porta éxierunt, níl cessarunt ílico
Aúsculari atque ámplexarì intér se. PY. Vae miseró mihi:
Vérba mihi data ésse uideo. scélus uiri Palaéstrio,
Ís me in hanc inléxit fraudem. SC. Iúre factum iúdico:
Sí sic aliis moéchis fiat, mínus hic moechorúm siet:
Mágis metuant, minus has res studeant. PY. Ĕamus ad me. CANTOR. Plaúdite.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 ad 155 iambici senarii
- 156 ad 353 trochaici septenarii
- 354 ad 425 iambici septenarii
- 426 ad 480 trochaici septenarii
- 481 ad 595 iambici senarii
- 596 ad 812 trochaici septenarii
- 813 ad 873 iambici senarii
- 874 ad 946 iambici septenarii
- 947 ad 1010 trochaici septenarii
- 1011 ad 1093 anapaestici septenarii
- 1094 ad 1136 iambici senarii
- 1137 ad 1215 trochaici septenarii
- 1216 ad 1283 iambici septenarii
- 1284 ad 1310 iambici senarii
- 1311 ad 1377 trochaici septenarii
- 1378 ad 1393 iambici senarii
- 1394 ad 1437 trochaici septenarii.

T. MACCI PLAVTI

R V D E N S.

GRAECA DIPHILV.

ARGVMENTVM.

Retí piscator uídulum extraxít mari,
Vbi eránt erilis fíliae crepúndia,
Dominum ád lenonem quaé subrepta uénerat.
Ea sŭipte inprudens ín clientelám patris
Naufrágio eiecta déuenit: cognóscitur
Suóque amico Plésidippo iúngitur.

PERSONAE.

ARCTVRVS PROLOGVS
SCEPARNIO SERVOS
PLESIDIPPVS ADVLESCENS
DAEMONES SENEX
PALAESTRA MVLIER
AMPELISCA MVLIER
PTOLEMOCRATIA SACERDOS
PISCATORES
TRACHALIO SERVOS
LABRAX LENO
CHARMIDES SENEX
LORARII
GRIPVS PISCATOR
CANTOR.

PROLOGVS.

ARCTVRVS.

Qui géntis omnis máriaque et terrás mouet,
Eiús sum ciuis cíuitate caélitum.
Ita sum út uidetis spléndens stella cándida,
Signúm quod semper témpore exoritúr suo
Hic átque in caelo. nómen Arcturóst mihi.
Noctú sum in caelo clárus atque intér deos,
Intér mortalis ámbulans intérdius.
Et ália signa dé caelo ad terram áccidunt:
Quist ímperator díuom atque hominum Iúppiter,
Is nós per gentis [híc] alium alia dísparat,
Hominúm qui facta, móres, pietatem ét fidem
Noscámus, ut quemque ádiuuet opuléntia.
Qui fálsas litís fálsis testimóniis
Petúnt quique in iure ábiurant pecúniam,
Eorúm referimus nómina excripta ád Iouem.
Cotídie ille scít quis hic quaerát malum.
Qui hic lítem apisci póstulant periúrio
Malí, res falsas qui ímpetrant aput iúdicem,
Iterum ílle eam rem iúdicatam iúdicat:
Maióre multa múltat quam litem aúferunt.
Bonós in aliis tábulis excriptós habet.
Atque hóc scelesti [illi] ín animum inducúnt suum,
Iouem sé placare pósse donis, hóstiis:
Et óperam et sumptum pérdunt. id eo fít, quia

Nihil éi acceptumst á periuris súpplici.
Facílius siqui píus est a dis súpplicans
Quam quí scelestust ínueniet ueniám sibi.
Idcírco moneo uós ego hoc, qui estís boni
Quique aétatem agitis cúm pietate et cúm fide:
Retinéte porro, póst factum ut laetémini.
Nunc, húc qua causa uéni, argumentum éloquar.
Primúmdum huic esse nómen urbi Díphilus
Cyrénas uoluit. íllic habitat Daémones
In agro átque uilla próxuma proptér mare,
Senex qui húc Athenis éxul uenit, haú malus.
Neque is ádeo propter málitiam patriá caret,
Set dum álios seruat, se ínpediuit ínterim:
Rem béne paratam cómitate pérdidit.
Huic fília olim uírgo periit páruola:
Eam dé praedone uír mercatur péssumus:
Is eam húc Cyrenas léno aduexit uírginem.
Aduléscens quidam cíuis huius Átticus
Eam uídit ire e lúdo fidicinó domum.
Amáre occepit: ád lenonem déuenit,
Minís triginta síbi puellam déstinat
Datque árrabonem et iúreiurando ádligat.
Is léno, ut se aequomst, flócci non fecít fidem
Neque quód iuratus ádulescenti díxerat.
Erát ei hospes pár sui, Siculús senex
Sceléstus Agrigentínus, urbis próditor:
Is íllíus laudare ínfit formam uírginis
Et áliarum itidem quae ĕius erant muliérculae.
Infít lenoni suádere, ut secúm semul
Eat ín Siciliam: ibi ésse homines uoluptários
Dicít: ibi eum potésse fieri díuitem.
[Ibi ésse quaestum máxumum meretrícibus.]

Persuádet. nauis clánculum condúcitur.
Quidquíd erat, noctu in náuem conportát domo
Leno: ádulescenti, quí puellam ab eo émerat,
Ait sése Veneri uélle uotum sólucre
(Id híc est fanum Véneris) et eo ad prándium
Vocáuit adulescéntem huc. ipse hinc ílico
Nauém conscendit, áuehit meretrículas.
Aduléscenti alii nárrant ut res gésta sit:
Lenónem abisse. ad pórtum [quom] adulescéns uenit,
Illórum nauis lónge in altum apscésserat.
Ego quóniam uideo uírginem asportárier,
Tetuli ét [ei] auxilium et lénoni exitiúm semul:
Incrépui hibernum et flúctus moui máritumos.
Nam sígnum Arcturus ómnium sum acérrumum:
Veheméns sum exoriens, quom óccido uehementior.
Nunc ámbo in saxo, léno atque [eius] hospés, semul
Sedént eiecti: náuis confractást eis.
Illa aútem uirgo atque áltera itidem ancíllula
De náui timidae désuluerunt ín scapham.
Nunc ĕas ab saxo flúctus ad terrám ferunt,
Ad uíllam illius, éxul qui ibi habitát senex,
Quoius déturbauit uéntus tectum et tégulas.
Et séruos illic est éius qui egreditúr foras.
Aduléscens huc iam aduéniet, quem uidébitis,
Qui illám mercatust dé lenone uírginem.
Valéte, ut hostes uóstri diffidánt sibi.

ACTVS I.

SCEPARNIO. PLESIDIPPVS (CVM TRIBVS ADVLESCENTIBVS). DAEMONES.

SC. Pro di ínmortales, témpestatem quŏius modi
Neptúnus nobis nócte hac misit próxuma.
Detéxit uentus uíllam: quid uerbís opust?
Non uéntus fuit, uerum Álcumena Eurípidi:
Ita omnís de tecto déturbauit tégulas:
Inlústriores fécit fenstrasque índidit.
PL. Et uós a uostris ábduxi negótiis
Neque íd processit, quá uos duxi grátia:
Nequíui ad portum lénonem prehéndere.
Set mĕa desidia spém deserere nólui:
Eo uós, amici, détinui diútius.
Nunc húc ad Veneris fánum uenio uísere,
Vbi rém diuinam sé facturum díxerat.
SC. Si sápiam, hoc quod me mántat concinném lutum.
PL. Prope me híc nescio quis lóquitur. DÆ. Heus, Scepárnio.
SC. Qui nóminat me? DÆ. Quí pro te argentúm dedit.
SC. Quasi mé tuum esse séruom dicas, Daémones.
DÆ. Luto úsust multo, múltam terram cónfode.
Villam íntegundam intéllego totám mihi:

Nam núnc perlucet éa quam cribrum crébrius.
PL. Patér, salueto [tu] ámboque adeo. DÆ. Sáluos sis.
SC. Set utrúm tu masne an fémina's, qui illúm patrem
Vocés? PL. Vir sum equidem. DÆ. Quaére, uir, porró patrem:
Ego fíliolam [olim] unam hábui, eam unam pérdidi.
Viríle secus numquam úllum [ego] habui. PL. At dí dabunt.
SC. [Hem,] tíbi quidem hercle, quísquis es, magnúm malum,
Qui oratione hic óccupatos óccupes.
PL. Istícine uos habitátis? SC. Quid tu id quaéritas?
An quó furatum uénias uestigás loca?
PL. Pecúliosum esse áddecet seruom ádprobe,
Quem eró praesente [hau] praéterat orátio,
Aut qui ínclementer dícat homini líbero.
SC. Et ínpudicum et ínpudentem hominem áddecet,
Moléstum ultro aduenire ad alienám domum,
Quoi débeatur níl. DÆ. Tace, Scepárnio.
Quid opúst, adulescens? PL. Ístic infortúnium,
Qui praéfestinet úbi erus adsit praéloqui.
Set nísi molestumst, paúcis percontárier
Volo ego éx te. DÆ. Dabitur ópera, atque in negótio.
SC. Quin tu ín paludem is éxicasque harúndinem,
Qui pértegamus uíllam, dum sudúmst. DÆ. Tace.
Tu síquid opus est díce. PL. Dic quod té rogo:
Ecquém tu hic hominem críspum, incanum uíderis,

Malúm, periurum, pálpatorem. DÆ. Plúrumos:
Nam própter eius modi égo uiros uiuó miser.
PL. Hic díco, in fanum Véneris qui muliérculas
Duas sécum adduxit quíque adornarít sibi
Vt rém diuinam fáciat, aut hodie aút heri.
DÆ. Non hércle, adulescens, iam hós dies conplúsculos
Quemquam ístic uidi sácruficare: néque potest
Clam mé esse, siqui sácruficat. sempér petunt
Aquam hínc aut ignem aut uáscula aut cultrum aút ueru
Aut aúlam extarem aut áliquid: quid uerbís opust?
Venerí paraui uása et puteum, nón mihi.
Nunc ínteruallum iam hós dies multós fuit.
PL. Vt uérba praehibes, mé perisse praédicas.
DÆ. Meá quidem hercle caúsa saluos sís licet.
SC. Heus tú, qui fana uéntris causa círcumis,
Iubére meliust prándium ornarí domi.
Fortásse tu huc uocátus es ad prándium:
Ille quí uocauit, núllus uenit? PL. Ád modum.
SC. Nullúmst periclum te hínc ire inpransúm domum.
Cererém te meliust quám Venerem sectárier:
Amóri haec curat, trítico curát Ceres.
PL. Delúdificauit mé ille homo indignís modis.
DÆ. Pro di ínmortales, quíd illuc est, Scepárnio,
Hominúm secundum lítus? SC. Vt mea opíniost,
Proptér uiam illi súnt uocati ad prándium.
DÆ. Qui? SC. Quía post cenam, crédo, lauerúnt heri:
Confrácta nauis ín marist illís. DÆ. Itast.
SC. At hércle nobis uílla in terra et tégulae.

DÆ. Hui,
Homúnculi quanti éstis: eiecti út natant.
PL. Vbi súnt ei homines, ópsecro? DÆ. Hac ad déxteram:
Vidén secundum lítus? PL. Video: séquimini.
Vtinam ís sit quem ego quaéro, uir sacérrumus.
Valéte. SC. Si non móneas, nosmet méminimus.
Set ó Palaemon, sáncte Neptuní comes,
[Qui Herculis socius esse diceris]
Quod fácinus uideo? DÆ. Quíd uides? SC. Muliérculas
Videó sedentis ín scapha solás duas.
Vt ádflictantur míserae. euge, euge, pérbene,
Ab sáxo auortit flúctus ad litús scapham.
Nequé gubernator úmquam potuit [réctius].
Non uídisse undas mé maiores cénseo.
Saluaé sunt, si illos flúctus deuitáuerint.
[Nunc nunc periculumst: eiecit alteram.]
Viden álteram illam ut flúctus eiecít foras?
At ín uadost: iam fácile enabit. eúgepae:
Saluást: euasit éx aqua: iam in lítorest.
Desúluit haec autem áltera ad terram é scapha.
Vt praé timore in génua in undas cóncidit.
Surréxit: horsum sí capessit, sálua rest:
Set déxtrouorsum auórsa it in malám crucem.
Hem,
Errábit illaec hódie. DÆ. Quid id refért tua?
SC. Si ad sáxum, quo capéssit, ea deorsúm cadit,
Errátionis fécerit conpéndium.
DÆ. Si tú de illarum cénaturus uésperi's,
Illís curandum cénseo, Sceparnio:

Si aput méd essuru's, míhi dicari operám uolo.
SC. Bonum aéquomque oras. DÆ. Séquere me hac ergó. SC. Sequor.

PALAESTRA.

Nímio [pol] hominúm fortunae mínus [multo] miserae memorantur
* * * * éxperiundo is dátur acerbum * * * *
Hóc deo conplácitumst, med hoc órnatu ornatam ín regiones
[Ésse] incertas tímidam eiectam? háncine ego ad rem nátam miseram
[Mé] memorabo? hancíne ego partem cápio ob pietatém praecipuam?
Nam hoc mi haú sit labóri labórem hunc potíri,
Si me érga paréntis aut dĕos inpiárim:
Set íd si paráte curáui ut cauérem,
Tum mi hóc indecóre, inmodéste datís di.
Nam quíd habebunt písthac [insígne] inpií,
Si ad húnc modumst honós aput uos ínnoxiís?
Nam mé si fecísse aut paréntis sciám
Sceléste, minús [nunc] me míserer.
Set erí me sollicitát scelus, eius mé habet inpietás male:
Is ómnia perdidit ín mari: haec eius súnt bonorum réliquiae.
Étiam quae uécta mecum ín scaphast semul,
[Flúctuom ui] éxcidit: égo nunc sola sum.
Quaé mi si sálua saltém foret, labos
Lénior ésset hic ĕius opera mihi.
Nunc quám spem aut opem aút consilí quid capéssam

Ita híc [sola] sólis locís conpotíta?
Hic sáxa sunt, hic máre sonat, nec mi óbuiam homo quisquám uenit.
Hóc quod indúta sum súmmae opes óppido:
Néc cibo néc loco técta quo sím scio.
Quaé mihist spés qua me uíuere uelím?
Néc loci gnára sum nécdum hic [umquám] fui.
Sáltem [ego] aliquém uelim quí mihi ex hís locis
Aút uiam aut sémitam mónstret: ita núnc
Hác an illác eam, incérta [sum] cónsili:
Néc prope usquam híc quidem cúltum agrum cónspicor.
Álgor, errór, pauor [mémbra] mi omnía tenent.
Haéc hauscitis, mĕi parentes, mé nunc miseram ita ésse uti sum:
Líbera ego prognáta fui máxume, nequíquam fui.
Numquí minus [nunc] séruio, quam sí forem serua náta?
Neque quícquam umquam is [id] prófuit, qui [mé] sibi eduxérunt.

Ampelisca. Palaestra.

AM. Quíd mihi meliust, quíd magis in remst, quám corpore uitam út secludam?
Íta male uiuo atque íta mi multae in péctore sunt curae éxanimales:
Íta res [sordent]: uítae hau parco: pérdidi spem qua me óblectabam.
Ómnia iam circúmcursaui atque ómnis latebras pérreptaui

Quaérere conseruám uoce, oculis, aúribus, ut peruéstigarem.
Néque eam usquam inuenió neque quo eam néque qua quaeram [eám] consultumst,
Néque quem rogitem résponsorem quémquam interea [hic hóminem] inuenio.
Néc magis solae térrae solae súnt quam haec sunt loca atque haé regiones.
Néque si uiuit eám uiua umquam quín [uiuam] inueniám desistam.
PA. Quóia prope me hic uóx sonat? AM. Pertímui, quis loquitúr prope?
PA. Bona Spés, opsecró,
Subuénta mihí.
AM. Múlier est, múliebris uóx ad aurís mihi
Vénit: [tune] éximes míseram [me] ex hóc metu?
PA. Cérto uox múliebris tétigit aurís meas:
Num Ámpelisca ópsecrost? AM. Tén, Palaestra, aúdio?
PA. Quín uoco, ut me aúdiat, nómine illám suo?
Ámpelisca. AM. Hém, quis est? PA. Égo. AM. Palaestráne? PA. Sum.
AM. Díc ubi's? PA. Pól ego nunc ín malis plúrumis.
AM. Sócia sum néc minor párs meast quám tua.
Sét uidere éxpeto té. PA. Mihi's aémula.
AM. Cónsequamúr gradu uócem: ubi's? PA. Écce me:
Áccede ad me átque adi cóntra. AM. Fit sédulo.
PA. Cédo manum. AM. Áccipe. PA. Víuin? dic ópsecro.
AM. Tú facis mé quidem uíuere ut núnc uelim,
Quóm mihi té licet tángere. ut uíx mihi

Crédo ego hoc, té tenere. ópsecro, ampléctere,
Spés mea: ut me ómnium iám laborúm leuas.
PA. Óccupas praéloqui, quaé mist orátio.
Núnc abire hínc decet nós. AM. Quo amabo íbimus?
PA. Lítus hoc pérsequamúr. AM. Sequor quó lubet.
PA. Sícine hic cum úuida uéste grassábimur?
AM. Hóc quod est íd necessáriumst pérpeti.
Sét quid hoc opsecróst? PA. Quid [est]? AM. Vidésne amabo hoc fánum? PA. Vbist?
AM. Ad déxteram. PA. Videór decorum dís locum tuérier.
AM. Hau lónge abesse opórtet homines hínc: ita hic lepidúst locus.
[Quísquis] deus est, uéneror ut nos éx hac aerumna éximat,
Míseras, inopes, aérumnosas áliquo ut auxilio ádiuuet.

Sacerdos. Palaestra. Ampelisca.

SA. Qui súnt, qui a patróna precés mea expetéssunt?
Nam uóx me precántum huc forás excitáuit.
Bonam átque opsequéntem deam átque haut grauátam
Patrónam execúntur benígnamque múltum.
PA. Iubémus te sáluere, máter. SA. Saluéte,
Puéllae. set únde [huc]
Íre uos cum úuida uéste dicam, ópsecro,
Tam maéstiter uestítas?
PA. Ílico hinc ímus hau lóngule ex hóc loco:
Vérum longe hínc abest, únde aduectae húc sumus.
SA. Némpe equo lígneo pér uias caérulas

Éstis uectae? PA. Ád modum. SA. Ergo aéquius
uós erat
Cándidatás uenire hóstiatásque: ad hoc
Fánum ad istúnc modum nón ueniri solet.
PA. Quaéne eiectae é mari símus ambae, ópsecro,
Ýnde nos hóstias ágere uoluísti huc?
Núnc tibi ampléctimur génua egentés opum,
Quae ín locis nésciis néscia spé sumus,
Ýt tuo récipias técto seruésque nos,
Míseriarúmque te ambárum uti mísereat,
Quibús nec locúst ullus néc spes paráta,
Neque hóc quod uidés ampliús nobis quícquamst.
SA. Manús mihi date, éxurgite á genibus ámbae:
Miséricordiór nulla mést feminárum.
Set haéc pauperés sunt, inopés res, puéllae:
Egomét uix [meam] uítam coló: Veneri cíbo
Meó seruió. AM. Veneris fánum, opsecro, hóc est?
SA. Fatébor: ego huiús clueo fáni sacérdos.
Verúm quidquid ést comitér fiet á me,
Quoad cópia ualébit.
Ite hác mecum. PA. Amíce benígneque honórem,
Máter, nostrum habés. SA. Oportet.

ACTVS II.

Piscatores.

Omníbus modis qui paúperes sunt hómines miseri uíuont,
Praesértim quibus nec quaéstus est nec ártem didicere úllam.
Necéssitate quídquid est domi íd sat est habéndum.
Nos iám de ornatu própemodum ut locuplétes simus scítis.
Hisce hámi atque haec harúndines sunt nóbis quaestu et cúltu.
Cotídie ex urbe ád mare huc prodímus pabulátum.
Pro exércitu gymnástico et palaéstrico hoc habémus:
Echínos, lopadas, óstreas, balanós captamus, cónchas,
Marínam urticam, músculos, plagúsias striátas.
Post íd piscatum hamátilem et saxátilem adgredímur,
Cibúm captamus é mari. si euéntus non euénit
Neque quícquam captumst píscium, salsí lautique púre
Domúm redimus clánculum, dormímus incenáti.
Atque út nunc ualide flúctuat mare, núlla nobis spés est:
Nisi quíd concharum cápsimus, cenáti sumus profécto.
Nunc Vénerem hanc uenleremúr bonam, ut nos lépide adiuerit hódie.

TRACHALIO. PISCATORES.

TR. Animum áduorsaui sédulo, ne erum úsquam praeterírem:
Nam quóm modo exibát foras, ad pórtum se aibat íre:
Me huc óbuiam iussít sibi ueníre ad Veneris fánum.
Set quós perconter cómmode eccos uídeo astare: adíbo.
Saluéte fures máritumi, conchítae atque hamiótae,
Famélica hominum nátio. quid ágitis? ut perítis?
PI. Vt píscatorem aequómst, fame sitíque speque. TR. Ecquémnam
[Hodie] ádulescentem strénua facié, rubicundum, fórtem,
[Ingénuom,] dum hic astátis [uos], uidístis huc ueníre,
Qui trís secum homines dúceret chlamydátos cum machaéris?
PI. Nullum ístac facie, ut praédicas, uenísse huc scimus. TR. Écquem
Recáluom ac siloném senem, statútum, uentriósum,
Tortís superciliís, contracta frónte, frauduléntum,
Deorum ódium atque hominum, mălum, mali uití probrique plénum,
Qui dúceret muliérculas duas sécum satis uenústas?
PI. Cum istiús modi uirtútibus operísque natus quí sit,
Eum quidem ád carnuficemst aéquius quam ad Vénerem conmeáre.
TR. At sí uidistis, dícite. PI. Huc profécto nullus uénit.
Valé. TR. Valete. crédidi: factúmst quod suspicábar:

Data uérba ero sunt: léno abit sceléstus exulátum.
In náuem ascendit, múlieres auéxit: ariolús sum.
Is húc erum etiam ad prándium uocáuit, sceleris sémen.
Nunc quíd mihi meliust, quam ílico hic [ut] erum ópperiar dum uéniat?
Eadem [ópera], Veneria haéc sacerdos síquid ampliús scit,
Si uídero, exquisíuero: faciét me certiórem.

AMPELISCA. TRACHALIO.

AM. Intéllego: hanc quae próxuma [hic] est uílla Veneris fáno
Pulsáre iussisti átque aquam rogáre. TR. Quoia ad aúris
Vox mi áduolauit? AM. Ópsecro, hic quis lóquitur? quem ego uídeo?
TR. Estne Ámpelisca haec, quaé foras e fáno egreditur? AM. Éstne hic
Trachálio, quem cónspicor, calátor Plesidíppi?
TR. Eást. AM. Is est: Trachálio, salué. TR. Salue, Ampelísca:
Quid tú agis? AM. Aetatem haú malam male. TR. Mélius omináre.
AM. Verum ómnis sapientís decet conférre et fabulári.
Set Plésidippus túus erus ubi amábost? TR. Heia uéro,
Quasi nón sit intus. AM. Néque pol est neque húc quidem ullus uénit.

TR. Non uénit? AM. Vera praédicas. TR. Non ést meum, Ampelísca.
Set quám mox coctumst prándium? AM. Quod prándium, opsecró te?
TR. Nempe rém diuinam fácitis hic? AM. Quid sómnias, amábo?
TR. Certe húc Labrax ad prándium uocáuit Plesidíppum,
Erum méum erus uoster. AM. Édepol hau miránda facta dícis:
Si dĕos decepit ét homines, lenónum more fécit.
TR. Non rĕ́m diuinam fácitis hic uos néque erus? AM. Arioláre.
TR. Quid tú agis igitur? AM. Éx malis multís metuque súmmo
Capitálique ex perículo orbas aúxilique opúmque huc
Recépit ad se Véneria haec sacérdos me et Palaéstram.
TR. An híc Palaestrast, ópsecro, erí mei amica? AM. Cérto.
TR. Inést lepos in núntio tuo mágnus, mea Ampelísca.
Set istúc periclum pérlubet quod fúerit uobis scíre.
AM. Confráctast, mi Trachálio, hac nócte nauis nóbis.
TR. Quid, náuis? quae istaec fábulast? AM. Non aúdiuisti, amábo,
Quo pácto leno clánculum nos hínc auehere uóluit
In Síciliam et quidquíd domi fuit ín nauem inposíuit?
Ea núnc perierunt ómnia. TR. O Neptúne lepide, sálue:
Ne te áleator núllus est sapiéntior. profécto
Nimis lépide iecistí bolum: periúrum perdidísti.

Set núnc ubist lenó Labrax? AM. Periít potando, opínor:
Neptúnus magnis póculis hac nócte eum inuitáuit.
TR. Credo hércle, anancaeó datum quod bíberet. ut ego amó te,
Mea Ámpelisca: ut dúlcis es: ut múlsa dicta dícis.
Set tu ét Palaestra quó modo saluae éstis? AM. Scibis fáxo.
[De] náui timidae ambae ín scapham insulúimus, quia uidémus
Ad sáxa nauem férrier: properáns exolui réstem,
Dum illí timent. nos cúm scapha tempéstas dextrouórsum
Différt ab illis. ítaque nos uentísque fluctibúsque
Iactátae exemplis plúrumis miseraé perpetuam nóctem
* * * * * * * * *
Vix hódie ad litus pértulit nos uéntus exanimátas.
TR. Nouí, Neptunus íta solet: quamuís fastidiósus
Aedílis est: siquae ínprobae sunt mérces, iactat ómnis.
AM. Vae cápiti atque aetatí tuae. TR. Tuó, mea Ampelísca.
Sciuí lenonem fácere istuc quod fécit: saepe díxi.
Capíllum promittam óptumumst, occúpiamque ariolári.
AM. Cauístin ergo tu átque erus ne abíret, quom scibátis?
TR. Quid fáceret? AM. Si amabát, rogas quid fáceret? adseruáret
Dies nóctisque: in custódia esset sémper. uerum ecástor
Vt múlti fecit: íta probe curáuit Plesidíppus.

TR. Quor tu ístuc dicis? AM. Rés palamst. TR. Scin tu? étiam qui it lauátum
In bálineas, quom ibi sédulò sua uéstimenta séruat,
Tam súbrupiuntur: quíppe qui quem illórum opseruat fálsust:
Fur fácile quem opseruát uidet: custós qui fur sit néscit.
Set dúce me ad illạm: ubíst? AM. I sane in Véneris fanum huc íntro:
Sedéntem flentemque ópprimes. TR. Vt iam ístuc mihi moléstumst:
Set quíd flet? AM. Ego dicám tibi: hoc sése excruciat ánimi,
Quia léno ademit cístulam ei, quam habébat ubique habébat
Qui sŭos parentis nóscere potésset: eam uerétur
Ne périerit. TR. Vbinam éa fuit cistéllula? AM. Ibidem in náui:
Conclúsit ipse in uídulum, ne cópia esset éius
Qui sŭos parentis nósceret. TR. O fácinus inpudícum,
Quam líberam esse opórteat, seruíre postuláre.
AM. Nunc ĕum cum naui scílicet abísse pessum in áltum.
Et aúrum et argentúm fuit ibidém lenonis ómne.
TR. Credo áliquem inmersisse átque eum excepísse. AM. Id misera maéstast,
Sibi eórum euenisse ínopiam. TR. Iam istóc magis usus fáctost,
Vt eam íntro consolérque eam, ne síc se excruciet ánimi.
Nam múlta praeter spém scio multís bona euenísse.

AM. At ego étiam, qui speráuerint spem décepisse múltos.
TR. Ergo ánimus aequos óptumumst aerúmnae condiméntum.
Ego eo íntro, nisi quid uís. AM. Eas. ego quód mihi imperáuit
Sacérdos id faciam átque aquam hinc de próxumo rogábo.
Nam extémplo, si uerbís suis peterém, daturos díxit.
Neque dígniorem cénseo uidísse anum me quémquam,
Quoi dĕos atque homines cénseam bene fácere magis decére.
Vt lépide, ut liberáliter, ut honéste atque haut grauáte
Timidás, egentis, úuidas, eiéctas, exanimátas
Accépit ad sese: haú secus quam si éx se simus nátae.
Vt eápse [modo] succíncta aquam calefáctat, ut lauémus.
Nunc, né morae illi sím, petam hinc aquam, únde mi imperáuit.
Heus, écqui in uillast? écquis hoc reclúdit? ecquis pródit?

SCEPARNIO. AMPELISCA.

SC. Quíst qui nostris tám proterue fóribus facit iniúriam?
AM. Égo sum. SC. Hem, quid hoc boníst? eu, edepol spécie lepida múlierem.

AM. Sálue, adulescens. SC. Ét tu multum sálueto, adulescéntula.
AM. Ád uos uenio. SC. Accípiam hospitio, sí mox uenies uésperi,
Ítem ut adfectam: nám nunc nihil est quí te mane múlierem
* * * * * * * * *
Sét quid ais, mea hílara, lepida? AM. Ah, nímium familiáriter
Me áttrectas. SC. Pro di ínmortales, Véneris ecfigia haéc quidemst.
Ýt in ocellis hílaritudost: héia, corpus quŏius modi:
Súbuolturiumst, íllut quidem ‘subáquilum’ uolui dícere.
Vél papillae quŏius modi: tum quae índoles in sáuiost.
AM. Nón ego sum pollúcta pago: pótin ut me apstineás manum?
SC. Nón licet te síc placidule béllam belle tángere?
* * * * * * * * *
* * * * * * * * *
AM. Ótium ubi erit, túm tibi operam lúdo et deliciaé dabo.
Núnc, quam ob rem huc sum míssa, amabo uél tu mi aias uél neges.
SC. Quíd nunc uis? AM. Sapiénti ornatus quíd uelim indiciúm facit.
SC. Méus quoque hic sapiénti ornatus quíd uelim indiciúm facit.
AM. Haéc sacerdos Véneris petere hinc iússit me a uobís aquam:
* * * * * * * * *

SC. Át ego basilicús sum: quem nisi óras, guttam nón feres.
Nóstro illum puteúm periclo et férramentis fódimus.
[Nísi multis blandítiis a me gútta non ferrí potest.]
AM. Quór tu aquam grauáre amabo, quam hóstis hosti cómmodat?
* * * * * * * * *
SC. Quór tu operam grauáre mihi, quam cíuis ciui cómmodat?
AM. Ímmo etiam tibi, méa uoluptas, quaé uoles faciam ómnia.
SC. Eúgepae, saluós sum: haec iam me sŭam uoluptatém uocat.
Dábitur tibi aqua, né nequiquam mé ames. cedo mi urnám. AM. Cape:
Própera amabo ecférre. SC. Manta: iam híc ero, uoluptás mea.
* * * * * * * * *
* * * * * * * * *
AM. Quíd sacerdotí me dicam [esse] híc moratam tám diu?
* * * * * * * * *
Ýt etiam nunc mísera timeo, ubi óculis intueór mare.
Set quíd ego misera uídeo procul in lítore?
Meum erúm lenonem Síciliensemque hóspitem,
Quos périisse ambos mísera censebam ín mari.
Iam plús mali illut nóbis uiuit quám ratae.
Set quíd ego cesso fúgere in fanum ac dícere haec
Palaéstrae, in aram utí confugiamús prius
Quam scélus huc leno uéniat nosque hic ópprimat?
Confúgiam hinc: ita res súppetit subitó [mihi].

SCEPARNIO.

Pro di ínmortales, ín aqua numquam crédidi
Voluptátem inesse tántam: ut hanc traxí lubens.
Nimió minus altus púteus uisust quám prius.
Vt síne labore hanc éxtraxi: praefíscine,
Satin ñéquam sum, utpote qui hódie amare incéperim?
En tíbi aquam, mea tu béllula: hem, [eam] síc uolo
Te férre honeste, ut égo fero: ut placeás mihi.
Set úbi tu's delicáta? cape aquam hanc sís. ubi's?
Amat hércle me, ut ego opínor: delituít mala.
Vbi tú's? etiamne hanc úrnam acceptur á's? ubi's?
Commódule ludis. tándem uero sério.
Etiam ácceptura's úrnam hanc? ubi tu's géntium?
Nusquam hércle equidem illam uídeo: ludos mé facit.
Adpónam hercle urnam iám ego hanc in mediá uia.
Set aútem quid si hanc hínc apstulerit quíspiam
Sacram úrnam Veneris? mi éxhibeat negótium.
Metuo hércle ne illa múlier mi insidiás locet,
Vt cónprehendar cúm sacra urna Véneria.
Nempe óptumo [me] iúre in uinclis énicet
Magistrátus, siquis me hánc habere uíderit.
Nam haec líteratast: ĕapse cantat quóia sit.
Iam hercle éuocabo hinc hánc sacerdotém foras,
Vt hánc accipiat úrnam. accedam huc ád foris.
Heus, Ptólemocratia, cápe sis hanc urnám tibi:
Muliércula hanc nescĭo quae huc ad me détulit.
Intró ferundast. répperi negótium,
Si quĭdem mihi ultro his ádgerunda etiámst aqua.

LABRAX. CHARMIDES.

LA. Qui homo [ésse] sese míserum et mendicúm uolet,
Neptúno credat sése atque aetatém suam:
Nam síquis cum eo quíd rei conmíscuit,
[Eum] ad hóc exemplum amíttit ornatúm domum.
Edepól Libertas lépida's, quae numquám pedem
Voluísti in nauem mécum hercle una inpónere.
Set úbi ille meus est hóspes qui me pérdidit?
Atque éccum incedit. CH. Quó malum properás, Labrax?
Nam equidém te nequeo cónsequi tam strénue.
LA. Vtinám [tu] prius quam te óculis uidissém meis
Maló cruciatu in Sícilia perbíteres,
Quem própter hoc mihi óptigit miseró mali.
CH. Vtinam [égo], quom in aedis me ád te adduxistí [tuas],
In cárcere illo pótius cubuissém die:
Deosque ínmortalis quaéso, dum uiuás, uti
Omnís tui similis hóspites habeás tibi.
LA. Malám Fortunam in aédis te adduxí meas.
Quid míhi scelesto tíbi erat auscultátio?
Quidue hínc abitio? quídue in nauem inscénsio?
Vbi pérdidi etiam plús boni quam míhi fuit.
CH. Pol mínume miror, náuis si fractást tibi,
Scelus te ét sceleste párta quae uexít bona.
LA. Pessúm dedisti blándimentis mé tuis.
CH. Sceléstiorem cénam cenauí tuam
Quam quaé Thyestaest ánteposita et Téreo.
LA. Perii, ánimo male fit. cóntine quaesó caput.
CH. Pulmóneum edepol nímis uelim uomitúm uomas.
LA. Eheú, Palaestra atque Ámpelisca, ubi éstis nunc?

CH. Piscíbus in alto crédo praehibent pábulum.
LA. Mendícitatem mi óptulisti operá tua,
Dum tŭis ausculto mágnidicis mendáciis.
CH. Bonámst quod habeas grátiam meritó mihi,
Qui te éx insulso sálsum feci operá mea.
LA. Quin tu hínc is a me in máxumam malám crucem.
CH. Eás: easque rés agebam cómmodum.
LA. Eheú, quis uiuit mé mortalis míserior?
CH. Ego múlto tanto míserior quam tú, Labrax.
LA. Qui? CH. Quía ego indignus súm, tu dignu's quí sies.
LA. O scírpe, scirpe, laúdo fortunás tuas,
Qui sémper seruas glóriam aritúdinis.
CH. Equidém me ad uelitátionem exérceo:
Nam omnía corusca praé tremore fábulor.
LA. Edepól, Neptune, es bálineator frígidus:
Cum uéstimentis póstquam a ted abii, álgeo.
Ne thérmopoliúm quidem ullum [ille] ínstruit:
Ita sálsam praehibet pótionem et frígidam.
CH. Vt fórtunati súnt fabri ferrárii,
Qui apút carbones ádsident: sempér calent.
LA. Vtinám fortunam núnc [ego] anatinam úterer,
Vtí, quom exiuissem éx aqua, arerém tamen.
CH. Quid, si áliquo ad ludos mé pro manducó locem?
LA. Quaprópter? CH. Quia pol clárc crepito déntibus.
[Set] óptumo me iúre elauisse árbitror.
LA. Qui? CH. Quíne auderem técum in nauem ascéndere,
Qui a fúndamento mi úsque mouistí mare?
LA. Tibi aúscultaui: tú promittebás mihi

Illi ésse quaestum máxumum meretrícibus:
Ibi mé conruere pósse aiebas dítias.
CH. Iam póstulabas te, ínpurata bélua,
Totám Siciliam déuoraturum ínsulam.
LA. Quaenám balaena mĕum uorauit uídulum,
Aurum átque argentum ubi ómne conpactúm fuit?
CH. Eadem ílla credo quaé meum marsúpium,
Quod plénum argenti fúit in saccipério.
LA. Eheú, redactus sum úsque ad unam hanc túniculam
Et ad hóc misellum pállium: perii óppido.
CH. Vel cónsociare míhi quidem tecúm licet:
Aequás habemus pártis. LA. Saltem sí mihi
Muliérculae essent sáluae, spes aliquaé forent.
Nunc sí me adulescens Plésidippus uíderit,
Quo ab árrabonem pró Palaestra accéperam,
Is éxhibebit híc iam mihi negótium.
CH. Quid, stúlte, ploras? tíbi quidem edepol cópiast,
Dum língua uiuet, quí rem soluas ómnibus.

SCEPARNIO. LABRAX. CHARMIDES.

SC. Quíd illuc opsecró negotist, quód duae muliérculae
Híc in fano Véneris signum fléntes amplexaé tenent,
Néscio quem metuéntes miserae? nócte hac uero próxuma
Sé iactatas átque eiectas hódie esse aiunt é mari.
LA. Ópsecro hercle, adeléscens, ubi istae súnt quas memoras múlieres?

SC. Híc in fano Véneris. LA. Quot sunt? SC. Tótidem quot ego et tú sumus.
LA. Némpe meae? SC. Nempe néscio istuc. LA. Quá sunt facie? SC. Scítula:
Vél ego amare utrâmuis possim, sí probe adpotús siem.
LA. Némpe puellae? SC. Némpe molestu's: í, uise [intro], sí lubet.
LA. Mĕas oportet íntus esse hic múlieres, mi Chármides.
CH. Iúppiter te pérdat, et si súnt et si non súnt tamen.
LA. Íntro rumpam iam húc in Veneris fánum. CH. In barathrum máuelim.
Ópsecro, hospes, dá mihi aliquid úbi condormiscám loci.
SC. Ístic ubi uis cóndormisce: némo prohibet, púplicumst.
CH. Át uides me, ornátus ut sim uéstimentis úuidis.
Récipe me in tectúm, da mihi uestímenti aliquid áridi,
Méa dum arescunt: ín aliquo tibi grátiam referám loco.
SC. Tégillum eccillút mihi unum áret: id si uís, dabo.
Ĕodem amictus, ĕodem tectus ésse soleo, sí pluit.
Tú istaec mihi dato: éxarescent fáxo. CH. Eho, an te paénitet,
Ín mari quom [hac nóctu] elaui, ne híc in terra iterum éluam?
SC. Éluas tu an éxungare, cíccum non intérduim.
Tíbi ego numquam crédam quicquam nísi si accepto pígnore.
Tú uel suda uél peri algu uél tu aegrota uél uale.
Bárbarum hospitém mi in aedis níl moror: sat lítiumst.
CH. Iámne abis? uenális illic dúctitauit, quísquis est:

Nón est misericórs. set quid ego hic ásto infelix úuidus?
Quín abeo hinc in Véneris fanum, ut édormiscam hanc crápulam,
Quám potaui [hoc nóctis] praeter ánimi [mei] senténtiam?
Quási uinis Graecís Neptunus nóbis suffudít mare,
Ítaque aluom prodí sperauit nóbis salsis póculis.
Quíd opust uerbis? si ínuitare nós paulisper pérgeret,
Íbidem obdormissémus: nunc uix uíuos amisít domum.
Núnc lenonem quíd agit intus uísam, conuiuám meum.

ACTVS III.

DAEMONES.

Mirís modis di lúdos faciunt hóminibus:
[Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.]
Ne dórmientis quĭdem sinunt quiéscere.
Velút ego hac nocte quaé processit próxuma
Mirum átque inscitum sómniaui sómnium.
Ad hirúndininum nídum uisast símia
Ascénsionem ut fáceret admolírier:
Neque eás eripere quíbat inde. póstibi
Vidétur ad me símia adgredírier,
Rogáre scalas út darem utendás sibi.
Ego ad hóc exemplum símiae respóndeo,
Natás ex Philomela átque ex Progne esse hirúndines.
Ago cum ílla, nequid nóceat meis populáribus.
Atque ílla nimio iám fieri ferócior:
Vidétur ultro míhi malum minitárier.
In iús uocat med. íbi ego nescio quó modo
Irátus uideor médiam arripere símiam:
Conclúdo in uincla béstiam nequíssumam.
Nunc quam ád rem dicam hoc áttinere sómnium,
Numquam hódie quiui ad cóniecturam euádere.
Set quíd hoc in Veneris fáno meae uicíniae
Clamóris oritur? ánimus miratúr meus.

TRACHALIO. DAEMONES.

TR. Pró Cyrenensés populares, uóstram ego inploró fidem,
Ágricolae, adcolaé propinqui qui éstis his regiónibus,
Férte opem inopiae átque exemplum péssumum pessúm date.
Víndicate, ne ínpiorum pótior sit polléntia
Quam ínnocentum, quí se scelere fíeri nolunt nóbilis.
Státuite exemplum ínpudenti, dáte pudori praémium:
Fácite hic lege pótius liceat quám ui uicto uíuere.
Cúrrite huc in Véneris fanum, uóstram iterum inploró fidem,
Quí prope hic adéstis quique audítis clamorém meum.
Férte suppetiás qui Veneri Véneriaeque antístitae
Móre antiquo in cústodelam sùum conmiserúnt caput.
Praétorquete iniúriae prius cóllum quam ad uos péruenat.
DÆ. Quíd istuc est negóti? TR. Per ego haec génua te optestór, senex,
Quísquis es... DÆ. Quin tu érgo omitte génua et quid sit mi éxpedi,
[Quór] tumultués. TR. Teque oro et quaéso, si sperás tibi
Hóc anno multúm futurum sírpe et laserpícium
Ėamque euenturam éxagogam Cápuam saluam et sóspitem,
Átque ab lippitúdine usque síccitas ut sít tibi...
DÆ. Sánun es? TR. Seu tíbi confidis fóre multam magúdarim,
Vt te ne pigeát dare operam míhi quod te orabó, senex.

DÆ. Át ego te per crúra et talos térgumque optestór tuum,
Sí tibi ulmeám futuram spéres uirgidémiam
Ét tibi euentúram hoc anno úberem messém mali,
Ýt mi istuc dicás negoti quíd sit, quor tumúltues.
TR. Quí lubet maledícere? equidem tíbi bona optaui ómnia.
DÆ. Béne equidem tibi díco, qui te dígna ut eueniánt precor.
TR. Ópsecro, hoc praeuórtere. DÆ. Ergo quíd negotist? TR. Múlieres
Duae ínnocentes íntus hic sunt, tui índigentes aúxili,
Quíbus aduorsum iús legesque hic ínsignite iniúria
Fáctast fitque in Véneris fano. túm sacerdos Véneria
Índigne adflictátur. DÆ. Quis homost tánta confidéntia,
Quí sacerdotem aúdeat uioláre? set eae múlieres
Quaé sunt? aut quid ís iniqui fít? TR. Si das operam, éloquar.
Véneris signum súnt amplexae: núnc homo audacíssumus
Ĕas deripere uólt. eas ambas ésse oportet líberas.
DÆ. Quís istic est, qui dĕos tam parui péndit? paucis éxpedi.
TR. Fraúdis, sceleris, párricidi, périuri pleníssumus,
Légirupa, inpudéns, inpurus, ínuerecundíssumus:
Ýno uerbo apsóluam, lenost: quíd illum porro praédicem?
DÆ. Édepol infortúnio hominem praédicas donábilem.
TR. Quí sacerdotí scelestus faúcis interprésserit.
DÆ. Át malo cum mágno suo hercle fécit. ite istínc foras,

Túrbalio, Sparáx: ubi estis? TR. I ópsecro intro, súbueni
Íllis. DÆ. Iterum autem ímperabo? séquimini hac. TR. Age núnc ïam,
Iúbe oculos elídere, itidem ut sépiis faciúnt coqui.
DÆ. Próripite hominem pédibus huc itidém quasi occisám suem.
TR. Aúdio tumúltum: opinor, léno pugnis péctitur.
Nímis uelim inprobíssumo homini málas edentáuerint.
Sét eccas ipsae huc égrediuntur tímidae e fano múlieres.

PALAESTRA. AMPELISCA. TRACHALIO.

PA. Núnc id est, quom ómnium cópiarum átque opum,
Aúxili, praésidi uíduitas nós tenet.
[Núlla spes] néc uiast quaé salutem ádferat,
[Nec scímus quam in] pártem ingredí persequámur.
[Nimís magno míserae] in metú nunc sumus ámbae.
[Tánta] inportúnitas tántaque iniúria
[Fácta in] nos ést modo hic íntus ab nóstro ero,
[Quí] scelestús sacerdótem anum praécipes
Réppulit, própulit pérquam indignís modis
Nósque ab signo íntumo uí deripuít sua.
Set núnc se ut ferúnt res fortúnaeque nóstrae,
Morírist par néc meliust mórte in misériis.
TR. Quid ést? quae illaec orátiost? cesso égo illas consolári?
Heús, Palaestra: heus, Ámpelisca. PA. Ópsecro, quist quí uocat?

AM. Quíst is qui nóminat? TR. Sí respexís, scies.
PA. Ó salutís meae spés. TR. Tace ac bóno animo es:
Mé uide. PA. Sí modo id líceat, uis ne ópprimat.
TR. Quae uís? PA. Vim mi adigit ádferam ipsa. TR. Ah désine: nimis inépta's.
PA. Desíste dictis núnc ïam me míseram consolári.
AM. Nisi quíd re praesidi ádparas, Trachálio, acta haec rés est.
PA. Certúmst moriri quam húnc pati [grassári] lenonem ín me.
Set múliebri animo súm tamen: miseraé [quom uenit] in méntem
Mihi mórtis, metus membra óccupat. TR. Edepól [quamquam] hoc acérbumst,
Bonum ánimum habete. PA. Nam ópsecro unde [animús bonus] mi inuenítur?
TR. Ne, inquám, timete: adsídite hic in ára. AM. Quid istaec ára
Prodésse nobis [plús] potest quam sígnum in fano hic íntus
Venerís, quod amplexaé modo, unde abréptae per uim míserae?
TR. Sedéte hic modo: ego hinc uós tamen tutábor. aram habéte hanc
Vobís pro castris: moénia [haec]: hinc égo uos defensábo.
Praesídio Veneris málitiae lenónis contra incédam.
PA. Tibi aúscultamus ét Venus alma ámbae te opsecrámus
Aram ámplexantes hánc tuam lacrumántes, genibus níxae,

In cústodelam nós tuam ut recípias et tutére:
Illós scelestos, quí tuum fecérunt fanum párui,
[Vt úlciscare] nósque ut hanc tua páce aram opsidére
[Sinás, quae] elautae ambaé sumus operá Neptuni nóctu:
[Ne inuísas] habeas néue idcirco nóbis uitio uórtas,
Si quídpiamst minus quód bene esse laútum [tu] arbitrére.
TR. Has aéquom petere intéllego: decet áps te id impetrári:
[Ignoscere his te conuenit: metus has id ut faciant subigit.]
Te ex cóncha natam esse aútumant: caue tu hárum conchas spérnas.
Set óptume eccum exít senex, patrónus mihique et uóbis.

DAEMONES. LABRAX. LORARII. TRACHALIO. PALAESTRA ET AMPELISCA.

DÆ. Éxi e fano, nátum quantumst hóminum sacrilegíssume.
Vós in aram abíte sessum. sét ubi sunt? TR. Huc réspice.
DÆ. Óptume: istuc uólueramus. iúbe modo accedát prope.
† Tún legirupiónem hic nobiscúm dis facere póstulas?
Púgnum in os inpínge. LA. Iniqua haec pátior cum pretió tuo.
DÆ. Át etiam minitátur audax. LA. Iús meum ereptúmst mihi:
Mèas mihi ancillás inuito me éripis. TR. [Ergó dato]

Dé senatu Cýrenensi quémuis opulentum [árbitrum],
Sí tuas esse opórtet niue eas éssc oportet líberas,
Níue in carcerém conpingi te aéquomst aetatémque ibi
Te úsque habitare, dónec totum cárcerem contríueris.
LA. Nón hodie isti rei aúspicaui, ut cúm furcifero fábuler.
Té ego appello. DÆ. Cum ístoc primum quí te nouit dísputa.
LA. Técum ago. TR. Atqui mécum agundumst. súntne illae ancillaé tuae?
LA. Súnt. TR. Agedum ergo, tánge utramuis dígitulo minumó modo.
LA. Quíd, si attigero? TR. Extémplo hercle ego te fóllem pugilatórium
Fáciam et pendentem íncursabo púgnis, periuríssume.
LA. Míhi non liceat mèas ancillas Véneris de ara abdúcere?
DÆ. Nón licet: itast léx aput nos. LA. Míhi cum uostris légibus
[Níhil est] conmerci: équidem iam istas ámbas educám foras.
Tú senex si istás amas, huc árido argentóst opus.
DÆ. Véneri haec autem cónplacuerunt. LA. Hábeat, si argentúm dabit.
DÆ. Déa tibi argentúm? nunc adeo ut scías meam senténtiam,
Óccupito modo illís adferre uím ioculo pauxíllulam:
Íta ego te hinc ornátum amittam, tu ípsus te ut non nóueris.
Vós adeo, ubi ego innúero uobis, ni èi caput exoculássitis,

Quási iuncis murtéta item ego uos uírgis circumuínciam.
LA. Ví agis mecum. TR. Etiam ópprobras uim, flágiti flagrántia?
LA. Tún trifurcifér mihi audes ínclementer dícere?
TR. Fáteor, ego trifúrcifer sum: tú's homo adprimé probus:
Númqui minus hasce ésse oportet líberas? LA. Quid, líberas?
TR. Átque eras tuás quidem hercle atque éx germana Graécia:
Nam áltera haec est náta Athenis [íngenuis paréntibus].
DÆ. Quíd ego ex te audio? TR. Hánc Athenis ésse natam líberam.
DÆ. Méa poplaris ópsecro haec est? TR. Nón tu Cyrenénsis es?
DÆ. Ímmo Athenis nátus altusque éducatusque Átticis.
TR. Ópsecro, defénde ciuis tùas, senex. DÆ. O fília,
Quóm ego hanc uideo, mèarum me apsens míseriarum cónmones:
Tríma quae periít mi: iam [ea] tántast, si uiuít, scio.
LA. Árgentum ego pro istísce ambabus, quóiae erant, dominó dedi.
Quíd mea refert, haéc Athenis nátaene an Thebís sient,
Dúm mihi recte séruitutem séruiant? TR. Itane, ínpudens?
Túne hic felis uírginalis líberos paréntibus
Súblectos habébis atque indígno quaestu cónteres?
Námque huic alteraé quae patria sít, profecto néscio:
Nísi scio probiórem hanc esse quám te, inpuratíssume.
LA. Túae istae sunt? TR. Cóntende ergo, utér sit tergo uérior:
Ni ófferumentás habebis plúris in tergó tuo

Quam úlla nauis lónga clauos, tum égo ero mendacíssumus.
Póstea [tu] aspicitó meum, quando égo tuum inspectáuero:
Ní erit tam sincérum, ut quiuis dícat ampullárius,
Óptumum esse operí faciundo córium et sinceríssumum,
Quíd causaest quin uírgis te usque ad sáturitatem saúciem?
Quíd illas spectas? quás si attigeris, óculos eripiám tibi.
LA. Át quin, quia uotás, utramque iám mecum abducám semul.
DÆ. Quíd facies? LA. Volcánum adducam: is Vénerist aduorsárius.
TR. Quó illic it? LA. Heus, écquis hic est? heús. DÆ. Si attigeris óstium,
Iám tibi hercle in óre fiet méssis mergis púgneis.
LA. Núllum habemus ígnem: ficis uíctitamus áridis.
DÆ. Égo dabo ignem, sí quidem in capite tŭo conflandi cópiast.
LA. Íbo hercle aliquo quaéritatum ígnem. DÆ. Quid, quom inuéneris?
LA. Ígnem magnum hic fáciam. DÆ. Quine ut húmanum exurás tibi?
LA. Ímmo hasce ambas híc in ara ut uíuas comburam. DÆ. Íd uolo.
Nam hércle ego te contínuo arripiam bárba et in ignem cóniciam
Téque ambustulátum magnis óbiciam auibus pábulum.
Quóm coniecturam égomet mecum fácio, haec illast símia,
Quae hás hirundinés ex nido uólt eripere ingrátiis,

Quód ego in somnis sómniaui. TR. Scín quid tecum oró, senex?
Ýt illas serues, uím defendas, dúm ego erum adducó meum.
DÆ. Quaére erum atque addúce. TR. At hic ne . . . DÆ. Máxumo maló suo,
Si áttigerit siue ócceptassit. TR. Cúra. DÆ. Curatúmst: abi.
TR. Húnc quoque adserua ípsum, nequo abítat. nam promísimus
Cárnufici aut taléntum magnum aút hunc hodie sístere
DÆ. Ábi modo: ego, dum abés, ut abeat nón sinam. TR. Huc reuénero.
DÆ. Vtrúm tu leno cúm malo lubéntius
Quiéscis an sic síne malo, si cópiast?
LA. Ego quaé tu loquere flócci non fació, senex.
Meas quidem ted inuito ét Venere et summó Ioue
De ará capillo iám deripiam. DÆ. Tángedum.
LA. Tangam hércle uero. DÆ. Ágedum ergo, accede húc modo.
LA. Iubedúm recedere ístos ambo illúc modo.
DÆ. Immo ád te accedent. LA. Nón hercle equidem cénseo.
DÆ. Quid agés, si accedent própius? LA. Ego recéssero.
Verúm, senex, si te úmquam in urbe offéndero,
Numquam hércle quisquam mé lenonem díxerit,
Si té non ludos péssumos dimísero.
DÆ. Facito ístuc quod minitáris. set nunc ínterim
Si illás attigeris, dábitur tibi magnúm malum.
LA. Quam mágnum uero? DÆ. Quántum lenoní sat est.

LA. Minás ego istas flócci non fació tuas:
Equidem ȅas te inuito iam ámbas rapiam. DÆ. Tángedum.
LA. Tangam hércle uero. DÆ. Tánges, at scin quó modo?
ídúm Turbalio cúrriculo, adfer [húc domo]
Duas cláuas. LA. Clauas? DÆ. Sét probas: properá cito.
Ego te hódie faxo récte acceptum, ut dígnus es.
LA. Eheú, scelestus gáleam in naui pérdidi:
Nunc mi ópportuna hic ésset, salua sí foret.
Licét saltem istas mi áppellare? DÆ. Nón licet.
Ehem,
Eccum óptume edepol [húc] clauator áduenit.
LA. Illút quidem edepol tínnimentumst aúribus.
DÆ. Age, áccipe illanc álteram clauám, Sparax.
Age, álter istinc, álter hinc adsístite.
Adsístite ambo. síc. audite núnc ïam:
Si hercle íllic illas hódie digito tétigerit
Inuítas, ni istunc ístis inuitássitis
Vsque ádeo, donec quá domum abeat nésciat,
Perístis ambo. si áppellabit quémpiam,
Vos réspondetote ístinc istarúm uicem.
Sin ípse abitere hínc uolet, quantúm potis,
Extémplo amplectitóte crura fústibus.
LA. Etiám me abire hinc nón sinent? DÆ. Dixí satis.
Et úbi ille seruos cúm ero [suo] huc aduénerit,
Qui erum árcessiuit, ítote extempló domum.
Curáte haec sultis mágna diligéntia.
LA. Eu, hércle ne istic fána mutantúr cito:
Hoc Hérculist iam, Véneris fanum quód fuit:
Ita dŭo destituit sígna hic cum clauís senex.

Non hércle quo hinc nunc géntium aufugiám scio:
Ita núnc mi utrumque saéuit, et terra ét mare.
Palaéstra. LO. Quid uis? LA. Ápage, controuérsiast:
Haec quĭdem Palaestra quaé respondit nón meast.
Heus, Ámpelisca. LO. Cáue sis infortúnio.
LA. Vt pótis est, ignaui hómines satis recté monent.
Set uóbis dico, heus, uóbis num moléstiast
Me adire ad illas própius? LO. Nil nobís quidem
LA. Numquíd molestum míhi erit? LO. Nil, si cáueris.
LA. Quid ést quod caueam? LO. En, á crasso infortúnio.
LA. Quaeso hércle adire ut líceat. LO. Adeas, sí uelis.
LA. Bene hércle factum: uóbis habeo grátiam.
Accédam propius. LO. Íllic asta tu ílico.
LA. Edepól proueni néquiter multís modis:
Certúmst hasce hodie usque ópsidione uíncere.

Plesidippvs. Trachalio. Labrax. Lorarii.
Palaestra et Ampelisca. Charmides.

PL. Meamne ílle amicam léno ui, uioléntia
De ará deripere Véneris uoluit? TR. Ád modum.
PL. Quin óccidisti extémplo? TR. Gladius nón erat.
PL. Caperés aut fustem aut lápidem TR. Quid, ego quási canem
Hominem ínsectarer lápidibus nequíssumum?
* * * * * * * *
LA. Nunc pól ego perii: Plésidippus éccum adest:

Conuórret iam hic me tótum cum puluísculo.
PL. Etiámne in ara túnc sedebant múlieres,
Quom ad mé profectu's íre?. TR. Nunc ibidém sedent.
PL. Quis illás nunc illic séruat? TR. Nescio quís senex,
Vicínus Veneris, ís dedit operam óptumam:
Is núnc cum seruis séruat: ego mandáueram.
PL. Duc me ád lenonem récta. ubi illic ést homo?
LA. Salué. PL. Salutem níl moror. opta ócius,
Rapín te optorto cóllo mauis án trahi:
Vtrúmuis opta, dúm licet. LA. Neutrúm uolo.
PL. Abi sáne ad litus cúrriculo, Trachálio,
Iube illós in urbem ire óbuiam a portú mihi,
Quos mécum duxi, hunc qui ád carnuficem tráderent:
Post húc redito atque ágitato hic custódiam.
Ego húnc scelestum rápiam [iam] in ius éxulem:
Age, ámbula in ius. LA. Quíd ego deliquí? PL. Rogas?
Quine árrabonem a me áccepisti ob múlierem
Et eam hínc auexti? LA. Nón auexi. PL. Quór negas?
LA. Quia pól prouexi: auéhere non quiuí miser.
Equidém tibi [hodie] díxeram praestó fore
Aput Véneris fanum: númquid muto? súmne ibi?
PL. In iúre causam dícito: hic uerbúm sat est.
Sequere. LA. Ópsecro te, súbueni, mi Chármides:
Optórto rapior cóllo. CH. Quis me nóminat?
LA. Vidén me ut rapior? CH. Vídeo atque inspectó lubens.
LA. Non súbuenire mi aúdes? CH. Quis homo té rapit?
LA. Aduléscens Plesidíppus. CH. Vt nanctú's, habe:

Bono ánimo meliust te ín neruom conrépere:
Tibi óptigit quod plúrumi exoptánt sibi.
LA. Quid id ést? CH. Vt id quod quaérant inueniánt sibi.
LA. Sequere, ópsecro, me. CH. Páriter suades, quális es:
Tu in néruom rapere: eo me ópsecras ut té sequar?
PL. Etiám retentas? LA. Périi. PL. Verum sít uelim.
Tu méa Palaestra et Ámpelisca, ibidem ílico
Manéte, dum ego huc rédeo. LO. Equidem suádeo
Vt ád nos abeant pótius, dum recipís. PL. Placet:
Bene fácitis. LA. Fures mi éstis. LO. Quid, furés? PL. Rape.
LA. Oro, ópsecro, Palaéstra. PL. Sequere, cárnufex.
LA. Hospés. CH. Non sum hospes: répudio hospitiúm tuum.
LA. Sicín me spernis? CH. Síc ago: semél bibo.
LA. Di te ínfelicent. CH. Ístic capiti dícito.
Credo állum in aliam béluam hominem uórtier:
Illic ín columbum, crédo, leno uórtitur:
Nam in colúmbari collum [ĕius] hau multo póst erit.
In néruom ille hodie nídamenta cóngeret.
Verúm tamen ibo, ei áduocatus út siem,
Siquí mea opera cítius addicí potest.

ACTVS IIII.

DAEMONES.

Bene fáctum et uolup est hódie me his muliérculis
Tetulísse auxilium: iám cluentas répperi,
Atque ámbas forma scítula atque aetátula.
Set uxór scelesta me ómnibus seruát modis,
Nequí significem quídpiam muliérculis.
Set Grípus seruos nóster quid rerúm gerat,
Mirór, de nocte qui ábiit piscatum ád mare.
Pol mágis sapisset, sí dormiuissét domi:
Nam núnc et operam lúdos facit et rétia,
Vt ést tempestas núnc atque ut noctú fuit.
In dígitis hodie pércoquam quod céperit:
Ita flúctuare uídeo uehementér mare.
Set uxór uocat me ad prándium: redeó domum.
Iam opplébit auris mĕas sua uaniloquéntia.

GRIPVS.

Neptúno has agó gratiás meo patróno,
Qui sálsis locís incolít pisculéntis,
Quom me éx suis locís pulcre ornátum expedíuit
Templísque reducém, plurumá praeda onústum

Salúte horiaé, quae in marí fluctuóso
Piscátu nouó me uberí conpotíuit.
Miró mihi modo átque incredíbili hic piscátus
Lepide éuenit néc piscium úllam unciam hódie
Pondó cepi nísi hoc quod fero híc [mecum] in réte.
Nam ut dé nocte múlta inpigréque exurréxi,
Lucrúm praeposíui sopóri et quiéti:
Tempéstate saéua experíri expetíui,
Paupértatem erí qui et meám seruitútem
Tolerárem opera hau parcús mea.
Nímis homo nihilíst qui piger est, nímisque id genus odi égo male hominum.
Vígilare addecét qui sua uolt témperi confícere officia:
Nón enim illum expectáre oportet, dum érus se suscitet ád suum officium.
Nám qui dormiúnt lubenter, síne lucro et cum màlo quiescunt.
Nam égo nunc, qui inpigér fui, repperí mi piger ut sí uelim sim.
Hóc ego repperi ín mari [hodie]: quídquid inest, graue quíd inest: aurum
Híc ego inesse reór. nec mi ullus cónscius est homo. núnc tibi, Gripe,
Haéc occasio óptigit, ut líberet te ex pópulo praetor.
Núnc sic faciam, síc consiliumst: ád erum ueniam dócte, astute,
Paúxillatim póllicitabor pró capite argentum, út sim liber.
Iám ubi liber ero, ígitur demum ínstruam agrum atque aedís, mancipia:
Náuibus magnis mércaturam fáciam: aput reges réx perhibebor.

Póst animi causá mihi nauem fáciam atque imitabór Stratonicum,
Óppida circumuéctitabor. úbi nobilitas méa erit clara,
Óppidum magnúm conmoenibo: éi ego urbi Gripo índam nomen,
Mónumentum meae fámae et factis, íbique regnum mágnum instituam.
Mágnas res hic ágito in mentem instrúere. nunc hanc [praédam] condam.
Sét hic rex cum acetó pransurust ét sale, sine bonó pulmento.

TRACHALIO. GRIPVS.

TR. Heus máne. GR. Quid maneam? TR. Dum hánc tibi quam tráhis rudentem cónplico.
GR. Mitté modo. TR. At pol ego te ádiuuabo. bŏnis quod bene fit, haú perit.
GR. * * * * turbída tempestas fùit heri:
Nil hábeo, adulescens, píscium: ne tú mihi esse póstules.
Non uídes referre me úuidum reté sine squamosó pecu?
TR. Non édepol piscis éxpeto quam tŭi sermonis sum índigens.
GR. Iam, quísquis es, me odio énicas. TR. Non sínam ego abire hinc té: mane.
GR. Caue sís malo: quid tú, malum, nam [núnc] me retrahis? TR. Aúdi.
GR. Non aúdio. TR. At pol qui aúdies. GR. Quin póst eloquere quíd uis.

TR. Eho [tú], operae pretiúmst modo quod tíbi ego uolo narráre.
GR. Elóquere quid id est. TR. Víde, num quispiám consequitur própe nos.
GR. Écquid est quód [id] mea réferat? TR. Scílicet:
Sét boni cónsili écquid in té mihist?
GR. Quíd negotíst, modo díce. TR. Dicám, tace, Sí fidem modo
Dás mihi te nón fore infídum.
GR. Dó fidem tibi:
Fídus ero, quísquis es. TR. Aúdi.
Fúrtum ego uidi quí faciebat: nóram dominum id quoí fiebat.
Póst ad furem egomét deuenio féroque ei conditiónem hoc pacto:
'Égo istuc furtum scío quoi factumst: núnc mihi si uis dáre dimidium,
Índicium dominó non faciam'. is míhi nihil etiám respondit.
Quíd inde aequomst dari míhi? dimidium uólo dicas. GR. Immo ámplius etiam:
Nám nisi dat, dominó dicundum cénseo. TR. Tuo consílio faciam.
Núnc aduorte animúm: namque hoc omne áttinet ad té. GR. Quid factumst?
TR. Vídulum istum quòius est noui ego hóminem iam pridém. GR. Quid est?
TR. Ét quo pacto périit. GR. At ego quó pacto inuentúst scio:
Ét qui inuenit hóminem noui, et dóminus qui nunc ést scio.

Níhilo pol plurís tua hoc quam quánti illut refért mea.
Égo illum noui quóius nunc est: tú illum quoius antehác fuit.
Húnc homo nemo a mé feret: ne tú te speres ócius.
TR. Nón ferat, si dóminus ueniat? GR. Dóminus huic, ne frústra sis,
Nísi ego nemo nátust, hunc qui cépi in uenatú meo.
TR. Ítane uero? GR. Ecquem ésse dices ín mari piscém meum? 971
Quós quom capio, sí quidem cepi, mèi sunt: habeo pró meis.
Néc manu adserúntur neque illinc pártem quisquam póstulat.
Ín foro palam ómnis uendo pró meis uenálibus.
Máre quidem conmúne certost ómnibus. TR. Adséntio:
Quí minus hunc conmúnem quaeso míhi esse oportet uídulum?
Ín mari inuentúst. GR. Ne [tu homo's] ínpudenter ínpudens:
Nám si istuc ius sít quod memoras, píscatores périerint.
Quíppe quom extemplo ín macellum písces prolatí sient,
Némo emat: suam quísque partem píscium poscát sibi:
Dícat in marí conmuni cáptos. TR. Quid ais, ínpudens?
Aúsu's etiam cónparare uídulum cum píscibus?
Éadem tandem rés uidetur? GR. Ín manu non ést mea:
Vbi demisi réte atque hamum, quídquid haesit éxtraho.

Mèum quod rete atque hámi nancti súnt, meum potíssumumst.
TR. Ímmo hercle haut est, sí quidem quod uas éxcepisti. GR. Phílosophe.
TR. Sét tu enumquam píscatorem uídisti, uenéfice,
Vídulum piscém cepisse aut prótulisse ullum ín forum?
Nón enim tu hic quidem óccupabis ómnis quaestus quós uoles:
Ét uitorem et píscatorem té esse, inpure, póstulas.
Vél te mihi monstráre oportet píscis qui sit uídulus:
Vél quod in marí non natumst néque habet squamas né feras.
GR. Quíd, tu numquam audíuisti antehac uídulum esse piscém? TR. Scelus,
Núllus est. GR. Immóst profecto: ego quí sum piscatór scio.
Vérum raro cápitur: nullus mínus saepe ad terrám uenit.
TR. Níl agis: dare uérba speras míhi te posse, fúrcifer.
Quó colorest? GR. Hóc colore cápiuntur pauxílluli:
Súnt alii puníceo corio, mágni item atque atrí. TR. Scio:
Tu hércle, opino, in uídulum conuórtes piscem, nísi caues:
Fíet tibi puníceum corium, póstea atrum dénuo.
GR. Quód scelus hodie hóc inueni. TR. Vérba facimus: ít dies.
Víde sis, quoius árbitratu nós uis facere? GR. Víduli
Árbitratu. TR. Íta enimuero? stúltus es. GR. Salué, Thales.

TR. Tú istunc hodie nón feres, nisi dás sequestrum aut árbitrum,
Quóius haec res árbitratu fíat. GR. Quaeso sánun es?
TR. Sum élleborosus. GR. At égo cerritus: húnc non amittám tamen.
TR. Vérbum etiam adde unúm, iam in cerebro cólaphos apstrudám tuo.
Égo iam hic te, itidem quási peniculus nóuos exurgerí solet,
Ni húnc amittis, éxurgebo quídquid humorís tibist.
GR. Tánge: adfligam ad térram te itidem ut píscem soleo pólypum.
Vís pugnare? TR. Quíd opust? quin tu pótius praedam díuide.
GR. Hínc tu nisi malúm frunisci níl potes, ne póstules.
Ábeo ego hinc. TR. At ego hínc offlectam náuem, neque abeás: mane.
GR. Sí tu proreta ísti naui's, égo gubernatór ero.
Mítte rudentem [núnc], sceleste. TR. Míttam: omitte uídulum.
GR. Númquam hercle hinc hodié ramenta fíes fortunátior.
TR. Nón probare pérnegando míhi potes, nisi párs datur
Aút ad arbitrúm reditur aút sequestro pónitur.
GR. Quémne ego excepi ín mari? TR. Ast ego ínspectaui e lítore.
GR. Méa opera [et] labóre et rete et hória. TR. Numquí minus,
Sí ueniat nunc dóminus quoiust, égo qui inspectam procul

Te húnc habere, fúr sum quam tu? GR. Níhilo. TR. Mane, mastígia:
Quo árgumento sócius non sum et fúr sum, facdum ex té sciam.
GR. Néscio: neque ego ístas uostras léges urbanás scio,
Nísi quia hunc meum ésse dico. TR. Ét ego item esse aió meum.
GR. Máne iam: repperí quo pacto néc fur nec sociús sies.
TR. Quó pacto? GR. Sine me hínc abire: tú abi tacitus tŭam uiam,
Néc tu me quoiquam índicassis néque ego tibi quicquám dabo.
Tú taceto: ego mússitabo. hoc óptumum atque aequíssumumst.
TR. Écquid conditiónis audes férre? GR. Iam dudúm fero:
Ýt abeas, rudéntem amittas, míhi molestus né sies.
TR. Máne, dum refero cónditionem. GR. Te, ópsecro hercle, aufér modo.
TR. Écquem in his locís nouisti? GR. Opórtet uicinós meos.
TR. Ýbi tu hic habitas? GR. Pórro illic longe úsque in campis últumis.
TR. Vín qui in hac uilla hábitat eius árbitratu fíeri?
GR. Paúlisper remítte restem, dúm concedo et cónsulo.
TR. Fíat. GR. Euge, sálua res est: praéda haec perpetuást mea.
Ád meum erum arbitrúm uocat me hic íntra praesepís meas.

Númquam hercle hodie abiúdicabit áb suo trióbulum.
Né iste hauscit quam cónditionem tétulit: ibo ad árbitrum.
TR. Quíd igitur? GR. Quamquam ístuc esse iús meum certó scio,
Fíat istuc pótius quam nunc púgnem tecum. TR. Núnc places.
GR. Quámquam ad ignotum árbitrum me adpéllis, si adhibebít fidem,
Étsi ignotust, nótust: si non, nótus ignotíssumust.

DAEMONES. PALAESTRA ET AMPELISCA. (LORARII.) GRIPVS. TRACHALIO.

DÆ. Sério edepol, quámquam uos quae uóltis [cupio], múlieres,
Métuo propter uós mea uxor né me extrudat aédibus,
Quaé me pelicés adduxe dícet ante oculós suos.
Vós confugite in áram potius quám ego. MV. Miserae périimus.
DÆ. Égo uos saluas sístam: ne timéte. set quid uós foras
Prósequimini? quóniam ego adsum, fáciet nemo iniúriam.
Íte, inquam, domum ámbo nunc ïam éx praesidio praésides.
GR. Ó ere salue. DÆ. Sálue. quid fit? TR. Túun hic séruost? GR. Haú pudet.
TR. Níhil ago tecum. GR. Érgo abi hinc sis. TR. Quaéso respondé, senex:

Túun hic seruost? DÆ. Méus est. TR. Hem, istuc óptume, quandó tuust.
Íterum te salúto. DÆ. Et ego te. tún'es, qui hau multó prius
Ábiisti hinc erum árcessitum? TR. Ego ís sum. DÆ. Quid nunc uís tibi?
TR. Némpe hic tuus est? DÆ. Méus est. TR. Istuc óptume, quandó tuust.
DÆ. Quíd negotist? TR. Vír scelestus íllic est. DÆ. Quid fecít tibi
Vír scelestus? TR. Hómini ego isti tálos suffringí uolo.
DÆ. Quíd est qua de re lítigatis núnc inter uos? TR. Éloquar.
GR. Ímmo ego eloquár. TR. Ego opinor rém facesso. GR. Sí quidem
Sís pudicus, hínc facessas. DÆ. Grípe, animum aduorte ác tace.
GR. Ýtin istic prius dícat? DÆ. Audi. lóquere tu. GR. Alienón prius
Quám tuo dabis orátionem? TR. [Hem,] út nequitur cónprimi.
Íta ut occepi dícere, illum quém [tu fano Vénerio]
Dúdum lenonem éxtrusisti, eius uídulum hic eccíllum [habet].
GR. Nón habeo. TR. Negás quod oculis uídeo? GR. At ne uideás uelim.
Hábeo, non habeó: quid tu me cúras quid rerúm geram?
TR. Quó modo habeas, íllut refert, iúrene anne iniúria.
GR. Ní istum cepi, núlla causast quín me condonés cruci.

Si ín mari rete [égo] prehendi, quí tuum potiust quám meúm?
TR. Vérba dat: hoc modó res gestast, út ego dico. GR. Quíd tu ais?
TR. Quŏad primariús uir dicat, cónprime hunc sis, sí tuust.
GR. Quíd, tu idem uis míhimet fieri, quód erus consueuít tibi?
Sí ille te conprímere solitust, híc nos noster nón solet.
DÆ. Vérbo illo modo ílle uicit. quíd nunc tu uis? díc mihi.
TR. Équidem ego neque pártem posco míhi istinc de istoc uídulo
Néque meum esse hodie úmquam dixi: sét isti inest cistéllula
Húius mulierís, quam dudum díxi fuisse líberam.
DÆ. Némpe tu hanc dicis, quám esse aiebas dúdum popularém meam?
TR. Ád modum: et ea quae ólim parua géstauit crepúndia
Ísti in ista cístula insunt, quaé isti inest in uídulo.
Hóc neque istic úsust et illi míserae suppetiás feret,
Si íd dederit, qui sŭos parentis quaérat. DÆ. Faciam ut dét: tace.
GR. Níhil hercle ego sum istí daturus. TR. Níl peto nisi cístulam
Ét crepundia. GR. Quíd, ea si sunt aúrea? TR. Quid istúc tua?
Aúrum auro expendétur, argentum árgento exaequábitur.

GR. Fác sis aurum ut uídeam: post ego fáciam ut uideas cístulam.
DÆ. Cáue malo ac tace tú: tu perge ut óccepisti dícere.
TR. Ýnum te opsecro, út ted huius cónmiserescat múlieris,
Sí quidem hic lenónis eiust uídulus, quem súspicor.
Híc [ego] nisi de opínione cértum nil dicó tibi.
GR. Víden scelestus ut aúcupatur? TR. Síne me ut occepí loqui.
Sí scelesti illíus est hic quóius dico uídulus,
Haéc poterunt nouísse: ostendere hís iube. GR. Ain? osténdere?
DÆ. Haút iniquom dícit, Gripe, ut óstendatur uídulus.
GR. Ímmo hercle insigníte inique. DÆ. Quídum? GR. Quia, si osténdero,
Cóntinuo hunc nouísse dicent scílicet. TR. Scelerúm caput,
Ýt tute's, item ómnis censes ésse? periurí caput.
GR. Ómnia ego istaec fácile patior, dúm hic hinc a me séntiat.
TR. Átqui nunc aps té stat: uerum hinc cíbit testimónium.
DÆ. Grípe, aduorte animúm. tu paucis éxpedi quid póstulas.
TR. Díxi equidem: set sí parum intelléxti, dicam dénuo.
Hásce ambas, ut dúdum dixi, ita ésse oportet líberas:
Haéc Athenis párua fuit uírgo surpta. GR. Díc mihi,
Quíd id ad uidulum áttinet, seruaé sint istae an líberae.

TR. Ómnia iterum uís memorari, scélus, ut defiát dies.
DÆ. Ápstine maledíctis et mi quód rogaui dílue.
TR. Cístellam isti inésse oportet caúdeam in isto uídulo,
Vbi sunt signa quí parentis nóscere haec possít suos,
Quíbuscum parua Athénis periit, sícuti dixí prius.
GR. Iúppiter te díque perdant. quíd ais, uir uenéfice?
Quíd, istae mutae súnt, quae pro se fábulari nón queant?
TR. Ěo tacent, quia tácitast [melior] múlier semper quám loquens.
GR. Túm pol tu pro orátione néc uir nec muliér mihi's.
TR. Quídum? GR. Quia enim néque loquens es néque tacens umquám bonus.
Quaéso, enumquam hodié licebit míhi loqui? DÆ. Si praéterhac
[Vńum] uerbum fáxis hodie, egó tibi conminuám caput.
TR. Vt id occepi dícere, eam, senéx, te quaeso cístulam
Vt iubeas hunc réddere illis: ób eam siquid póstulat
Síbi mercedis, dábitur: aliut quídquid ibist habeát sibi.
GR. Núnc demum istuc dícis, quoniam iús meum esse intéllegis:
Dúdum dimidiám petebas pártem. TR. Immo etiam núnc peto.
GR. Vídi petere míluom, etiam quóm nihil auferrét tamen.

DÆ. Nón ego te conprímere possum síne malo? GR. Si istíc tacet,
Égo tacebo: sí iste loquitur, síne me pro re mèa loqui.
DÆ. Cédo [sis] modo mi uídulum istum, Grípe. GR. Concredám tibi:
Át si istorum níl sit, mihi uti réddas. DÆ. Reddetúr. GR. Tene.
DÆ. Aúdi nunc ïám, Palaestra atque Ámpelisca, hoc quód loquor:
Éstne hic uidulus, úbi cistellam túam inesse [hic] aibát? PA. Is est.
GR. Périi miser ego hércle: ut prius quam pláne aspexit ílico
Éum esse dixit. PA. Fáciam ego hanc rem [plánam ex procliuá] tibi.
Cístellam isti inésse oportet caúdeam in isto uídulo:
Íbi ego dicam quídquid inerit nóminatim: tú mihi
Níhilum ostenderís. si falsa dícam, frustra díxero:
Vós tum uobis ístaec quidquid ínerit isti habébitis.
Sét si uera, tum ópsecro te ut méa mi reddantúr. DÆ. Placet:
Iús merum oras mèo quidem animo. GR. At meo hércle [summam iniúriam]:
Quíd, sí ista aut supérstitiosa aut áriolast atque ómnia
Quídquid insit uéra dicet? ánne habebit áriola?
DÆ. Nón feret, nisi uéra dicet: néquiquam ariolábitur.
Sólue uidulum érgo, ut quid sit uérum quam primúm sciam.
GR. Hóc habet: est solútum. ah perii: uídeo cistellam. DÆ. Haécinest?

PA. Ístaec est. o mèi parentes, híc uos conclusós gero:
Húc opesque spésque uostrum cógnoscendum cóndidi.
GR. Túm tibi hercle dĕos iratos ésse oportet, quísquis es,
Quaé parentis tám in angustum tŭos locum conpégeris
DÆ. Grípe, accede huc, túa res agitur: tú, puella, istínc procul
Dícito quid ínsit ct qua fácie: memorato ómnia.
Si hércle tantillúm peccassis, quód posterius póstules
Te ád uerum conuórti, nugas, múlier, magnas égeris.
GR. Iús bonum oras TR. Édepol hau ted órat: nam tu iniúriu's.
DÆ. Lóquere nunc ïám, puella. Grípe, animum aduorte ác tace.
PA. Súnt crepundia. DÆ. Écca uideo. GR. Périi in primo praélio:
Máne ne ostenderís. DÆ. Qua facie súnt? responde ex órdine.
PA. Énsiculust auréolus primum líteratus. DÆ. Dícedum,
Ín eo ensiculo líterarum quíd sit. PA. Mei nomén pátris.
Póst altrinsecus áncipes secúriculast, item aúrea,
Líterata: ibi mátris nomen ín securiculást. DÆ. Mane:
Díc, in ensiculó quid nomen sít paternum. PA. Daémones.
DÆ. Di ínmortales, úbi loci sunt spés meae? GR. Immo edepól meae?
DÆ. Pérge, te opsecró, continuo. GR. Plácide, aut ite in mălam crucem.

DÆ. Lóquere, matris nómen hic quid ín securiculá siet.
PA. Daédalis. DÆ. Di mé seruatum cúpiunt. GR. At me pérditum.
DÆ. Fíliam meam esse hánc oportet, Grípe. GR. Sit per mé quidem.
Quí te di omnes pérdant, qui hodie me óculis uidisti tuis,
Méque adeo sceléstum, qui non círcumspexi céntiens
Príus, me nequis ínspectaret, quám rete extraxi éx aqua.
PA. Póst sicilicula árgenteola et dŭae conexae mánículae
Ét suculast. GR. Quín díerecta i tu cúm sucula et cum pórculis.
PA. Ét bulla aureást, pater quam dèdit mihi natalí die.
DÆ. Ĕast profecto: cóntineri quín conplectar nón queo.
Fília mea, sálue: ego is sum quí te produxí pater:
Égo sum Daemonés, et mater túa eccam hic intus Daédalis.
PA. Sálue, mi pater ínsperate. DÆ. Sálue: ut te amplectór lubens.
TR. Vólup est quom istuc éx pietate uóstra uobis cóntigit.
DÆ. Ágedum, hunc, si potés, fer intro uídulum, Trachálio.
TR. Écce Gripi scélera: quom ista rés male euenít tibi,
Grípe, gratulór. DÆ. Age eamus, méa gnata, ad matrém tuam,

Quae éx te poterit árgumentis hánc rem magis exquírere:
Quaé te magis tractáuit magisque sígna pernouít tua.
TR. Ĕamus [hinc] intro ómnes, quando óperam promiscám damus.
PA. Séquere me, Ampelísca. AM. Quom te dí amant, uoluptatíst mihi.
GR. Súmne ego [homo] sceléstus, qui illunc hódie excepi uídulum?
Aút quom excepi, quí non alicubi ín solo apstrusí loco?
Crédebam edepol túrbulentam praédam euenturám mihi,
Quía illa mihi tam túrbulenta témpestate euénerat.
Crédo edepol ego illíc inesse argénti et auri lárgiter.
Quíd meliust quam ut hínc intro abeam et mé suspendam clánculum,
Sáltem tantispér dum apscedat haéc a me aegrimónia?

ACTVS V.

DAEMONES.

[Pro di ínmortales, quís mest fortunátior,
Qui ex ínprouiso fíliam inuení meam?]
Satín siquoi homini dí esse bene factúm uolunt,
Aliquo íllut pacto optíngit optatúm piis?
Ego hódie, [quod] neque spéraui neque crédidi,
[Ex] ínprouiso fíliam inuení meam,
Et eám de genere súmmo adulescentí dabo
Ingénuo, Atheniénsi et cognató meo.
Eum ego ádeo arcessi huc ád me quam primúm uolo
Iussíque exire huc éius seruom, ut ád forum
Irét. nondum egressum ésse eum, id mirór tamen.
Accédam opinor ád foris. quid cónspicor?
Vxór conplexa cóllo retinet fíliam.
Nimis paéne inepta atque ódiosa eius amátiost.
Áliquando ausculándo meliust, úxor, pausam fíeri:
Átque adorna ut rém diuinam fáciam, quom intro aduénero,
Láribus familiáribus, quom auxérunt nostram fámiliam.
Súnt domi agni et pórci sacres. sét quid istum remorámini,
Múlieres, Trachálionem? atque óptume eccum exít foras.

TRACHALIO. DAEMONES.

TR. Ṽbi ubi erit, iam inuéstigabo et mécum ad te adducám semul
Plésidippum. DÆ. Elóquere ut haec res óptigit de fília.
Ěum roga ut relínquat alias rés et huc ueniát. TR. Licet.
DÆ. Dícito datúrum meam illi fíliam uxorém. TR. Licet.
DÆ. Ét patrem eius mé nouisse et míhi esse cognatúm. TR. Licet.
DÆ. Sét propera. TR. Licét. DÆ. Iam hic fac sit, céna ut curetúr. TR. Licet.
DÆ. Ómnian licét? TR. Licet. set scín quid est quod té uolo?
Quód promisisti út memineris, hódie ut liber sím. DÆ. Licet.
TR. Fác ut exores Plésidippum, ut mé [manu] emittát. DÆ. Licet.
TR. Ét tua filia fácito [ut] oret: fácile exorabít. DÆ. Licet.
TR. Átque ut mi Ampelísca nubat, úbi ego sim libér. DÆ. Licet.
TR. Átque ut mihi gratúm beneficium fáctis experiár. DÆ. Licet.
TR. Ómnian licét? DÆ. Licet. tibi rúsum refero grátiam.
Sét propera ire in úrbem actutum et récipe te huc rusúm. TR. Licet.
Iam híc ero. tu intéribi adorna céterum quod opúst. DÆ. Licet.

Hércules istum ínfelicet cúm sua licéntia:
Íta meas repléuit auris. quídquid memorabám, licet.

GRIPVS. DAEMONES.

GR. Quam móx licet te cónpellare, Daémones?
DÆ. Quid ést negoti, Grípe? GR. De illo uídulo,
Si sápias, sapias: hábeas quod di dánt boni.
DÆ. Aequóm uidetur tíbi ut ego alienúm quod est
Meum ésse dicam? GR. Quódne ego inueni ín mari?
DÆ. Tanto ílli melius óptigit qui pérdidit:
Tuum ésse nihilo mágis oportet uídulum.
GR. Istó tu's pauper, quóm nimis sancté piu's.
DÆ. O Grípe Gripe, in aétate hominum plúrumae
Fiúnt transennae, [illi] úbi decipiuntúr dolis.
Atque édepol in eas plérumque esca inpónitur,
Quam síquis auidus póscit escam auáriter,
Decípitur in transénna auaritiá sua.
Ille quí consulte, dócte atque astuté cauet,
Diútine uti [ei] béne licet partúm bene.
Mi istaéc uidetur praéda praedatum írier,
Maióre ut cum dote ábeat [hinc] quam aduénerit.
Egone út quod ad me adlátum esse alienúm sciam
Celém? minume istuc fáciet noster Daémones.
Sempér cauere hoc sápientis aequíssumumst,
Ne cónscii sint ípsi maleficí suis.
Ego nísi quom lusim níl morer ullúm lucrum.
GR. Spectáui ego pridem cómicos ad istúm modum
Sapiénter dicta dícere atque is plaúdier,

Quom illós sapientis móres monstrabánt poplo.
Set quom índe suam quisque íbant diuorsí domum,
Nullús erat illo pácto ut illi iússerant.
DÆ. Abi íntro, ne moléstu's, linguae témpera.
Ego tíbi daturus níl sum, ne tu frústra sis.
GR. At égo deos quaeso, ut quídquid in illo uídulost,
Si aurúm, si argentumst, ómne id ut fiát cinis.
DÆ. Illúc est quod nos néquam seruis útimur.
Nam illíc cum seruo síquo congressús foret,
Et ípsum sese et íllum furti astríngeret.
Dum praédam habere sé censeret, ínterim
Praeda ípsus esset: praéda praedam dúceret.
Nunc hínc intro ibo et sácruficabo: póstibi
Iubébo nobis cénam continuó coqui.

PLESIDIPPVS. TRACHALIO.

PL. Íterum mi istaec ómnia itera, mi ánime, mi Trachálio,
Mí liberte, mí patrone, ímmo potius mí pater:
Répperit patrém Palaestra suum átque matrem? TR. Répperit.
PL. Ét popularis ést? TR. Opino. PL. Et míhi nupturast? TR. Súspicor.
PL. Cénsen hodie déspondebit èam mihi, quaeso? TR. Cénseo.
PL. Quíd, patri etiam grátulabor quom íllam inuenit? TR. Cénseo.
PL. Quíd, matri eius? TR. Cénseo. PL. Quid érgo censes? TR. Quód rogas,

Cénseo. PL. Dic érgo, quanti cénses? TR. Egone? cénseo.
PL. Ádsum equidem, ne cénsionem sémper facias. TR. Cénseo.
PL. Quíd, si curram? TR. Cénseo. PL. An sic pótius placide? TR. Cénseo.
PL. Étiamne eam salútem aduenieus? TR. Cénseo. PL. Etiám patrem?
TR. Cénseo. PL. Post éius matrem? TR. Cénseo. PL. Quid póstea?
Étiamne aduenieńs conplectar ĕius patrem? TR. Non cénseo.
PL. Quíd, matrem? TR. Non cénseo. PL. Quid, ĕampse illam? TR. Non cénseo.
PL. Périi, dilectúm dimisit: núnc non censet, quóm uolo.
TR. Sánus non es: séquere. PL. Duc me, mí patrone, quó lubet.

LABRAX. GRIPVS.

LA. Quis mést mortalis míserior qui uíuat alter hódie,
Quem aput récuperatorés modo damnáuit Plesidíppus?
Abiúdicata a mé modost Palaéstra: perditús sum.
Nam lénones ex gaúdio credo ésse procreátos:
Ita omnés mortales, síquid est malí lenoni, gaúdent.
Nunc ălteram illam quaé meast uisam húc in Veneris fánum

Saltem út eam abducam, dé bonis quod réstat reliquiárum.
GR. Numquam édepol hodie ad uésperum Gripum ínspicietis uíuom,
Nisi uídulus mihi rédditur. LA. Perií: quom mentiónem
Fieri aúdio usquam uíduli, quasi pálo pectus túndor.
GR. Istíc scelestus líber est: ego qui ín mari prehéndi
Rete átque excepi uídulum, ei dáre negatis quícquam.
LA. Pro di ínmortales, sŭo mihi hic sermóne arrexit aúris.
GR. Cubitum hércle longis líteris signábo iam usquequáque,
Siquís perdiderit uídulum cum auro átque argento múlto,
Ad Grípum ut ueniat. nón feretis ístum, ut postulátis.
LA. Meum hércle illic homo uídulum scit quí habet, ut ego opínor.
Adeúndus mi illic ést homo: di quaéso subueníte.
GR. Quid me íntro reuocas? hóc uolo hic ante óstium extergére.
Nam hoc quĭdem pol e robígine, non ést e ferro fáctum:
Ita quánto magis extérgeo, rutilum átque tenuiús fit.
[Nam hoc quĭdem uenenatúmst uerum: ita in mánibus consenéscit.]
LA. Aduléscens, salue. GR. Dí te ament cum inráso capite. LA. Quíd fit?

GR. Verum éxtergetur. LA. Ýt uales? GR. Quid tú? num medicus quaéso's?
LA. Immo édepol una lítera plus súm quam medicus. GR. Túm tu
Mendícus es? LA. Tetigísti acu. GR. Vidétur digna fórma.
Set quíd tibist? LA. Hac próxuma nocte ín mari [hercle] eláui:
Confráctast nauis, pérdidi quidquíd erat miser ibi ómne.
GR. Quid pérdidisti? LA. Vídulum cum auro átque argento múlto.
GR. Ecquíd meministi in uídulo qui périit quid ibi infúerit?
LA. Quid réfert, qui periít tamen, si núnc hoc fabulémur?
GR. Quid, si égo sciam qui inuénerit? uolo éx te scire sígna.
LA. Octíngenti in marsúpio nummi aúrei infuérunt,
Praetérea centum Phílippeae minae ín pasceolo sórsus.
GR. Magna hércle praedast: lárgiter mercédis indipíscar:
[Di homines respiciunt: bene ergo hinc praedatus ibo.]
Proféctost huius uídulus. perge ália tu expedíre.
LA. Taléntum argenti cómmodum magnum ínerat in crumína,
Praetérea sinus, cántharus, epíchysis, gaulus, cýathus.
GR. Papaé: diuitias tú quidem habuísti luculéntas.

LA. Miserum ístuc uerbum et péssumumst ‘habuísse et nihil habére’.
GR. Quid dáre uelis qui istaéc tibi inuestíget indicétque?
Elóquere propere céleriter. LA. Nummós trecentos. GR. Trícas.
LA. Quadrigéntos. GR. Tramas pútidas. LA. Quingéntos. GR. Cassam glándem.
LA. Sescéntos. GR. Curculiúnculos minútos fabuláre.
LA. Dabo séptingentos. GR. Ós calet tibi: núnc id frigefáctas.
LA. Millé dabo nummum. GR. Sómnias. LA. Nihil áddo: abi. GR. Igitur aúdi:
Si hercle ábiero hinc, hic nón ero. LA. Vin céntum et mille? GR. Dórmis.
LA. Elóquere quantum póstules. GR. Quo níhil inuitus áddas,
Taléntum magnum: nón potest trióbulum hinc abésse:
Proin tú uel aias uél neges. LA. Quid istíc? necessumst, uídeo:
Dabitúr talentum. GR. Accédedum huc: Venus haéc uolo adrogét te.
LA. Quod tíbi lubet, id mi ímpera. GR. Tange áram hanc Veneris. LA. Tángo.
GR. Per Vénerem hanc iurandúmst tibi. LA. Quid iúrem? GR. Quod iubébo.
LA. Praei uérbis quiduis: quód domist, numquam úlli supplicábo.
GR. Tene áram hanc. LA. Teneo. GR. Déiera te argéntum mihi datúrum

Eodem [íllo] die ubi uíduli siés potitus. LA. Fíat.
GR. LA. Venus Cýrenensis, téstem te testór mihi,
Si uídulum illum, quém ego in naui pérdidi,
Cum auro átque argento sáluom inuestigáuero
Isque ín potestatém meam peruénerit:
GR. Tum ego huíce Gripo, ínquito et me tángito
LA. Tum ego huíce Gripo, díco, Venus, ut tu aúdias
GR. LA. Taléntum argenti mágnum continuó dabo.
GR. Si défraudassis, díc ut in quaestú tuo
Venus éradicet cáput atque aetatém tuam.
Tecúm tam [tute] habéto hoc, ubi iuráueris.
LA. Illút ego aduorsum síquid peccassó, Venus,
Venerór te ut omnes míseri lenonés sient.
GR. Tam fíet, etsi tú fidem seruáueris.
Tu hic ópperire: iam égo faxo exibít senex:
Eum tú continuo uídulum repóscito.
LA. Si máxume illum míhi reddiderit uídulum,
Non égo illic hodie débeo trióbulum.
Meus árbitratust, língua quod iurét mea.
Set cónticiscam: eccum éxit et ducít senem.

Gripvs. Daemones. Labrax.

GR. Séquere hac: ubi istic lénost? heus tu: én tibi, hic habet uídulum.
DÆ. Hábeo et fateor ésse aput me: et, sí tuus est, habeás tibi.

Ómnia ut quicque ínfuit ita sálua sistentúr tibi.
Téne, si tuus est. LA. Di ínmortales: méus est. salue, uídule.
DÆ. Túun est? LA. Rogitas? sí quidem hercle Ióuis fuit, meus ést tamen.
DÆ. Ómnia insunt sálua: una istinc cístella exceptást modo
Cúm crepundiís, quibus hodie fíliam inuení meam.
LA. Quám? DÆ. Tua quae fuít Palaestra, ea fília inuentást mea.
LA. Béne mehercle fáctumst: quom istaec rés tibi ex senténtia
Púlcre euenit, gaúdeo. DÆ. Ístuc fácile non credó tibi.
LA. Ímmo hercle, ut sciás gaudere mé, [tu] mihi trióbulum
Ób eam ne duís: condono té. DÆ. Benigne edepól facis.
LA. Ímmo tu quidem hércle uero. GR. Heús tu, iam habes uídulum?
LA. Hábeo. GR. Propera. LA. Quíd properabo? GR. Réddere argentúm mihi.
LA. Néque edepol tibi dó neque quicquam débeo. GR. Quae haec fáctiost?
Nón debes? LA. Non hércle uero. GR. Nón tu iuratús mihi's?
LA. Iúratus sum, et núnc iurabo, síquid uoluptatíst mihi:
Iús iurandum rèi seruandae, nón perdundae cónditumst.
GR. Cédo sis mihi taléntum magnum argénti, periuríssume.

DÆ. Grípe, quod tu istúm talentum póscis? GR. Iuratúst mihi
Dáre. LA. Lubet iuráre: tun meo póntifex periúrio's?
DÆ. Quá pro re argentúm promisit híc tibi? GR. Si uídulum
Húnc redegissem ín potestatem éius, iuratúst dare
Míhi talentum mágnum argenti. LA. Cédo quicum habeam iúdicem,
Ní dolo malo ínstipulatus sís niue etiamdum [haú] siem
Quínque et uiginti ánnos natus. GR. Hábe cum hoc LA. [Immo] alióst opus.
DÆ. Iám ab isto auferre haú sinam [te], ni ístunc condemnáuero.
Prómisistine huíc argentum? LA. Fáteor. DÆ. Quod seruó meo
Prómisisti, méum esse oportet. né tu, leno, póstules
Te híc fide lenónia uti: nón potis. GR. Iam té ratu's
Nánctum hominem quem défraudares? dándum huc argentúmst probum:
Íd ego continuo huíc dabo, adeo mé ut hic emittát manu.
DÆ Quándo ergo erga té benignus [égo] fui atque operá mea
Haéc tibi sunt seruáta: (GR. Immo hercle mea, ne tu dicás tua.
DÆ. Sí sapies, tacébis:) tum te míhi benigne itidem áddecet
Béne merenti béne referre grátiam. LA. Nempe pró meo
Iúre oras? DÆ. Mirúm quin tuum ius mèo periclo aps te éxpetam.

GR. Sáluos sum: lenó labascit: líbertas porténditur.
DÆ. Vídulum istunc ílle inuenit: íllut mancupiúm meumst.
Égo tibi hunc porró seruaui cúm magna pecúnia.
LA. Grátiam habeo et dé talento núlla causast quín feras,
Quód isti sum iuratus. GR. Heus tu, míhi dato ergo, sí sapis.
DÆ. Tácen an non? GR. Tu mèam rem simulas ágere: tibi mu * * *.
Nón hercle istoc me ínteruortes, si áliam praedam pérdidi.
DÆ. Vápulabis, uérbum si addes únum. GR. Vel [tu] hercle énica:
Nón tacebo umquam álio pacto, nísi talento cónprimor.
LA. Tíbi quidem operam hic dát: taceto. DÆ. Cóncede huc lenó. LA. Licet.
GR. Pálam age, nolo ego múrmurillum néque susurrum fíeri.
DÆ. Díc mihi, quanti [tu] íllam emisti tuam álteram muliérculam
Ámpeliscam? LA. Mílle nummum dínumeraui. DÆ. Vín tibi
Cónditionem lúculentam férre me? LA. Sané uolo.
DÆ. Díuiduom taléntum faciam. LA. Béne facis. DÆ. Pro illa áltera,
Líbera ut sit, tíbi dimidium súme, dimidium huíc cedo.
LA. Máxume. DÆ. Pro illó dimidio Grípum ego emittám manu,
Quém propter tu uídulum et ego gnátam inueni. LA. Béne facis:

Grátiam habeo mágnam. GR. Quam mox mi árgentum ergo rédditur?
DÆ. Rés solutast, Grípe. ego habeo. GR. [Tu] hércle: at ego me máuolo.
DÆ. Níhil hercle hic tibi, né tu speres: iúris iurandí uolo
Grátiam faciás. GR. Perii hercle: nísi me suspendo, óccidi.
Númquam hercle iterum défraudabis mé quidem post húnc diem.
DÆ. Híc hodie cenáto, leno. LA. Fíat: conditió placet.
DÆ. Séquimini intro. spéctatores, uós quoque ad cenám uocem,
Ní daturus níl sim neque sit quícquam pollucti domi,
Níue adeo uocátos credam uós esse ad cenám foras.
Vérum si uolétis plausum fábulae huic clarúm dare,
Cómissatum omnés uenitote ád me ad annos sédecim.
Vós hodie hic cenátote ambo. GR. Fíat. CANTOR. [Iam] plausúm date.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 ad 184 iambici senarii
- 185 ad 189 trochaici octonarii
- 190 ad 193 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 194 ad 196 bacchiaci tetrametri catalectici
- 197 bacchiacus trimeter acatalectus
- 198 et 199 iambici octonarii
- 200 ad 203 cretici dimetri acatalecti cum trochaicis monometris hypercatalectis
- 204 et 205 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 206 iambicus octonarius
- 207 et 208 cretici tetrametri acatalecti
- 209 creticus tetrameter catalecticus in syllabam
- 210 et 211 cretici tetrametri acatalecti
- 212 creticus tetrameter catalecticus in syllabam
- 213 ad 215 cretici tetrametri acatalecti
- 216 et 217 trochaici octonarii
- 218 et 219 iambici septenarii
- 220 ad 228 trochaici octonarii
- 229 trochaicus septenarius
- 230 et 231 bacchiaci dimetri catalectici (sive dochmiaci monometri)
- 232 ad 252 cretici tetrametri acatalecti
- 253 trochaicus septenarius

254 et 255 iambici octonarii

V. 256 et 257 trochaici septenarii
- 258 ad 262 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 263 bacchiacus dimeter acatalectus
- 264 creticus tetrameter acatalectus
- 265 iambicus dimeter catalecticus
- 266 ad 272 cretici tetrametri acatalecti
- 273 creticus tetrameter catalecticus
- 274 ad 277 cretici tetrametri acatalecti
- 278 ad 286 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 287 bacchiacus dimeter acatalectus
- 288 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 289 trochaicus dimeter acatalectus
- 290 ad 413 iambici septenarii
- 414 ad 449 trochaici septenarii
- 450 ad 558 iambici senarii
- 559 ad 592 trochaici septenarii
- 593 ad 614 iambici senarii
- 615 ad 663 trochaici septenarii
- 664 ad 666 cretici tetrametri acatalecti
- 667 et 668 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 669 ad 673 cretici tetrametri acatalecti
- 674 et 675 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 676 iambicus septenarius
- 677 trochaicus septenarius
- 678 ad 680 cretici tetrametri acatalecti
- 681 ad 705 iambici septenarii
- 706 ad 779 trochaici septenarii
- 780 ad 905 iambici senarii
- 906 ad 918 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 919 iambicus dimeter acatalectus
- 920 ad 937 trochaici octonarii
- 938 ad 944 iambici octonarii
- 945 ad 948 iambici septenarii
- 949 ad 951 cretici tetrametri acatalecti
- 952 et 954 trochaici monometri hypercatalect
- 953 et 955 cretici trimetri catalectici
- 956 ad 962 trochaici octonarii

V. 963 ad 1190 trochaici septenarii
- 1191 ad 1204 iambici senarii.
- 1205 ad 1226 trochaici septenarii
- 1227 ad 1264 iambici senarii
- 1265 ad 1280 trochaici septenarii
- 1281 ad 1337 iambici septenarii
- 1338 ad 1356 iambici senarii
- 1357 ad 1423 trochaici septenarii.

T. MACCI PLAVTI

T R I N V M M V S.

GRAECA THENSAVRVS PHILEMONIS
(ACTA LVDIS MEGALENSIBVS).

ARGVMENTVM.

Thensaúrum [clam] apstrusum ábiens peregre Chármide
Remque ómnem amico Cállicli mandát suo.
Istóc apsente mále rem perdit fílius.
Nam et aédis uendit: hás mercatur Cállicles.
Virgo índotata sóror istius póscitur.
Minus quó cum inuidia dét ei dotem Cállicles,
Mandát qui dicat aúrum ferre se á patre.
Vt uénit ad aedis, húnc deludit Chármides
Senéx, ut rediit: quóius nubunt líberi.

PERSONAE.

LVXVRIA cum INOPIA PROLOGVS
MEGARONIDES SENEX
CALLICLES SENEX
LVSITELES ADVLESCENS
PHILTO SENEX
LESBONICVS ADVLESCENS
STASIMVS SERVOS
CHARMIDES SENEX
SVCOPHANTA
CANTOR.

P R O L O G V S.

LVXVRIA. INOPIA.

LV. Sequere hác me, gnata, ut múnus fungarís tuum.
IN. Sequór: set finem fóre quem dicam néscio.
LV. Adést: nam illaec sunt aédes: i intro núnc iam.
Nunc, néquis erret uóstrum, paucis ín uiam
Dedúcam, si quidem óperam dare promíttitis.
Nunc ígitur primum quaé ego sim et quae illaéc siet
Huc quae ábiit intro, dícam si animum aduórtitis.
Primúm mihi Plautus nómen Luxuriae índidit:
Tum illánc mihi esse gnátam uoluit Ínopiam.
Set éa quid huc intro íerit inpulsú meo,
Accípite et date uocíuas auris dum éloquor.
Adoléscens quidamst, quí in hisce habitat aédibus:
Is rém paternam me ádiutrice pérdidit.
Quoniam ĕi qui me alat níl uideo esse rélicui,
Dedi ĕi meam gnatam, quícum egestatem éxigat.
Set de árgumento ne éxpectetis fábulae:
Senés qui huc uenient í rem uobis áperient.
Huic Graéce nomen ést Thensauro fábulae:
Philémo scripsit: Plaútus uortit bárbare,
Nomén Trinummo fécit. nunc uos hóc rogat
Vt líceat possidére hanc nomen fábulam.
Tantúmst. ualete: adéste cum siléntio.

ACTVS I.

MEGARONIDES.

Amícum castigáre ob meritam nóxiam
Inmoénest facinus, uérum in aetate útile
Et cónducibile. nám ego amicum hodié meum
Concástigabo pró conmerita nóxia:
Inuítus, ni id me inuítet ut faciám fides.
Nam hic nímium morbus móres inuasít bonos:
Ita plérique omnes iám sunt intermórtui.
Set dum ílli aegrotant, ínterim morés mali
Quasi hérba inrigua súccreuere ubérrume:
Neque quícquam hic uile núnc est nisi morés mali.
Eorúm licet iam métere messem máxumam:
Nimióque hic pluris paúciorum grátiam
Faciúnt pars hominum quam íd quo prosint plúribus.
Ita uíncunt illut cónducibile grátiae,
Quae in rébus multis ópstant odiosaéque sunt
Remorámque faciunt rĕi priuatae et púplicae.

CALLICLES. MEGARONIDES.

CA. Larém corona nóstrum decorarí uolo:
Vxór, uenerare ut nóbis haec habitátio

Bona faústa felix fórtunataque éuenat —
Teque út quam primum póssim uideam emórtuam.
ME. Hic illést senecta aetáte qui factúst puer,
Qui admísit in se cúlpam castigábilem.
Adgrédiar hominem. CA. Quóia hic prope me uóx sonat?
ME. Tui béneuolentis, sí ita's ut ego té uolo:
Sin áliter es, inimíci atque iratí tibi.
CA. O amíce, salue. [atque aequalis. ut uales,
Megaronides?] ME. Et tu édepol salue, Cállicles.
Valén? ualuistin? CA. Váleo et ualui réctius.
ME. Quid túa agit uxor? út ualet? CA. Plus quam égo uolo.
ME. Bene hérclest illam tíbi ualere et uíuere.
CA. Credo hércle te gaudére, siquid míhi malist.
ME. Omníbus amicis quód mihist cupio ésse item.
CA. Eho tú, tua uxor quíd agit? ME. Inmortális est:
Viuít uicturaquést. CA. Bene hercle núntias,
Deosque óro ut uitae tŭae superstes súppetat.
ME. Dum quidem hércle tecum núpta sit, sané uelim.
CA. Vin cónmutemus? túam ego ducam et tú meam?
Faxo haú tantillam déderis uerborúm mihi.
ME. Nempe ĕnim tu, credo, me ínprudentem obrépseris.
CA. Ne tu hércle faxo hau néscias quam rem égeris.
ME. Habeás ut nanctu's: nóta mala res óptumast.
Nam ego núnc si ignotam cápiam, quid agam nésciam.
CA. Edepól proinde ut diu uíuitur, bene uíuitur.
ME. Set hoc ánimum aduorte atque aúfer ridiculária:
Nam ego dédita opera huc ád te uenio. CA. Quíd uenis?

ME. Malís te ut uerbis múltis multum obiúrgitem.
CA. Men? ME. Númquis est hic álius praeter me átque te?
CA. Nemóst. ME. Quid tu igitur rógitas tene obiúrgitem?
Nisi tú me mihimet cénses dicturúm male.
Nam si ín te aegrotant ártes antiquaé tuae
Aut sí demutant móres ingeniúm tuum,
[Nam si ínmutare uís ingenium móribus
Neque tŭos antiquos séruas, set captás nouos,]
Omníbus amicis mórbum tu incutiés grauem,
Vt té uidere audíreque aegrotí sient.
CA. Qui in méntem uenit tíbi istaec dicta dícere?
ME. Quia omnís bonos bonásque adcurare áddecet,
Suspítionem et cúlpam ut ab se ségregent.
CA. Non pótis utrumque fíeri. ME. Quapropter? CA. Rogas?
Ne admíttam culpam, ego mĕo sum promus péctori:
Suspítiost in péctore alienó sita.
Nam núnc ego si te súbrupuisse súspicer
Iouí coronam dé capite ex Capitólio,
Qui in cólumine astat súmmo: si id non féceris
Atque íd tamen mihi lúbeat suspicárier:
Qui tu íd prohibere mé potes ne súspicer?
Set istúc negoti cúpio scire quíd siet.
ME. Habén tu amicum aut fámiliarem quémpiam,
Quoi péctus sapiat? CA. Edepol hau dicám dolo.
Sunt quós scio amicos ésse: sunt quos súspicor,
Set quórum ingenia atque ánimos nequeo nóscere:
[Ad amici partem an ad inimici perueniant:]
Set tu éx amicis cértis mi's certíssumus.
Siquíd scis me fecísse inscite aut ínprobe,

Si id nón me accusas, túte obiurgandú's. ME. Scio
Et istác huc causa ad te ádueni: aequom póstulas.
CA. Expécto siquid dícas. ME. Primumdum ómnium
Male díctitatur tíbi uolgo in sermónibus.
Turpílucricupidum té uocant ciués tui:
Tum autém sunt alii quí te uolturiúm uocant:
Hostísne an ciuis cómedis parui péndere.
Haec quom aúdio in te díci, discruciór miser.
CA. Est átque non est míhi in manu, Megarónides:
Quin dícant, non est: mérito ut ne dicánt, id est.
ME. Fuitne híc tibi amícus Chármides? CA. Est ét fuit.
Id ita ésse ut credas, rém tibi auctorém dabo.
Nam póstquam hic eius rém confregit fílius
Vidétque ipse ad paupériem protractum ésse se
Suámque filiam ésse adultam uírginem,
Semul éius matrem sŭamque uxorem mórtuam:
Quoniam hínc iturust ípsus in Seleúciam,
Mihi cónmendauit uírginem gnatám suam
Et rém suam omnem et illúm corrumptum fílium.
Haec, sí mi inimicus ésset, credo haut créderet.
ME. Quid tu? ádulescentem quém esse corrumptúm uides,
Qui tŭae mandatus ést fide et fidúciae,
Quin ĕum restituis? quín ad frugem cónrigis?
Ei rei óperam dare te fúerat aliquanto aéquius,
Siquí probiorem fácere posses, nón uti
In eándem tute accéderes infámiam
Malúmque ut eius cúm tuo miscerés malo.
CA. Quid féci? ME. Quod homo néquam. CA. Non istúc meumst.
ME. Emístin de adulescénte hasce aedis? quíd taces?

Vbi núnc tute habitas. CA. Émi atque argentúm dedi,
Minás quadraginta, ádulescenti ipsi ín manum.
ME. Dedísti argentum? CA. Fáctum, neque factí piget.
ME. Edepól fide adulescéntem mandatúm malae:
Dedistíne hoc facto ei gládium qui se occíderet?
Quid séctiust [nam, te ópsecro,] dare te ín manus
Argéntum amanti homini ádulescenti, animi ínpoti,
Qui exaédificaret suam ínchoatam ignáuiam?
CA. Non égo illi argentum rédderem? ME. Non rédderes
Neque de íllo quicquam néque emeres neque uénderes
Nec quí deterior ésset faceres cópiam.
Incónciliastine ĕum qui mandatúst tibi?
Ille quí mandauit eum éxturbauisti aédibus?
Edepól mandatum púlcre et curatúm probe.
Crede huíc tutelam: sŭam rem melius gésserit.
CA. Subigís maledictis mé tuis, Megarónides,
Nouó modo adeo ut quód meae concréditumst
Tacitúrnitati clám, fide et fidúciae,
Ne enúntiarem quoíquam neu facerém palam,
Vt mihi necesse sít iam id tibi concrédere.
ME. Mihi quód credideris, súmes ubi posíueris.
CA. Circúmspicedum te, néquis adsit árbiter
Nobís, et quaeso idéntidem circúmspice.
ME. Auscúlto siquid dícas. CA. Si taceás, loquar.
Quoniam hínc profectust [íre] peregre Chármides,
Thensaúrum demonstráuit mihi in hisce aédibus,
Hic ín conclaui quódam. set circúmspice.
ME. Nemo [híc] est. CA. Nummum Phílippeum ad tria mília.
Id sólus solum pér amicitiam et pér fidem

Flens me ópsecrauit sŭo ne gnato créderem
Neu quoíquam, unde ad eum id pósset permanáscere.
Nunc si ílle huc saluos réuenit, reddam sŭum sibi:
Siquíd eo fuerit, cérte illius fíliae
Quae míhi mandatast hábeo dotem [ei] únde dem,
Vt eam ín se dignam cónditionem cónlocem.
ME. Pro di ínmortales, uérbis paucis quám cito
Aliúm fecisti me: álius ad te uéneram.
Set ut óccepisti, pérge porro próloqui.
CA. Quid tíbi ego dicam? qui íllius sapiéntiam
Et mĕam fidelitátem et celata ómnia
Paene ílle ignauos fŭnditus pessúm dedit.
ME. Quidúm? CA. Quia, ruri dúm sum ego unos séx dies,
Me apsénte atque insciénte, inconsultú meo,
Aedís uenalis hásce inscribit líteris.
ME. Adésuriuit ét inhiauit ácrius
Lupus: ópseruauit dúm dormitarét canes:
Gregem úniuorsum uóluit totum auórtere.
CA. Fecísset edepol, ni haéc praesensissét canes.
Set núnc rogare [hoc] égo uicissim té uolo:
Quid fúit officium mĕum me facere? fác sciam:
Vtrum índicare me ĕi thensaurum aequóm fuit,
Aduórsum quam eius me ópsecrauissét pater?
An ego álium dominum páterer fieri hisce aédibus?
Qui emísset, eius éssetne ea pecúnia?
Emi égomet potius aédis: argentúm dedi
Thensaúri causa, ut sáluom amico tráderem.
Neque ádeo hasce emi míhi neque usuraé meae:
Illí redemi rúsum, a me argentúm dedi.
Haec súnt, si recte seú peruorse fácta sunt,
[Quae] ego mé fecisse cónfiteor, Megarónides.

En mèa [tibi] malefacta, én meam auaritiám tibi.
Hascín mi propter rés malas famás ferunt?
ME. Pausá: uicisti cástigatorém tuum.
Occlústi linguam: níhil est quod respóndeam.
CA. Nunc égo te quaeso ut me ópera et consilió iuues
Conmúnicesque hanc mécum meam prouínciam.
ME. Pollíceor operam. CA. Ergo úbi eris paulo póst? ME. Domi:
Numquíd uis? CA. Cures tŭam fidem. ME. Fit sédulo:
Set quíd ais? CA. Quid uis? ME. Ýbi nunc adulescéns habet?
CA. Postículum hoc recépit, quom aedis uéndidit.
ME. Istúc uolebam scíre: i sane núnc ĭam.
Set quíd ais, quid nunc uírgo? nempe aput tést? CA. Itast,
Iuxtáque eam curo cúm mea. ME. Recté facis.
CA. Numquíd prius quam abeo mé rogaturú's? ME. Vale.
Nihil ést profecto stúltius neque stólidius
Neque méndacilocum néque adeo argutúm magis
Neque cónfidentilóquius neque periúrius
Quam urbáni adsidui cíues, quos scurrás uocant.
Atque égomet me adeo cúm illis una ibidém traho:
Qui illórum uerbis fálsis acceptór fui,
Qui omnía se simulant scíre neque quicquám sciunt.
Quod quísque in animo habét aut habiturúst, sciunt:
Sciúnt quid in aurem réx reginae díxerit:
Sciúnt quod Iuno fábulatast cúm Ioue:
Quae néque fuerunt néque sunt, tamen illí sciunt.
Falsóne an uero laúdent, culpent quém uelint,

Non flócci faciunt, dúm illut quod lubeát sciant.
Omnés mortales húnc aiebant Cálliclem
Indígnum ciuitáte ac sese uíuere,
Bonís qui hunc adulescéntem euortissét suis.
Ego de ĕorum uerbis fámigeratorum ínsciens
Prosúlui amicum cástigatum innóxium.
Quod si éxquiratur úsque ab stirpe auctóritas,
Vndé quid auditum dícant: nisi id adpáreat,
Famígeratori rés sit cum damno ét malo:
Hoc íta si fiat, púplico fiát bono.
Paucí sint faxim quí sciant quod nésciunt,
Occlúsioremque hábeant stultiloquéntĭam.

ACTVS II.

LVSITELES.

Multás res simítu in meó corde uórso,
Multum ín cogitándo dolórem indipíscor.
Egomét me coquo ét macero ét defetígo:
Magíster mihi éxercitór animus núnc est.
Set hóc non liquét nec satís cogitátumst,
Vtrám potius hárum mihi ártem expetéssam,
Vtram aétati agúndae arbitrér firmiórem:
Amórin me an réi opsequí potius pár sit.
[Vtra ín parte plús sit uolúptatis uítae
Ad aétatem agúndam.]
De hac ré mihi satis haú liquet: nisi hóc sic faciam, opínor,
Vt utrámque rem semul éxputem, iudéx sim reusque ad ěam rem.
Síc faciam: síc placet. ómnium prímum
Amóris artis éloquar, quemnam ád modum se expédiant.
Númquam amor quemquám nisi cupidum póstulat se hominem ín plagas
Cónicere: eos petit, ěos sectatur, súbdole ab re cónsulit:
Blandíloquentulúst, harpagó, mendax, cúppes,
Despóliator, látebricolarum hóminum corrúmptor,
Celátum indagátor.

Nám qui amat quod amát quom extemplo [eius] sáuiis percúlsus est,
Ílico rés foras lábitur, líquitur.
'Dá mihi hoc, mél meum, sí me amas, si aúdes'.
[Átque] ibi ille cucúlus: 'o océlle mi, fíat:
Ét istuc et si ámplius uís dari dábitur'.
Íbi illa pendentém ferit.
Iam ámplius orat: nón satis
Íd est mali, ni etiam ámpliust,
Quód bibit, quód comest, quód facit súmpti.
Nóx datur: dúcitur fámilia [ei] tóta,
Véstiplica, unctor, aúri custos, flábelliferae, sándaligerulae,
Cántrices, cistéllatrices, núntii, renúntii,
Raptóres panis ét peni. fit ípse, dum illis cómis est,
Amátor inóps. haec quom agó cum meo ánimo
Et récolo, ubi qui egét, quam pretí sit parui, ápage
Amór, non placés, te nil útor.
Quamquam íllut dulcest, ésse et bibere, amór amari dát tamen
Quod aégrest satis: fugít forum,
Fugát tuos cognátos, fugát temet á tuo
Contútu: neque èum sibi uolúnt dicí amícum.
Mílle modis amor ígnorandust, prócul abdendust, ápstinendust:
Nám qui in amorem praécipitauit, périit quasi [de] sáxo saliat.
Apáge sis amór: tuas tibí res habéto.
Ámor, amicús mihi né fuas úmquam:
Súnt tamen quós [nimis] mísere maleque hábeas,
Quós tibi obnóxios [fácile] fecísti.

Cérta res ést ad frugem ádplicare ánimum:
Quámquam ibi grándis animó labos cápitur:
Bŏni sibi haec éxpetunt, rém, fidem [et] honórem,
Glóriam et grátiam: hóc probis prétiumst.
Ĕo mihi mágis lubet cúm probis [úna]
Pótius quam cum ínprobis uíuere uanídicis.

PHILTO. LVSITELES.

PH. Quo íllic homo fòras se penetráuit ex aédibus?
LV. Pater, ádsum: imperá quiduis, néque erit mora ín me
Nec látebrose me áps tuo conspéctu occultábo.
PH. Féceris pár tuis fáctis [id] céteris
Párque pietáti, tuum sí patrem pércoles.
Nólo ego cum ínprobis té uiris, gnáte mi,
Neque ín uia neque ín foro [malum] úllum sermonem éxequi.
Nóui ego hoc saéculum, móribus quíbus siet:
Málus bonum málum esse uolt, símilis ut sít sui:
Turbánt, miscent morés mali, rapáx, auarus, ínuidus:
Sacrúm profanum, púplicum priuátum habent, hiúlca gens.
Haéc ego doleo, haec súnt quae excruciant, haéc dies noctísque canto
Tíbi uti caueas. quód manu nequeunt tángere, tantum fás habent
Quó manus apstíneant: cetera rápe, trahe, [tene,] fúge, late.

Lácrumas haec mihi, quóm [ea] uideo, elíciunt, quia ego ad hóc genus
Hóminum perduráui. quin me ad plúris penetraui prius?
Nam hí mores maiórum laudant, ĕosdem lutitant quós conlaudant.
·Hís ego de ártibus grátiam fácio,
Né colas, ne ínbuas [ĕis tuum] ingénium.
Mĕo modo et móribus uíuito antíquis:
Quae égo tibi praécipio, ea [mémineris] fácito.
Níl ego istós moror faéceos móres,
Túrbidos, quíbus boni dédecorant sése.
Haéc tibi sí capessés mea impéria,
Múlta bona in péctore [praecépta] consídent.
LV. Sémper ego usque ad hánc aetatem ab íneunti adulescéntia
Tŭis seruiui séruitutem impériis praeceptís, pater.
Pro íngenio ego me líberum esse rátus sum, pro imperió tuo
Méum animum tibi séruitutem séruire aequom cénsui.
PH. Quí homo cum animo inde áb ineunti aetáte depugnát suo,
Ýtrum itane esse máuelit ut eum ánimus aequom cénseat,
Án ita potius út parentes éum esse et cognatí uelint:
Si ánimus hominem pépulit, actumst, ánimo seruit, nón sibi:
Sín ipse animum pépulit, uiuit, uíctor uictorúm cluet.
Tú si animum uicísti potius quam ánimus te, 'st quod gaúdeas.
[Qui ánimum uincunt, quám quos animus, sémper probiorés cluent.

Nímio satíust út opus est ita ésse quam ut animó lubet.]
LV. Ístaec ego mi sémper habui aetáti integumentúm meae,
Né penetrarem me úsquam, ubi esset dámni conciliábulum,
Né noctu irem obámbulatum neú suum adimerem álteri.
Ne aégritudiném, pater, tibi párerem, parsi sédulo:
Sárta tecta túa praecepta usque hábui mea modéstia.
PH. Éxprobras bene quód fecisti? tíbi fecisti, nón mihi:
Míhi quidem aetas áctast ferme, túa istuc refert máxume.
Bénefacta benefáctis aliis pértegito, ne pérpluant:
Ís probust, quem paénitet quam próbus sit et frugí bonae.
Qui ípsus sibi satís placet, nec próbus est nec frugí bonae:
Qui ípsus se contémpnit, in eost índoles indústriae.
LV. Ób eam rem haec, pater, aútumaui, quía res quaedamst quám uolo
Égo me aps te exoráre. PH. Quid id est? dáre iam ueniam géstio.
LV. Ádulescenti hinc génere summo, amíco atque aequalí meo,
Mínus qui caute et cógitate sùam rem tractauít, pater,
Béne uolo illi fácere ego, nisi tú neuis. PH. Nempe dé tuo?
LV. Dé meo: nam quód tuumst meúmst, omne autem mèum tuumst.
PH. Quíd is? egetne? LV. Egét. PH. Habuitne rem? LV. Hábuit. PH. Qui eam pérdidit?
Púplicisne adfínis fuit an máritumis negótiis?
Mércaturamne án uenalis hábuit, ubi rem pérdidit?

LV. Níhil istorum. PH. Quíd igitur? LV. Per cómitatem edepól, pater:
Praéterea aliquantum ánimi causa in déliciis dispérdidit.
PH. Édepol hominem praédicatum fírme et familiáriter,
Quí quidem nusquam pér uirtutem rém confregit átque eget.
Níl moror eum tíbi esse amicum cum ĕius modi uirtútibus.
LV. Quía sine omni málitiast, toleráre egestatem ĕius uolo.
PH. Dé mendico mále meretur qui ĕi dat quod edit aút bibat:
Nam ét illut quod dat pérdit et illi pródit uitam ad míseriam.
Nón eo haec dico, quín quae tu uis égo uelim et faciám lubens:
Sét ego hoc uerbum quóm illi quoidam díco, praemonstró tibi,
Ýt ita te aliorúm miserescat, né tis alios mísereat.
LV. Déserere illum et déiuuare in rébus aduorsís pudet.
PH. Pól pudere quám pigere praéstat totidem líteris.
LV. Édepol deum uirtúte dicam, páter, et maiorum ét tua
Múlta bona bene párta habemus: béne si amico féceris,
Né pigeat fecísse: ut potius púdeat, si non féceris.
PH. Dé magnis diuítiis siquid démas, plus fit án minus?
LV. Mínus, pater: set cíui inmoeni scín quid cantarí solet?
Quód habes ne habeás et nunc quod nón habes habeás uelim,
Quándo quidem nec tíbi bene esse póte pati neque álteri.

PH. Scío equidem istuc íta solere fíeri: uerum, gnáte mi,
Ís est inmoenis, quoí nihil est qui múnus fungatúr suum.
LV. Dĕum uirtute habémus et qui nósmet utamúr, pater,
Ét aliis qui cómitati símus beneuoléntibus.
PH. Nón edepol tibi pérnegare póssum quicquam quód uelis:
Quoí [tu] egestatém tolerare uís? loquere audactér patri.
LV. Lésbonico hinc ádulescenti, Chármidai fílio,
Qui íllic habitat. PH. Quín comedit quód fuit, quod nón fuit?
LV. Ne éxprobra, patér: multa homini euéniunt quae uolt, quaé neuolt.
PH. Méntire edepol, gnáte, atque id nunc fácis haut consuetúdine.
Nám sapiens quidém pol ipsus fíngit fortunám sibi:
Ĕo non multa quaé neuolt euéniunt, nisi fictór malust.
LV. Múltaest operae opús fictura, quí se fictorém probum
Vítae agundae esse éxpetit: set hic ád modum adulescéntulust.
PH. Nón aetate, uérum ingenio apíscitur sapiéntia.
[Sapienti aetas condimentum, sapiens aetati cibust.]
Ágedum eloquere, quíd dare illi núnc uis? LV. Nil quicquám, pater:
Tú modo ne me próhibeas accípere, siquid dét mihi.
PH. Án eo egestatem ĕi tolerabis, síquid ab illo accéperis?
LV. Ĕo, pater. PH. Pol égo istam uolo me rátionem edoceás. LV. Licet.
Scín tu illum quo génere gnatus sít? PH. Scio, adprimé probo.

LV. Sóror illist adúlta uirgo grándis: eam cupió, pater,
Dúcere uxorém sine dote. PH. Síne dote [autem] uxórem? LV. Ita,
Tùa re salua: hoc pácto ab illo súmmam inibis grátiam,
Néque commodius úllo pacto ei póteris auxiliárier.
PH. Égone indotatám te uxorem ut pátiar? LV. Patiundúmst, pater:
Ét eo pacto addíderis nostrae lépidam famam fámiliae.
PH. Múlta ego possum dícta docte et quámuis facundé loqui:
Hístoriam ueterem átque antiquam haec méa senectus sústinet.
Vérum ego quando te ét amicitiam et grátiam in nostrám domum
Vídeo adlicere, etsi áduorsatus tíbi fui, istac iúdico:
Tíbi permittam, pósce, duce. LV. Dí te seruassínt mihi:
Sét ad istam adde grátiam unum. PH. Quíd id est autem unum? LV. Éloquar:
Túte ad eum adeas, túte concilies, túte poscas. PH. Éccere.
LV. Nímio citius tránsiges: firmum ómne erit quod tu égeris.
Gráuius tuum erit únum uerbum ad èam rem quam centúm mea.
PH. Écce autem in benígnitate hac répperi negótium:
Dábitur opera. LV. Lépidus uiuis. haéc sunt aedes, híc habet:
Lésbonicost nómen. age rem cúra: ego te opperiár domi.
PH. Non óptuma haec sunt néque ut ego aequom cénseo:

Verúm meliora súnt quam quae detérruma.
Set hoc únum consolátur me atque animúm meum,
Quia quí nil aliut nísi quod sibi solí placet
Consúlit aduorsum fílium, nugás agit:
Fit míser ex animo, fáctius nihiló facit.
Suaé senectae is ácriorem hiemém parat,
Quom illam ínportunam témpestatem cónciet.
Set áperiuntur aédes quo ibam: cómmodum
Ipse éxit Lesbonícus cum seruó foras.

LESBONICVS. STASIMVS. PHILTO.

LE. Minus quíndecim diés sunt, quom pro hisce aédibus
Minás quadraginta áccepisti a Cállicle:
Estne hóc quod dico, Stásime? ST. Quom consídero,
Meminísse uideor fíeri. LE. Quid factúmst eo?
ST. Coméssum, expotum, exúnctum, elutum in bálineis:
Piscátor, pistor ápstulit, lanií, coqui,
Holitóres, muropolae, aúcupes: confít cito:
Non hércle minus [euórsi sunt nummí] cito,
Quam sí formicis tu óbicias papáuerem.
LE. Minus hércle in istis rébus sumptumst séx minis.
ST. Quid, quód dedisti scórtis? LE. Ibidem uná traho.
ST. Quod égo defraudaui? LE. Hém, istaec ratio máxumast.
ST. Non tíbi illut adparére, si sumás, potest,
Nisi tu ínmortale rére esse argentúm tibi.
Sero átque stulte, príus quod cautum opórtuit,
Postquám comedit rém, post rationém putat.
LE. Nequáquam argenti rátio conparét tamen.
ST. Ratió quidem hercle adpáret: argentum οἴχεται.

Minás quadraginta áccepstine a Cállicle
Et ille aédis mancupio áps te accepit? LE. Ád modum.
PH. Pol opíno adfinis nóster aedis uéndidit.
Patér quom peregre uéniet, in portást locus:
Nisi fórte in uentrem fílio conrépserit.
ST. Trapezítae mille dráchumarum, [olim] Olúmpicho
Quas dé ratione débuisti, rédditae.
[Pro spónsione núper quam tu exáctus es.]
LE. Nempe quás spopondi? ST. Immó 'quas dependi' ínquito
Pro illo ádulescente, quém tu esse aibas díuitem.
LE. Factum. ST. Vt quidem illut périerit. LE. Factum íd quoquest:
Nam núnc eum uidi míserum et me eius míseritumst.
ST. Miserét te aliorum, tŭi nec miseret néc pudet.
PH. Tempúst adeundi. LE. Éstne hic Philto qui áduenit?
Is hérclest ipsus. ST. Édepol ne ego istúm uelim
Meum fíeri seruom cúm suo pecúlio.
PH. Erum átque seruom plúrumum Philtó iubet
Saluére, Lesboníeum et Stasimum. LE. Dí duint
Tibi, Phílto, quaequomque óptes. quid agit fílius?
PH. Bene uólt tibi. LE. Edepol mútuom mecúm facit.
ST. Nequam íllut uerbumst 'béne uolt', nisi qui béne facit.
Ego quóque uolo esse líber: nequiquám uolo.
Hic póstulet frugi ésse: nugas póstulet.
PH. Meus gnátus me ad te mísit, inter te átque nos
Adfínitatem ut cónciliarem et grátiam.
Tuam uólt sororem dúcere uxorem: ét mihi
Senténtia eademst ét uolo. LE. Hau noscó tuum:
Bonís tuis rebus mĕas res inridés malas.

PH. Homo égo sum, tu homo's: íta me amabit Iúppiter,
Neque té derisum uéni neque dignúm puto.
Verum hóc quod dixi méus me orauit fílius,
Vt tùam sororem póscerem uxorém sibi.
LE. Mearúm me rerum nóuisse aequomst órdinem.
Cum uóstris nostra nón est aequa fáctio:
Adfínitatem uóbis aliam quaérite.
ST. Satín tu's sanus méntis aut animí tui,
Qui cónditionem hanc répudies? nam illúm tibi
Ferentárium esse amícum inuentum intéllego.
LE. Abin hínc dierecte? ST. Si hércle ire occupiám, uotes.
LE. Nisi me áliut quid uis, Phílto, respondí tibi.
PH. Benígniorem, Lésbonice, té mihi,
Quam núnc experior ésse, confidó fore:
Nam et stúlte facere et stúlte fabulárier,
Vtrúmque, Lesboníce, in aetate haú bonumst.
ST. Verum hércle hic dicit. LE. Óculum ego ecfodiám tibi,
Si uérbum addideris. ST. Hércle qui dicám tamen:
Nam sí sic non licébit, luscus díxero.
PH. Ita núnc tu dicis nón esse aequiperábilis
Vostrás cum nostris fáctiones átque opes?
LE. Dicó. PH. Quid? nunc si in aédem ad cenam uéneris
Atque íbi opulentus tíbi par forte obuénerit:
Adpósita cena sít, popularem quám uocant:
Si illí congestae sínt epulae a cluéntibus,
Siquíd tibi placeat quód illi congestúm siet,
Edísne an incenátus cum opulento áccubes?
LE. Edím, nisi si ille uótet. ST. At pol ego, etsí uotet,
Edim átque ambabus mális expletís uorem

Et quód illi placeat, praéripiam potíssumum:
Neque illí concedam quícquam de uitá mea.
Verécundari néminem aput mensám decet:
Nam ibi dé diuinis átque humanis cérnitur.
PH. Rem fábulare. ST. Nón dolo dicám tibi:
Decédam ego illi dé uia, de sémita,
De honóre populi: uérum quod ad uentrem áttinet,
Non hércle hoc longe, nísi me pugnis uícerit.
Cena hác annonast síne sacris heréditas.
PH. Sempér tu facito, Lésbonice, hoc cógites,
Id óptumum esse túte uti sis óptumus:
Si id néqueas, saltem ut óptumis sis próxumus.
Nunc cónditionem hanc, quam égo fero et quam aps té peto,
Dare átque accipere, Lésbonice, té uolo.
Di díuites sunt, deos decent opuléntiae
Et fáctiones: uérum nos homúnculi
Scintíllula animae, quám quom extemplo emísimus,
Aequó mendicus átque ille opulentíssumus
Censétur censu ad Ácheruntem mórtuos.
ST. Au,
Mirúm quin tu illo técum diuitiás feras:
Vbi mórtuos sis, íta sis ut nomén cluet.
PH. Nunc út scias hic fáctiones átque opes
Non ésse neque nos tŭam neglegere grátiam:
Sine dóte posco tŭam sororem fílio.
Quae rés bene uortat. hábeon pactam? quíd taces?
ST. Pro di ínmortales, cónditionem quŏius modi.
PH. Quin fábulare 'dí bene uortant: spóndeo'?
ST. Eheu,
Vbi úsus nihil erát [ei] dicto, 'spóndeo'
Dicébat: nunc hic, quom ópus est, non quit dícere.

LE. Quom adfínitate uóstra me arbitrámini
Dignum, hábeo uobis, Phílto, magnam grátiam.
Set si haéc res grauiter cécidit stultitiá mea,
Philtó, 'st ager sub úrbe nobis: ĕum dabo
Dotém sorori: nám is de diuitiís meis
Solús superfit praéter uitam rélicuos.
PH. Profécto dotem níl moror. LE. Certúmst dare.
ST. Nostrámne, ere, uis nutrícem, quae nos éducat,
Abálienare a nóbis? caue sis féceris:
Quid edémus nosmet póstea? LE. Etiam tú taces?
Tibi egón rationem réddam? ST. Plane périimus,
Nisi quíd ego conminíscor. Philto, té uolo.
PH. Siquíd uis, Stasime. ST. Huc cóncede aliquantúm. PH. Licet.
ST. Arcáno tibi ego hoc díco, ne ille ex té sciat
Neue álius quisquam. PH. Créde audacter quídlubet.
ST. Per dĕos atque homines díco, ne tu illúnc agrum
Tuum síris umquam fíeri neque gnatí tui:
Ei rei árgumenta dícam. PH. Audire edepól lubet.
ST. Primum ómnium olim térra quom proscínditur,
In quíncto quoque súlco moriuntúr boues.
PH. Apage. ST. Ácheruntis óstium in nostróst agro.
Tum uínum prius quam cóctumst pendet pútidum.
LE. Consuádet homini, crédo. etsi sceléstus est,
At mi ínfidelis nón est. ST. Audi cétera.
Post íd, frumenti quom álibi messis máxumast,
Tribus tántis illi mínus redit quam opséueris.
PH. Hem,
Istíc oportet ópseri morés malos,
Si in ópserendo póssint interfíeri.
ST. Neque úmquam quisquamst, quóius ille agér fuit,
Quin péssume ei res uórterit. quorúm fuit,

Alii éxulatum abiérunt, alii emórtui,
Alií se suspendére. en, nunc hic quóius est
Vt ad íncitast redáctus. PH. Apage a me ístum agrum.
ST. Magis ápage dicas, si ómnia [ex] me audíueris.
Nam fúlguritae súnt [ibi] alternae árbores:
Sués moriuntur ángina [acri] acérrume:
Oués scabrae sunt, tám glabrae, en, quam haec ést manus.
Tum autém Surorum, génus quod patientíssumumst
Hominúm, nemo extat qui íbi sex mensis uíxerit:
Ita cúncti solstitiáli morbo décidunt.
PH. Credo égo istuc, Stasime, ita ésse: set Campáns genus
Multó Surorum iam ántidit patiéntiam.
Set istést ager profécto, ut te audiuí loqui,
Malós in quem omnis púplice mittí decet.
Sicút fortunatórum memorant ínsulas,
Quo cúncti qui aetatem égerint casté suam
Conuéniant: contra istúc detrudi máleficos
Aequóm uidetur, quí quidem istius sít modi.
ST. Hospítiumst calamitátis: quid uerbís opust?
Quamuís malam rem quaéras, illic réperias.
PH. At tu hércle et illi et álibi. ST. Caue sis díxeris
Me tíbi dixisse hoc. PH. Díxti [tu] arcanó satis.
ST. Quin híc quidem cupit illum áb se abalienárier,
Siquém reperire póssit, os quoi súblinat.
PH. Meus quidem hércle numquam fíet. ST. Si sapiés quidem.
Lepide hércle de agro ego húnc senem detérrui:
Nam quí uiuamus níhil est, si illum amíserit.
PH. Redeo ád te, Lesboníce. LE. Dic sodés mihi,
Quid hic ést locutus técum? PH. Quid censés? homost:

Volt fíeri liber, uérum quod det nón habet.
LE. Et égo esse locuples, uérum nequiquám uolo.
ST. Licitúmst, si uelles: núnc, quom nihil est, nón licet.
LE. Quid técum, Stasime? ST. De ístoc quod dixtí modo:
Si anté uoluisses, ésses: nunc seró cupis.
PH. De dóte mecum cónueniri níl potis:
Quod tíbi lubet, tute ágito cum gnató meo.
Nunc tŭam sororem fílio poscó meo:
Quae rés bene uortat. quíd nunc? etiam cónsulis?
LE. Quid istíc? quando ita uis, dí bene uortant: spóndeo.
PH. Numquam édepol quoiquam tam éxpectatus fílius
Natúst, quamst illut 'spóndeo' natúm mihi.
ST. Di fórtunabunt uóstra consilia. PH. Íd uolo.
I hac, Lésbonice, mécum, ut coram núptiis
Dies cónstituatur: ĕadem haec confirmábimus.
LE. Set, Stásime, abi huc ad mĕam sororem ad Cálliclem:
Dic hóc negoti quó modo actumst. ST. Íbitur.
LE. Et grátulator mĕae sorori. ST. Scílicet.
LE. Dic Cállicli med út conueniat. ST. Tu í modo.
LE. De dóte ut uideat quíd facto opus sit. ST. Í modo.
LE. Nam cértumst sine dote haú dare. ST. Quin tu í modo.
LE. Neque enim ílli damno umquam ésse patiar.. ST. Ábi modo.
LE. Meam néglegentiam. ST. Í modo. LE. [Nulló modo]
Aequóm uidetur quín quod peccarim.. ST. Í modo.
LE. Potíssumum mihi id ópsit. ST. I modo. LE. Ó pater,

Enúmquam aspiciam te? ST. Í modo, i modo, í modo.
LE. [Eo:] tu ístuc cura quód [te] iussi: ego iam híc ero.
ST. Tandem ímpetraui abíret. di, uostrám fidem,
Edepól re gesta péssume gestám probe,
Si quídem ager nobis sáluos est: etsi ád modum
In ámbiguo etiam núnc est quid ea ré fuat.
Set si álienatur, áctumst de colló meo:
Gestándust peregre clúpeus, galea, sárcina.
Ecfúgiet ex urbe, úbi erunt factae núptiae:
Ibít † istac aliquo in máxumam malám crucem
Latrócinatum, aut ín Asiam aut in Cíliciam.
Ibo húc quo mi imperátumst, etsi odi hánc domum,
Postquam éxturbauit híc nos nostris aédibus.

ACTVS III.

Callicles. Stasimvs.

CA. Quó modo tu istuc, Stásime, dixti? ST. Nóstrum erilem fílium
Lésbonicum sŭam sororem déspopondisse: hóc modo.
CA. Quoí homini despóndit? ST. Lusitelí, Philtonis fílio,
Síne dote. CA. Sine dóte ille illam in tántas diuitiás dabit?
Nón credibile dícis. ST. At tute édepol nullus créduas:
Si hóc non credis, égo credidero.. CA. Quíd? ST. Me nihili péndere.
CA. Quám dudum istuc aút ubi actumst? ST. Ílico, hic ante óstium:
Támmodo, inquit Praénestinus. CA. Tántone in re pérdita
Quam ín re salua Lésbonicus fáctus est frugálior?
ST. Átque quidem ipsus últro uenit Phílto oratum fílio.
CA. Flágitium quidem hércle fiet, nísi dos dabitur uírgini.
Póstremo edepol égo istanc ad me rem áttinere intéllego:
Íbo ad meum castígatorem atque áb eo consiliúm petam.
ST. Própemodum quid illíc festinet séntio et subolét mihi:

Vt agro euortat Lésbonicum, quándo euortit aédibus.
Ó ere Charmidés, quom apsenti hic túa res distrahitúr tibi,
Vtinam te redísse saluom uídeam, ut inimicós tuos
Vlciscare et míhi, ut erga te fui ét sum, referas grátiam.
Nímium difficilést reperiri amícum ita ut nomén cluet,
Quoí tuam quom rém credideris, síne omni cura dórmias.
Sét generum nostrum íre eccillum uídeo cum adfiní suo.
Néscio quid non sátis inter eos cónuenit: celerí gradu
Súnt uterque: illé reprehendit húnc priorem pállio:
Haút ei euscheme ástiterunt. húc aliquantum apscéssero:
Ést lubido orátionem audíre duorum adfínium.

LVSITELES. LESBONICVS. STASIMVS.

LV. Sta ílico: noli áuorsari néque te occultassís mihi.
LE. Pótin ut me ire quó profectus súm sinas? LV. Si in rém tuam,
Lésbonice, essé uideatur, glóriae aut famaé, sinam.
LE. Quód est facillumúm facis. LV. Quid id ést? LE. Amico iniúriam.
LV. Néque meumst neque fácere didici. LE. Indóctus quam docté facis.
Quíd faceres, siquís docuisset te út sic odio essés mihi?
Quí mihi bene quom símulas facere, mále facis, male cónsulis.
LV. Égone? LE. Tu ne. LV. Quíd male facio? LE. Quód ego nollo id quóm facis.

LV. Tŭae rei bene consúlere cupio. LE. Tún mi's melior quam égo mihi?
Sát sapio, satis ín rem quae sint méam ego conspició mihi.
LV. Án id est sapere, ut quí beneficium a béneuolente répudies?
LE. Núllum beneficium ésse duco id, quóm quoi facias nón placet.
Scío ego et sentio ípse quid agam néque mens offició migrat
Néc tuis depéllar dictis quín rumori séruiam.
LV. Quíd ais? nam retinéri nequeo quín dicam ea quae prómeres:
Ítan tandem hanc maióres famam trádiderunt tíbi tui,
Ýt uirtute eorum ánteperta pér flagitium pérderes
Átque honori pósterorum tŭorum ut [tu obiex] fíeres?
Tíbi paterque auósque facilem fécit et planám uiam
Ád quaerundum honórem: tu fecísti ut difficilís foret,
Cúlpa maxume ét desidia tŭisque stultis móribus.
Praĕoptauisti amórem tuum [tu] uírtuti ut praepóneres:
Núnc te hoc pacto crédis posse optégere errata? aha, nón itast.
Cápe sis uirtutem ánimo et corde expélle desidiám tuo.
Ín foro operam amícis da, ne in lécto amicae, ut sólitus es.
Átque istum ego agrum tíbi relinqui ob ĕam rem [iam] enixe éxpeto,
Ýt tibi sit qui té conrigere póssis: ne omnino ínopiam
Cíues obiectáre possint tíbi, quos tu inimicós habes.
LE. Ómnia ego istaec quaé tu dixti scío, uel exignáuero:
Ýt rem patriam et glóriam maiórum foedarím meum.

Scíbam ut esse mé deceret, fácere non quibám miser:
Íta ui Veneris uínctus, otio áptus in fraudem íncidi:
Ét tibi nunc proinde út mereris hábeo summam grátiam.
LV. Át operam períre meam sic ét te haec corde spérnere
Pérpeti nequeó: semul me părum pudere té piget.
Ét postremo, nísi me auscultas átque hoc ut dicó facis,
Túte pone té latebis fácile, ne inueniát te honos:
Ín oculto iacébis, quom te máxume clarúm uoles.
Pérnoui equidem, Lésbonice, ingénium tuum ingenuom ád modum:
Scío te sponte nón tuapte errásse, set amorém tibi
Péctus opscurásse: atque ipse amóris teneo omnís uias.
Ítast amor, ballísta ut iacitur: níl sic celerest néque uolat:
Átque is mores hóminum moros ét morosos éfficit.
Mínus placet quod cónsuadetur: quód dissuadetúr placet.
Quom ínopiast, cupiás: quando eius cópiast, tum nón uelis.
[Ílle qui aspellit, ís conpellit: ílle qui consuadét, uotat.]
Ínsanumst malum té in hospitium déuorti ad Cupídinem.
Sét te moneo hoc étiam atque etiam ut réputes quid facere éxpetas.
Si ístuc conare út [nunc] facis indícium, tuum incendés genus:
Tum ígitur aquae erit tíbi cupido, génus qui restinguás tuum.
Átqui si eris nánctus, proinde ut córde amantes sínt cati,
Né scintillam quidem relinques, génus qui congliscát tuum.

LE. Fácile inuentust: dábitur ignis, tam étsi ab inimicó petas.
Sét tu obiurgans me á peccatis rápis deteriorem ín uiam.
Mĕam sororem tíbi dem suades síne dote. aha, non cónuenit
Mé qui abusus tántam rem sum pátriam porro in dítiis
Ésse agrumque habére, egere illam aútem, ut merito me óderit.
Númquam erit aliénis grauis qui sùis se concinnát leuem.
Sícut dixi fáciam: nollo té iactari díutius.
LV. Tánton meliust té sororis caúsa egestatem éxequi
Átque eum me agrum habére quam te, túa qui toleres moénia?
LE. Nóllo ego mihi te tám prospicere quí meam egestatám leues,
Sét ut inops infámis ne sim: né mi hanc famam dífferant
Mé germanam mĕam sororem in cóncubinatúm tibi
Síc sine dote dédidisse mágis quam in matrimónium.
Quís me inprobior pérhibeatur ésse? haec famigerátio
Té honestet, me autém conlutitet, sí sine dote dúxeris.
Tíbi sit emoluméntum honoris: míhi quod obiectént siet.
LV. Quíd? te dictatórem censes fóre, si aps te agrum accéperim?
LE. Néque uolo neque póstulo neque cénseo: uerúm tamen
Ís est honos hominí pudico méminisse officiúm suum.
LV. Scío equidem te animátus ut sis: uídeo, subolet, séntio.
Íd agis ut, ubi adfínitatem intér nos nostram astrínxeris
Átque eum agrum dederís nec quicquam hic tíbi sit qui uitám colas,

Écfugias ex úrbe inanis, prófugus patriam déseras,
Cógnatos, adfínitatem, amícos factis núptiis.
Méa opera hinc protérritum te mĕaque auaritia aútument:
Íd me conmissúrum ut patiar fíeri ne animum indúxeris.
ST. Nón enim possum quín exclamem: euge, eúge, Lusitelés, πάλιν.
Fácile palmam habés: hic uictust: uícit tua comoédia.
Híc agit magis ex árgumento et uérsus meliorés facit.
Étiam ob stultitiám tuam te túeris? multabó mina.
LE. Quíd tibi interpellátio aut in cónsilium huc accéssiost?
ST. Ĕodem pacto quo húc accessi apscéssero. LE. I hac mecúm domum,
Lúsiteles: ibi de ístis rebus plúra fabulábimur.
LV. Níhil ego in oculto ágere soleo: méus ut animust éloquar:
Sí mihi tua sorór, ut ego aequom cénseo, ita nuptúm datur
Síne dote neque tu hínc abituru's, quód erit meum id erít tuum:
Sín aliter animátus es, bene quód agas eueniát tibi:
Égo amicus numquám tibi ero alio pácto: sic senténtiast.
ST. Ábiit hercle ille. écquid audis, Lúsiteles? ego té uolo.
Híc quoque hinc abiit. Stásime, restas sólus: quid ego núnc agam
Nísi uti sarcinám constringam et clúpeum ad dorsum adcómmodem,
Fúlmentas iubeám suppingi sóccis? non sistí potest.
Vídeo caculam mílitarem mé futurum hau lóngius.

Átque aliquem ad regem ín saginam [quom] érus se coniexít meus,
Crédo ad summos béllatores ácrem — fugitorém fore,
Ét capturum ibi spólia illum qui — méo ero aduorsus uénerit.
Égomet quom extemplo árcum et pharetram mi ét sagittas súmpsero,
Cássidem in capút, — dormibo plácidule in tabernáculo.
Ád forum ibo: núdius sextus quoí talentum mútuom
Dédi reposcam, ut hábeam mecum quód feram uiáticum.

MEGARONIDES. CALLICLES.

ME. Vt míhi rem narras, Cállicles, nulló modo
Pote fíeri prosus quín dos detur uírgini.
CA. Namque hércle honeste fíeri ferme nón potest
Vt eám perpetiar íre in matrimónium
Sine dóte, quom eius rém penes me habeám domi.
* * * * * * * * *
ME. * * * * * * * *
Paráta dos domíst: nisi expectáre uis
Vt eám sine dote fráter nuptum cónlocet:
Post ádeas tute Philtonem et dotém dare
Te ei dícas: facere id ĕius ob amicitiám patris.
Verum hóc ego uereor ne ístaec pollicitátio
Te in crímen populo pónat atque infámiam.
Non témere dicant té benignum uírgini:
Datám tibi dotem ei quám dares eius á patre:
Ex ĕa largiri te ílli, neque ita ut sít data
Incólumem sistere ílli, et detraxe aútument.
Nunc si ópperiri uís aduentum Chármidi,

Perlóngumst: huic ducéndi interea apscésserit
Lubído: atqui ea condítio huic uel primáriast.
CA. Eadem ómnia istaec uéniunt in mentém mihi.
ME. Vide si hóc utibile mágis atque in rem députas:
Ipsum ádi [adulescentem], édoce eum uti rés se habet.
CA. Vt égo nunc adulescénti thensaurum índicem
Indómito, pleno amóris ac lascíuiae?
Minumé, minume hercle uéro: nam certó scio,
Locúm quoque illum omnem úbi situmst coméderit.
Quem fódere metuo, sónitum ne ille exaúdiat:
Ne rem ípsam indaget, dótem dare si díxerim.
ME. Quo pácto ergo igitur clám dos depromí potest?
CA. Dum occásio ei [rei] réperiatur, ínterim
Ab amíco alicunde mútuom argentúm rogem.
ME. Potin ést ab amico alicúnde exorarí? CA. Potest.
ME. Gerraé: ne tu illut uérbum actutum inuéneris:
'[Hem,] míhi quidem hercle nón est quod dem mútuom.'
CA. Mallim hércle ut uerum dícant quam ut dent mútuom.
ME. Set uíde consilium sí placet. CA. Quid cónsilist?
ME. Scitum, út ego opinor, cónsilium inuení. CA. Quid est?
ME. Homo cónducatur iám aliquis quantúm potis
Ignóta facie, quaé non uisitáta sit:
Is homo éxornetur gráphice in peregrinúm modum,
Quasi sít peregrinus. CA. Quíd is scit facere póstea?
ME. Mendácilocum aliquem [esse hóminem oportet dé foro,]
Falsídicum, confidéntem. CA. Quid tum póstea?
ME. Quasi ád adulescentem á patre ex Seleúcia
Veniát, salutem ei núntiet uerbís patris:
Illúm bene gerere rem ét ualere et uíuere

Et eúm redditurum actútum. ferat epístulas
Duas: èas nos consignémus, quasi sint á patre.
Illí det alteram, álteram dicát tibi
Dare sése uelle. CA. Pérge porro dícere.
ME. Seque aúrum ferre uírgini dotem á patre
Dicát patremque id iússisse aurum tíbi dare.
Tenés iam? CA. Propemodo, átque ausculto pérlubens.
ME. Tum tu ígitur demum id ádulescenti aurúm dabis,
Vbi erít locata uírgo in matrimónium.
CA. Scite hércle sane. ME. Hoc, úbi thensaurum ecfóderis,
Suspítionem ab ádulescente amóueris.
Censébit aurum esse á patre adlatúm tibi:
Tu dé thensauro súmes. CA. Satis scite ét probe:
Quamquam hóc me aetatis súcophantarí pudet.
Set epístulas quando ópsignatas ádferet,
Nonne árbitraris túm adulescentem ánuli
Patérni signum nóuisse? ME. Etiam tú taces?
Sescéntae ad eam rem caúsae possunt cónligi:
Eum quem hábuit perdidit, álium post fecít nouom.
Iam si ópsignatas nón feret, dici hóc potest
Aput pórtitores èas resignatás sibi
Inspéctasque esse. in hùius modi negótio
Diém sermone térere segnitiés merast:
Quamuís sermones póssunt longi téxier.
Abi ád thensaurum iám confestim clánculum:
Seruós, ancillas ámoue: atque audín? CA. Quid est?
ME. Vxórem quoque eampse hánc rem uti celés face:
Nam pól tacere númquam quicquamst quód queant.
Quid núnc stas? quin tu hinc [te] ámoues et té moues?
Aperí, deprome inde aúri ad hanc rem quód sat est:

Contínuo operta dénuo: set clánculum,
Sicút praecepi: cúnctos exturba aédibus.
CA. Ita fáciam. ME. At ènim nimis lóngo sermone útimur:
Diém conficimus, quóm iam properatóst opus.
Nihil ést de signo quód uereare: mé uide.
Lepidást illa causa, ut cónmemoraui, dícere
Aput pórtitores ésse inspectas. dénique
Diéi tempus nón uides? quid illúm putas
Natúra illa atque ingénio? iam dudum ébriust.
* * * * * * *
Quiduís probare póterit: tum, quod máxumumst,
Adférre, non se pétere hinc dicet. CA. Iám sat est.
ME. Ego súcophantam iám conduco dé foro
Epístulasque iám consignabó duas
Eumque húc ad adulescéntem meditatúm probe
Mittam. CA. Éo ego [ergo] igitur íntro ad officiúm meum:
Tu istúc age. ME. Actum réddam nugacíssume.

ACTVS IIII.

CHARMIDES.

Sálipotenti et múltipotenti Ióuis fratri et Nerei [ét Portumno]
Laétus lubens laudés ago gratas grátisque habeo et flúctibus salsis,
Quós penes mei [fùit] potestas, bònis meis quid foret ét meae uitae,
Quóm suis me ex locís in patriam urbem [úsque incolumem] réducem faciunt.
Átque tibi ego, Neptúne, ante alios dèos gratis ago atque hábeo summas.
Nám te omnes saeuómque seuerumque, áuidis moribús conmemorant,
Spúrcuficum, inmanem, íntolerandum, uésanum: [ego] contra ópera expertus.
Nám pol placidum te ét clementem eo usqué modo ut uolui usús sum in alto.
Átque hanc tuam [aput hómines] gloriam aúribus iam accéperam ante:
Paúperibus te párcere solitum, dítis damnare átque domare.
Ábi, laudo: scis órdine ut aequomst tráctare homines: hóc dis dignumst:
Sémper mendicís modesti sínt. [secus] nobilís aput homines.

Fídus fuisti: infídum esse iterant. nam ápsque foret te, sát scio in alto
Dístraxissent dísque tulissent sátellites tui míserum foede
Bónaque item omnia úna mecum pássim caeruleós per campos: —
Íta iam quasi canés hau secus nauem círcumstabant túrbine uenti:
Ímbres fluctusque átque procellae infénsae [fremere], frángere malum,
Rúere antennas, scíndere uela: — ní pax propitiá foret praesto.
Ápage a me sis: dĕhinc iam certumst ótio dare me: sátis partum habeo,
Quíbus aerumnis déluctaui, fílio dum diuítias quaero.
Sét quis hic est qui in pláteam ingreditur cúm nouo ornatú specieque?
Pól quamquam domi cúpio opperiar: quam híc rem agat, semul ánimum aduortam.

Svcophanta. Charmides.

SV. Huíc ego die nomén Trinummo fácio: nam ego operám meam
Tríbus nummis hodié locaui ad ártis nugatórias.
Áduenio ex Seleúcia, Macédonia, Asia atque Árabia,
Quás ego neque oculís neque pedibus úmquam usurpauí meis.
Víden egestas quíd negoti dát homini miseró male?
Quía ego nunc subigór trium nummum caúsa ut has epístulas

Dícam ab eo homine me áccepisse, quem égo qui sit homo néscio
Néque noui neque nátus necne is fúerit id solidé scio.
CH. Pól hic quidem fungíno generest: cápite se totúm tegit.
Íllurica faciés uidetur hóminis: eo ornatu áduenit.
SV. Ílle qui me condúxit, ubi condúxit, abduxít domum:
Quaé uoluit mihi díxit, docuit ét praemonstrauít prius,
Quó modo quicque agerém. nunc adeo síquid ego addidero ámplius,
Ĕo conductor mélius de me núgas conciliáuerit.
Ílle uti me exornáuit, ita sum ornátus: argentum hóc facit.
Ípse ornamenta á chorago haec súmpsit suo períclo:
Núnc ego si potero órnamentis hóminem circumdúcere,
Dábo operam ut me ipsúm plane esse súcophantam séntiat.
CH. Quó magis specto, mínus placet mi ea hóminis facies: míra sunt
Ni íllic homost aut dórmitator aút sector zonárius.
Lóca contemplat, círcumspectat sése atque aedis nóscitat:
Crédo edepol quo móx furatum uéniat speculatúr loca.
Mágis lubidost ópseruare quíd agat: ei rei operám dabo.
SV. Hás regiones démonstrauit míhi ille conductór meus:
Áput illas aedís sistendae míhi sunt sucophántiae.
Fòris pultabo. CH. Ad nóstras aedis híc quidem habet rectám uiam:
Hércle opinor mi áduenienti hac nóctu agitandumst uígilias.

SV. Áperite hoc, aperíte. heus, ecqui his fóribus tutelám gerit?
CH. Quíd, adulescens, quaéris? quid uis? quíd istas pultas? SV. Heús, senex,
Lésbonicum hic ádulescentem quaéro, in his regiónibus
V́bi habitet, et item álterum ad istanc cápitis albitúdinem,
Cálliclem [quem] aibát uocari qui hás mihi dedit epístulas.
CH. Mĕum gnatum hic quidem Lésbonicum quaérit et amicúm meum
Quoí ego liberósque bonaque cónmendaui Cálliclem.
SV. Fác me si scis cértiorem, hisce hómines ubi habitéunt, pater.
CH. Quíd eos quaeris? aút quis es? aut únde's? aut unde áduenis?
SV. Cénsus quom [sum], iúratori récte rationém dedi.
CH. * * * * * * *
SV. Múlta semul rogás: nescio quid éxpediam potíssumum.
Si únumquidquid síngillatim et plácide percontábere,
Ét meum nomen ét mea facta et ítinera ego faxó scias.
CH. Fáciam ita ut uis: ágedum, nomen prímum memora tŭum mihi.
SV. Mágnum facinus íncipissis pétere. CH. Quid ita? SV. Quía, pater,
Si ánte lucem ire [hércle] occupias á meo primo nómine,
Cóncubium sit nóctis prius quam ad póstremum peruéneris.
CH. Ópus factost uiático ad tuum nómen, ut tu praédicas.
SV Ést minusculum álterum quasi uésculum uinárium.

CH. Quíd [id] est tibi nomén, adulescens? SV. Páx, id est nomén mihi:
Hóc cotidiánumst. CH. Edepol nómen nugatórium:
Quási dicas, siquíd crediderim tíbi, pax periisse ílico.
Híc homo solide súcophantast. quíd ais tu, adulescéns? SV. Quid est?
CH. Éloquere, isti tíbi quid homines débent quos tu quaéritas?
SV. Páter istius ádulescentis dédit has duas mi epístulas,
Lésbonici: is míst amicus. CH. Téneo hunc manufestárium:
Mé sibi epistulás dedisse dícit. ludam hominém probe.
SV. Íta ut occepi, si ánimum aduortas, dícam. CH. Dabo operám tibi.
SV. Hánc me iussit Lésbonico dáre suo gnato epístulam
Ét item hanc alterám suo amico Cállicli iussít dare.
CH. Míhi quoque edepol, quom híc nugatur, cóntra nugarí lubet.
Ýbi ipse erat? SV. Bene rém gerebat. CH. Érgo ubi? SV. In Seleúcia
CH. * * * * * * *
Áb ipsone istas áccepisti? SV. E mánibus dédit mi ipse ín manus.
CH. Quá faciest homó? SV. Sesquipede quídamst quam tu lóngior.
CH. Haéret haec res, sí quidem ego apsens súm quam praesens lóngior.
Nóuistine hominém? SV. Ridicule rógitas, quicum uná cibum
Cápere soleo. CH. Quíd est ei nomen? SV. Quód edepol hominí probo.

CH. Lúbet audire. SV. Illi édepol — illi — ílli — uae miseró mihi.
CH. Quíd est negoti? SV. Déuoraui nómen inprudéns modo.
CH. Nón placet qui amícos intra déntis conclusós habet.
SV. Átqui etiam modo uórsabatur míhi in labris primóribus.
CH. Témperi huic hodie ánteueni. SV. Téneor manufestó miser.
CH. Iám reconmentátu's nomen? SV. Dèum me hercle atque hominúm pudet.
CH. Víde modo hominem ut nóris. SV. Tamquam mé: [set] fieri istúc solet:
Quód in manu teneás atque oculis uídeas, id desíderes.
Líteris recónminiscar: C ést principium nómini.
CH. Cállias? SV. Non ést. CH. Callippus? SV. Nón est. CH. Callidémides?
SV. Nón est. CH. Callinícus? SV. Non est. CH. [Án] Callimachus? SV. Níl agis:
Néque adeo edepol flócci facio, quándo egomet meminí mihi.
CH. Át enim multi Lésbonici súnt hic: nisi nomén patris
Díces, non possum ístos monstrare hómines quos tu quaéritas.
Quód ad exemplumst? cóniectura sí reperire póssumus.
SV. Ád hoc exemplumst: Chár. CH. Chares? an Cháricles? numne Chármides?
SV. Hem,
Ístic erit: qui istúm di perdant. CH. Díxi ego iam dudúm tibi:

* * * * * * *

Béne te potius dícere aequomst hómini amico quám male.
SV. Sátin inter labra átque dentis látuit uir minumí preti?
CH. Né male loquere apsénti amico. SV. Quíd ille ergo ignauíssumus
Látitabat mihi? CH. Si áppellasses, réspondisset nómini.
Sét ubi ipsest? SV. Pol illúm reliqui ad Rhádamam in Cecropia ínsula.
CH. * * * * * * *
Quí homost me insipiéntior qui ipse égomet ubi sim quaéritem?
Sét nil discondúcit huic rei. quid ais? quid hoc quod té rogo?
Quós locos adísti? SV. Nimium mírimodis mirábilis.
CH. Lúbet audire, nísi molestumst. SV. Quín discupio dícere.
Omnium primum in Póntum aduecti ad Árabiam terrám sumus.
CH. Eho,
Án etiam in Ponto Árabiast? SV. Est: nón illa ubi tus gígnitur,
Sét ubi apsinthiúm fit ac cuníla gallinácea.
CH. Nímium graphicum hunc núgatorem. sét ego sum insipiéntior,
Qui égomet unde rédeam hunc rogitem, quae égo sciam atque hic nésciat:
Nísi quia lubet éxperiri quo éuasurust dénique.
Sét quid ais? quo inde ísti porro? SV. Si ánimum aduortes, éloquar:
Ád caput amnis quí de caelo exóritur sub solió Iouis.

CH. Súb solio Iouís? SV. Ita dico. CH. E caélo? SV. Atque e medió quidem.
CH. Eho,
Án etiam in caelum éscendisti? SV. Immo hóriola aduectí sumus
Ýsque aqua aduorsá per amnem. CH. An tu étiam uidistí Iouem?
SV. [Éum] alii di isse ád uillam aibant séruis depromptúm cibum.
Dèinde porro.. CH. Dĕinde porro nóllo quicquam praédices.
SV. [Táceo ego] hercle, sí molestumst. CH. Nám pudicum néminem
[Praédicare] opórtet qui aps terra ád caelum peruénerit.
SV. Dímittam, ut te uélle uideo. sét monstra hosce hominés mihi
Quós ego quaero, quíbus me oportet hás deferre epístulas.
CH Quíd ais? tu nunc sí forte eumpse Chármidem conspéxeris
Íllum quem tibi istás dedisse cónmemoras epístulas,
Nórisne hominem? SV. Né tu me edepol árbitrare béluam,
Quí quidem non nouísse possim quícum aetatem exégerim.
Án ille tam esset stúltus mihi qui mílle nummum créderet
Phílippum, quod me aurúm deferre iússit ad gnatúm suum
Átque ad amicum Cálliclem, quoi rem àibat mandasse híc suam?

Míhin concrederét, ni me ille et égo illum nouissem ádprobe?
CH. Ĕnimuero ego nunc súcophantae huic súcophantarí uolo,
Si húnc possum illo míle nummum Phílippum circumdúcere,
Quód sibi me dedísse dixit. quem égo qui sit homo néscio
Néque oculis ante húnc diem umquam uídi, eine aurum créderem?
Quoí, si capitis rés sit, nummum númquam credam plúmbeum.
Ádgrediundust híc homo mi astu. heus, Páx, te tribus uerbís uolo.
SV. Vél trecentis. CH. Hában tu id aurum, quód [tu] accepsti a Chármide?
SV. Átque etiam Philippúm, numeratum illíus in mensá manu,
Míle nummum. CH. Némpe ab ipso id áccepisti Chármide?
SV. Mírum quin ab auo èius aut proauo accíperem, qui sunt mórtui.
CH. Ádulescens, cedodum ístuc aurum míhi. SV. Quod ego dem aurúm tibi?
CH. Quód te a me accepísse fassu's. SV. Áps te accepisse? CH. Íta loquor.
SV. Quís tu homo's? CH. Qui míle nummum tíbi dedi ego sum Chármides.
SV. Néque edepol tu is és neque hodie is úmquam eris, auro huíc quidem.
Ábi sis, nugatór: nugari núgatori póstulas.
CH. Chármides ego súm. SV. Nequiquam herclé's: nam nihil aurí fero.

Nímis argute [me] óbrepsisti in èapse occasiúncula:
Póstquam ego me aurum férre dixi, póst tu factu's Chármides:
Príus non tu is eras quam aúri feci méntionem. níl agis:
Pròin tute itidem ut chármidatu's, rúsum [te] dechármida.
CH. Quís ego sum igitur, sí quidem is non sum quí sum? SV. Quid id ad me áttinet?
Dúm ille ne sis quem égo esse nollo, sís mea causa qui lubet.
Príus non is eras quí eras: nunc is fáctu's qui tum nón eras.
CH. Áge siquid agis. SV. Quíd ego agam? CH. Aurum rédde. SV. Dormitás, senex.
CH. Fássu's Charmidém dedisse aurúm tibi. SV. Scriptúm quidem.
CH. Próperas an non própere abire actútum ab his regiónibus,
Dórmitator, príus quam ego hic te iúbeo mulcarí male?
SV. Quam ób rem? CH. Quia illum quem émentitu's ís ego sum ipsus Chármides,
Quém tibi epistulás dedisse aiébas. SV. Eho, quaeso án tu is es?
CH. Ís enimuero sum. SV. Ǎin tu tandem? is ípsusne's? CH. Aio. SV. Ípsus es?
CH. Ípsus, inquam, Chármides sum. SV. Ergo ípsusne's? CH. Ipsíssumus.
Ábin hinc ab oculís? SV. Enimuero séro quoniam [huc] áduenis,
Vápulabis meo árbitratu ét nouorum aedílium.
CH. Át etiam maledícis? SV. Immo, sáluos quando quidem áduenis,
Dí me perdant sí te flocci fácio an periissés prius.

Égo ob hanc operam argéntum accepi: té macto infortúnio.
Céterum qui sís, qui non sis, flóccum non intérduim.
Íbo ad illum, renúntiabo, quí mihi tris nummós dedit,
Ýt sciat se pérdidisse. ego ábeo. male uiue ét uale:
Quí di te omnes áduenientem péregre perdant, Chármides.
CH. Postquam ílle hinc abiit, póst loquendi líbere
Vidétur tempus uénisse atque occásio.
Iam dúdum meum ille péctus pungit áculeus,
Quid illí negoti fúerit ante aedís meas.
Nam epístulae illae míhi concenturiánt metum
In córde et illut míllе nummum, quám rem agat.
Numquam édepol temere tínnit tintinnábulum:
Nisi qui íllut tractat aút mouet, mutúmst, tacet.
Set quís hic est qui huc in pláteam cursuram íncipit?
Lubet ópseruare quíd agat: huc concéssero.

Stasimvs. Charmides.

ST. Stásime, fac te própere celerem, récipe te ad dominúm domum,
Né subito metus éxoriatur scápulis stultitiá [tua].
Ádde gradum, adproperá: iam dudum fáctumst quom abistí domo.
Cáue sis tibi ne búbuli in te cóttabi crebrí crepent,
Si áberis ab eri quaéstione: né destiteris cúrrere.
Écce hominem te, Stásime, nihili: sátin in thermopólio
Cóndalium es oblítus, postquam thérmopotasti gútturem?

Récipe te et recúrre petere [ré] recenti. CH. Huic, quísquis est,
Gúrguliost exércitor, is hóminem hunc cursurám docet.
ST. Quíd, homo nihili, nón pudet te? tríbusne te potériis
Mémoriae esse oblítum? an uero, quía [tu] cum frugi hóminibus
Íbi bibisti, qui áb alieno fácile cohiberént manus,
Ínter eosne hominés condalium té redipisci póstulas?
Chíruchus fuit, Cérconicus, Crímnus, Cricolabus, Cóllabus,
Cóllicrepidae, crúricrepidae, férriteri, mastígiae:
Quórum [hercle] unus súrpuerit curreńti cursorí solum.
CH. Íta me di ament, gráphicum furem. ST. Quíd ego quod periít petam?
Nísi etiam labórem ad damnum ádponam epithecam ínsuper.
Quín tu quod periít perisse dúcis? cape uorsóriam:
Récipe te ad erum. CH. Nón fugitiuost híc homo: commeminít domi.
ST. Ýtinam ueteres [uéterum mores], uéteres parsimóniae
Pótius [in] maióre honore hic éssent quam morés mali.
CH. Di ínmortales, básilica hic quidem fácinora inceptát loqui:
Vétera quaerit, uétera amare hunc móre maiorúm scias.
ST. Nám nunc mores níhili faciunt quód licet nisi quód lubet.
Ámbitio iam móre sanctast, líberast a légibus:
Scúta iacere fúgereque hostis móre habent licéntiam:
Pétere honorem pró flagitio móre fit. CH. Morem ínprobum.

ST. Strénuos [nunc] praéterire móre fit. CH. Nequám quidem.
ST. Móres leges pérduxerunt iám in potestatém suam,
Mágis quis sunt obnóxiosae quám parentes líberis.
Ĕae misere etiam ad párietem sunt fíxae clauis férreis,
Ýbi malos morés adfigi nímio fuerat aéquius.
CH. Lúbet adire atque áppellare hunc: uérum ausculto pérlubens
Ét metuo, si cónpellabo, ne áliam rem occupiát loqui.
ST. Néque istis quicquam lége sanctumst: léges mori séruiunt,
Mórcs autem rápere properant quá sacrum qua púplicum.
CH. Hércle istis malám rem magnam móribus dignúmst dari.
ST. Nón hoc puplice ánimum aduorti: nam íd genus hominum hóminibus
Ýniuorsis ést aduorsum atque ómni populo mále facit.
Mále fidem seruándo illis quoque ábrogant etiám fidem,
Quí nil meriti: quíppe eorum ex ingénio ingenium horúm probant.
Síquoi mutuóm quid dederis, fít pro proprio pérditum:
Quóm repetas, inimícum amicum inuénias benefactó tuo.
[* * * * * * * * * *
Máge si exigere occúpias, duarum rérum exoritur óptio:
Vél illut quod credíderis perdas uél illum amicum amíseris.]
Hóc qui uenerít mi in mentem, ré conmonitus súm modo.
CH. Méus est hic quidem Stásimus seruos. ST. Nam égo talentum mútuom
Quoí dederam, talénto inimicum mi émi, amicum uéndidi.
Sét ego sum insipiéntior qui rébus curem púplicis

Pótius quam, id quod próxumumst, meo térgo tutelám geram:
Éo domum. CH. Heus tu, asta ílico: audi, heús tu. ST. Non sto. CH. Té uolo.
ST. Quíd, si egomet te uélle nollo? CH. Ah nímium, Stasime, saéuiter.
ST. Émere meliust quoi ímperes. CH. Pol ego émi atque argentúm dedi:
Sét si non dicto aúdiens est, quíd ago? ST. Da magnúm malum.
CH. Béne mones: ita fácere certumst. ST. Nísi quidem es obnóxius.
CH. Sí bonust, obnóxius sum: sín secust, faciam út mones.
ST. Quíd id ad me attinét bonisne séruis tu utare án malis?
CH. Quía boni malíque in ea re párs tibist. ST. Partem álteram
Tíbi permitto, illam álteram aput me quód bonist adpónito.
CH. Sí eris meritus, fíet. respice húc ad me: ego sum Chármides.
ST. Hém, quis est qui méntionem homo hóminis fecit óptumi?
CH. Ípsus homo optumúst. ST. Mare, terra, caélum, di, uostrám fidem,
Sátin ego oculis pláne uideo? éstne hic an non ést? is est.
Cérte is est, is ést profecto. o mí ere exoptatíssume,
Sálue. CH. Salue, Stásime. ST. Saluom té.. CH. Scio et credó tibi.
Sét omitte alia: hoc míhi responde: líberi quid agúnt mei
Quós reliqui hic fílium atque fíliam? ST. Viuónt, ualent.

CH. Némpe uterque? ST. Vtérque. CH. Di me sáluom et seruatúm uolunt.
Cétera intus ótiose pércontabor quaé uolo:
Ĕamus intro: séquere. ST. Quonam té agis? CH. Quonam nísi domum?
ST. Hícine nos habitáre censes? CH. Ýbinam ego alibi cénseam?
ST. Iám .. CH. Quid iam? ST. Non súnt nostrae aedes ístaec. CH. Quid ego ex te aúdio?
ST. Véndidit tuus gnátus aedis. CH. Périi. ST. Praesentáriis
Árgenti minís numeratis. CH. Quót? ST. Quadraginta. CH. Óccidi.
Quis eas emit? ST. Cállicles, quoi tŭam rem conmendáueras:
Ís habitatum huc cónmigrauit nósque exturbauít foras.
CH. Ýbĭ nunc filiús meus habitat? ST. Híc in hoc postículo.
CH. Mále disperii. ST. Crédidi aegre tíbi id, ubi audissés, fore.
CH. Égo miser summís periclis súm per maria máxuma
Véctus, capitalí periclo pér praedones plúrumos
Mé seruaui, sáluos redii: núnc hic disperií miser
Própter eosdem quórum causa fui hác aetate exércitus:
Ádimit animam mi aégritudo: Stásime, tene me. ST. Vísne aquam
Tíbi petam? CH. Res quom ánimam agebat, túm esse offusam opórtuit.

CALLICLES. CHARMIDES. STASIMVS.

CA. Quid hoc híc clamoris aúdio ante aedís meas?
CH. O Cállicles, o Cállicles, o Cállicles,
Qualíne amico méa conmendauí bona?
CA. Probo ét fideli et fído et cum magná fide:
Et sálue et saluom te áduenisse gaúdeo.
* * * * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * * * * * *
CH. Credo, ómnia istaec sí ita sunt ut praédicas.
Set quís istest tuus ornátus? CA. Ego dicám tibi:
Thensaúrum ecfodiebam íntus dotem fíliae
Tuae quaé daretur. sét intus narrabó tibi
Et hóc et alia: séquere. CH. Stasime. ST. Hem.
CH. Strénue
Curre ín Piraeum atque únum curriculúm face.
Vidébis iam illic náuem qua aduectí sumus.
Iubéto Sagariónem quae imperáuerim
Curáre ut ecferántur, et tu itó semul.
Solútumst portitóri iam portórium.
ST. Nihil ést morae. CH. Cito ámbula: actutúm redi.
ST. Illíc sum atque hic sum. CA. Séquere tu hac me intró. CH. Sequor.
ST. Hic méo ero amicus sólus firmus réstitit
Neque démutauit ánimum de firmá fide,
Quamquám labores múltos ob rem et [líberos
Apséntis mei eri] eum égo cepisse cénseo.
Set hic únus, ut ego súspicor, seruát fidem.

ACTVS V.

LVSITELES.

Hic homóst omnium hominum praécipuos,
Voluptátibus gaudiisque ántepotens.
Ita cómmoda quae cupio éueniunt,
Quod agó subit, adsecué sequitur:
Ita gaúdiis gaudium súppeditat.
Módo me Stasimus Lésbonici séruos conueuít [domi]:
Ís mihi dixit súum erum peregre huc áduenisse Chármidem.
Núnc mi is propere cónueniundust, út quae cum eius fílio
Égi ei rei patér sit fundus pótior. eo [ego]: sét fores
Haé sonitu suó moram mihi óbiciunt incómmode.

CHARMIDES. CALLICLES. LVSITELES.

CH. Néque fuit neque erít neque esse usquam hóminem terrarum árbitror,
Quòius fides fidélitasque amícum erga aequiperét tuam:
Nam éxaedificauísset me ex hisce aédibus, apsque té foret.

CA. Síquid amicum ergá bene feci aut cónsului fidéliter,
Nón uideor meruísse laudem, cúlpa caruisse árbitror.
Nám beneficiúm hómini proprium quód datur, prosúm perit:
Quód datum utendúmst, repetundi id cópiast, quandó uelis.
CH. Ést ita ut tu dícis. set ego hoc néqueo mirarí satis
Ĕum sororem déspondisse suam ín tam fortem fámiliam.
CA. Lúsiteli quidém Philtonis fílio. LV. Enim me nóminat.
CH. Fámiliam optumam óccupauit. LV. Quíd ego cesso hos cónloqui?
Sét maneam etiam, opínor: namque hoc cómmodum orditúr loqui.

* * * * * * * * *

* * * * * * * *

* * * * * * * * *

CH. Váh. CA. Quid est? CH. Oblítus intus dúdum tibi sum dícere:
Módo mi aduenienti [híc] nugator quídam occessit óbuiam,
Nímis pergraphicus súcophanta. is mílle nummum se aúreum
Mĕo datu tibi férre et gnato Lésbonico aibát meo:
Quem égo nec qui esset nóram neque eum ante úsquam conspexí prius.
Sét quid rides? CA. Meo ádlegatu uénit, quasi qui aurúm mihi
Férret aps te quód darem tuae gnátae dotem: ut fílius

Túus, quando illi a mé darem, esse adlátum id aps te crę́deret
Neú qui rem ipsam pósset intellégere, thensaurúm tuum
Mé penes esse, atque á me lege pópuli patrium pósceret.
CH. Scíte edepol. CA. Megarónides conmúnis hoc meus ét tuus
Béneuolens conméntust. CH. Quin conlaúdo consilium ét probo.
LV. Quíd ego ineptus, dúm sermonem uéreor interrúmpere,
Sólus sto nec quód conatus sum ágere ago? homines cónloquar.
CH. Quís hic est qui huc ad nós incedit? LV. Chármidem socerúm suum
Lúsiteles salútat. CH. Di dent tíbi, Lusiteles, quaé uelis.
CA. Nón ego sum salúte dignus? LV. Ímmo salue, Cállicles.
Húnc priorem aequómst me habere: túnica propior pálliost.
CA. Dĕos [deasque] uólo consilia uóstra recte uórtere.
CH. Fíliam meam tíbi desponsam esse aúdio. LV. Nisi tú neuis.
CH. Ímmo hau nollo. LV. Spónden tu ergo tŭam gnatam uxorém mihi?
CH. Spóndeo et mille aúri Philippum dótis. LV. Dotem níl moror.
CH. Si ílla tibi placét, placenda dós quoquest quam dát tibi.
Póstremo quod uís non duces, nísi illut quod non uís feres.

CA. Iús hic orat. LV. Ímpetrabit te áduocato atque árbitro.
Ístac lege fíliam tuam spónden mi uxorém dari?
CH. Spóndeo. CA. Et ego spóndeo itidem. LV. O sáluete adfinés mei.
CH. Átque edepol sunt rés quas propter tíbi tamen suscénsui.
LV. Quíd ego feci? CH. Mèum corrumpi quía perpessu's fílium.
LV. Si íd mea uoluntáte factumst, ést quod mihi suscénseas.
*   *   *   *   *   *   *   *   *
Sét sine me hoc aps te ímpetrare quód uolo. CH. Quid id ést? LV. Scies:
Síquid stulte fécit, ut ea míssa facias ómnia.
Quíd cassas capút? CH. Cruciatur cór mi et metuo. LV. Quídnam id est?
CH. Quóm ille itast ut [eum] ésse nollo, id crúcior: metuo, sí tibi
Dénegem quod me óras, ne me léuiorem erga té putes.
Nón grauabor: fáciam ita ut uis. LV. Próbus es: eo ut illum éuocem.
CH. Míserumst male promérita ut merita sínt si ulcisci nón licet.
LV. Áperite hoc, aperíte propere et Lésbonicum, sí domist,
Éuocate: ita súbitumst propere quód eum conuentúm uolo.

———————

LESBONICVS. LVSITELES. CHARMIDES. CALLICLES.

LE. Quís homo tam tumúltuoso sónitu me exciuít foras?
LV. Béneuolens tuus átque amicust. LE. Sátine saluae? díc mihi.
LV. Récte: tuum patrém redisse sáluom peregre gaúdeo.
LE. Quís id ait? LV. Ego. LE. Tún uidisti? LV. Et túte item uideás licet.
LE. Ó pater, patér mi, salue. CH. Sálue multum, gnáte mi.
LE. Síquid tibi, patér, laboris . . CH. Níhil euenit, né time:
Béne re gesta sáluos redeo. sí tu modo frugi ésse uis,
Haéc tibi pactast Cállicletis fília. LE. Ego ducám, pater,
Ét eam et siquam aliám iubebis. CH. Quámquam tibi suscénsui,
Míseria [una] uní quidem hominist ádfatim. CA. Immo huíc parumst:
Nám si pro peccátis centum dúcat uxorés, parumst.
LE. Át iam posthac témperabo. CH. Dícis, si faciés modo.
LV. Númquid causaest quín uxorem crás domum ducam? CH. Óptumumst.
Tú in perendinúm paratus sís ut ducas. CANTOR. Plaúdite.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 ad 222 iambici senarii
- 223 ad 231 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 232 bacchiacus dimeter acatalectus
- 233 et 234 iambici septenarii
- 235 creticus tetrameter catalecticus
- 236 iambicus septenarius
- 237 et 238 trochaici septenarii
- 239 et 240 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 241 bacchiacus dimeter acatalectus
- 242 trochaicus septenarius
- 243 creticus tetrameter acatalectus
- 244 ad 246 cretici tetrametri catalectici
- 247 ad 249 trochaici dimetri catalectici
- 250 et 251 cretici tetrametri catalectici
- 252 trochaicus octonarius
- 253 trochaicus septenarius
- 255 iambicus octonarius
- 256 et 257 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 258 bacchiacus trimeter acatalectus
- 259 iambicus octonarius
- 260 iambicus dimeter acatalectus
- 261 et 262 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 264 et 265 trochaici octonarii
- 266 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 267 ad 275 cretici tetrametri catalectici
- 276 creticus tetrameter acatalectus
- 277 et 278 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 279 ad 281 cretici tetrametri acatalecti
- 282 iambicus octonarius

V. 283 et 284 cretici tetrametri acatalecti
- 285 et 286 iambici octonarii
- 287 trochaicus octonarius
- 288 ad 291 trochaici septenarii
- 292 trochaicus octonarius
- 293 ad 300 cretici tetrametri catalectici
- 301 ad 391 trochaici septenarii
- 392 ad 601 iambici senarii
- 602 ad 728 trochaici septenarii
- 729 ad 819 iambici senarii
- 820 ad 841 trochaici octonarii
- 842 ad 997 trochaici septenarii
- 998 ad 1007 iambici senarii
- 1008 ad 1092 trochaici septenarii
- 1093 ad 1114 iambici senarii
- 1115 ad 1119 anapaestici dimetri acatalecti
- 1120 ad 1189 trochaici septenarii.

T. MACCI PLAVTI


COMOEDIAE.

EX RECOGNITIONE

ALFREDI FLECKEISENI.

TOMVS II.

ASINARIAM BACCHIDES CVRCVLIONEM PSEVDVLVM STICHVM COMPLECTENS.



LIPSIAE

SVMPTIBVS ET TYPIS B. G. TEVBNERI.

MDCCCLIX.

T. MACCI PLAVTI

ASINARIA.

GRAECA ONAGVS DEMOPHILV.

ARGVMENTVM.

Amánti argento fílio auxiliárier
Sub inpério uiuens uólt senex uxório:
Itaque ób asinos relátum pretium Saúreae
Numerári iussit séruolo Leónidae.
Ad amícam id fertur: cédit noctem fílius.
Riuínus amens ób praereptam múlierem
Is rem ómnem uxori pér parasitum núntiat.
Adcúrrit uxor ác uirum e lustrís rapit.

PERSONAE.

LIBANVS SERVOS
DEMAENETVS SENEX
ARGVRIPPVS ADVLESCENS
CLEAERETA LENA
LEONIDA SERVOS
MERCATOR (CHLAMVDATVS)
PHILENIVM MERETRIX
DIABVLVS ADVLESCENS
PARASITVS
ARTEMONA VXOR
CATERVA.

PROLOGVS.

Hoc ágite sultis, spéctatores, núnc ïam:
Quae quĭdem mihi atque uóbis res uortát bene
Gregíque huic et domino átque conductóribus.
Face núnc ïam tu praéco omnem auritúm poplum.
Age núnc reside: cáue modo ne grátiis.
Nunc quíd processerim húc et quid mihi uóluerim
Dicam: út sciretis nómen huius fábulae.
Nam quód ad argumentum áttinet, sané breuest.
Nunc quód me dixi uélle uobis dícere
Dicam: huíc est nomen Graéce Onago fábulae:
Demóphilus scripsit, Máccius uortit bárbare:
Asináriam uolt ésse, si per uós licet.
Inést lepos ludúsque in hac comoédia:
Ridícula res est: dáte benigne operám mihi.
Vt uósmet alias, páriter nunc Mars ádiuuet.

ACTVS I.

LIBANVS. DEMAENETVS.

LI. Sicút tuum uis únicum gnatúm tuae
Superésse uitae sóspitem et supérstitem,
Ita téd optestor pér senectutém tuam
Perque íllam quam tu métuis uxorém tuam:
Siquíd med erga [tu] hódie falsum díxeris,
Vt tíbi superstes úxor aetatém siet
Atque ílla uiua uíuos ut pestem óppetas.
DE. [Per Dium Fidium quaeris: iurato mihi
Video necesse esse eloqui quidquid roges.]
Ita me ópstinate adgréssu's, ut non aúdeam
Profécto percontánti quin promam ómnia.
Proinde áctutum istuc quíd sit quod scire éxpetis
Elóquere: ut ipse scíbo, te faciam út scias.
LI. Dice ópsecro hercle sério quod té rogem:
Caue míhi mendaci quícquam. DE. Quin tu ergó rogas?
LI. Num me íllue ducis, úbi lapis lapidém terit?
DE. Quid istúc est aut ubi térrarum istuc ést loci?
LI. Aput fústitudinas férricrepinas ínsulas,
Vbi uíuos homines mórtui incursánt boues.
DE. Quid istúc aut ubi sit ístuc nequeo nóscere.
LI. Vbi flént nequam homines quí polentam pínsitant.

DE. Modo pól percepi, Líbane, quid istuc sít loci:
Vbi fít polenta, té fortasse dícere. LI. Ah,
Neque hércle ego istuc díco nec dictúm uolo
Teque ópsecro hercle ut quaé locutu's déspuas.
DE. Fiát: geratur mós tibi. LI. Age age, usque éxcrea.
DE. Etiámne? LI. Age quaeso hercle úsque ex penitis faúcibus:
Etiam ámplius. DE. Nam quo úsque? LI. Vsque ad mortém uolo.
DE. Caue sís malam rem. LI. Vxóris dico, nón tuam.
DE. Donó te ob istuc díctum ut expers sís metu.
LI. Di tíbi dent quaequomque óptes. DE. Redde operám mihi.
Quor hóc ego ex te quaéram aut quor minitér tibi,
Proptérea quod me nón scientem féceris?
Aut quór postremo fílio suscénseam,
Patrés ut faciunt céteri? LI. Quid istúc nouist?
Demíror quid sit ét quo euadat sum ín metu.
DE. Equidém scio iam fílius quod amét meus
Istánc meretricem e próxumo Philénium.
Estne hóc ut dico, Líbane? LI. Rectam instás uiam:
Ea rés est: set eum mórbus inuasít grauis.
DE. Quid mórbist? LI. Quia non súppetunt dictís data.
DE. Tune és adiutor núnc amanti fílio?
LI. Sum uéro, et alter nóster est Leónida.
DE. Bene hércle facitis: á me initis grátiam.

Verúm meam uxorem, Líbane, scis qualís siet.
LI. Tu prímus sentis: nós tamen ín pretió sumus.
DE. Fateór eam esse inpórtunam atque incómmodam.
LI. Postérius istuc dícis quam credó tibi.
DE. Omnés parentes, Líbane, liberís suis,
Qui mi aúscultabunt, fácient opsequéntiam:
[Quippe qui mage amico utantur gnato et beneuolo:]
Atque égo me id facere stúdeo: uolo amari á meis,
Volo mé patris mei símilem, qui caussá mea
Nauclérico ipse ornátu per falláciam
Quam amábam abduxit áb lenone múlierem.
Neque púduit eum id aetátis sucophántias
Struere ét beneficiis me émere gnatum sŭum sibi.
Eos mé decretumst pérsequi morés patris.
Nam me hódie orauit Árgurippus fílius,
Vtí sibi amanti fácerem argenti cópiam:
Et íd ego percupio ópsequi gnató meo.
[Volo amori obsecutum illius, uolo amet me patrem.]
Quamquam íllum mater árte contentéque habet,
Patrés ut consueuérunt: ego mitto ómnia haec.
Praesértim quom is me dígnum quoi concréderet
Habuít, me habere honórem eius ingenió decet:
Quom me ádiit, ut pudéntem gnatum aequómst patrem,
Cupio ésse amicae quód det argentúm suae.
LI. Cupis íd quod cupere té nequiquam intéllego:
Dotálem seruom Saúream [ne] uxór tua
Addúxit, quoi plus ín manu sit quám tibi.
DE. Argéntum accepi, dóte inperium uéndidi.

Nunc uérba in pauca cónferam quid té uelim.
Vigínti iam usust fílio argentí minis:
Face id út paratum iám sit. LI. Vnde géntium?
DE. Me défraudato. LI. Máxumas nugás agis: 91
Nudó detrahere uéstimenta mé iubes.
[Defrudem te ego? age sis, tu sine pennis uola.]
Tene égo defraudem, quoí ipsi nihil est ín manu,
Nisi quíd tu porro uxórem defraudáueris?
DE. Qua mé, qua uxorem, quá tu seruom Saúream
Potís, circumduce, aúfer: promittó tibi
Non óffuturum [mé], si id hodie ecféceris.
LI. Iubeás una opera mé piscari in áere
[Et] uénari autem réticulo in medió mari.
DE. Tibi óptionem súmito Leónidam:
Fabricáre quiduis, quíduis conminíscere:
Perfícito [id] argentum hódie ut habeat fílius,
Amícae quod det. LI. Quíd ais tu, Demaénete?
[Quid si forte in insidias deuenero?]
Tun rédimes me, si me hóstes intercéperint?
DE. Redimám. LI. Tum tu igitur áliut cura quód lubet.
DE. Ego eo ád forum, nisi quíd uis. LI. I, bene ámbula.
DE. Atque aúdin etiam? LI. Écce. DE. Siquid té uolam,
Vbi erís? LI. Vbiquomque lúbitum erit animó meo.
Profécto nemost quém iam dehinc metuám mihi,
Nequíd nocere póssit, quom tu míhi tua
Orátione omnem ánimum ostendistí tuum.
Quin té quoque ipsum fácio hau magni, si hóc patro.

Pergám quo occepi atque íbi consilia exórdiar.
DE. Audín tu? aput Archibúlum ego ero argentárium.
LI. Nempe ín foro? DE. Ibi, siquíd opus fuerit.
LI. Méminero.
DE. Non ésse seruos péior hoc quisquám potest
Nec mágis uorsutus néc quo ab caueas aégrius.
Eidem hómini, siquid récte curatúm uelis,
Mandés: moriri sése misere máuolet,
Quam nón perfectum réddat quod promísserit.
Nam illút ego argentum tám paratum fílio
Scio ésse quam me hunc scípionem cóntui.
Set quíd ego cesso ire ád forum quo incéperam?
[Nunc íbo] atque ibi manébo aput argentárium.

ARGVRIPPVS.

Sícine hoc fít? foras aédibus me èicier?
Prómerenti óptume hocín preti rédditur?
Béne merentí mala's, mále merentí bona's.
Át malo cúm tuo: nam [áctutum] ex hóc loco
Íbo ego ad trísuiros uóstraque ibi nómina
Fáxo erunt: cápitis te pérdam ego et fíliam,
Pellécebrae, perrnícies, aduléscentum exítium.
Nám mare haut ést mare: uós mare acérrumum:
Nam ín mari répperi, híc elauí bonis.
Íngrata atque ínrita esse ómnia intéllego
Quaé dedi et quód bene féci: at posthác tibi
Mále quod potero fácere faciam méritoque id faciám tuo.
Égo pol te redigam ĕodem unde orta's, ád egestatis términos:

Égo edepol te fáciam ut quae sis núnc et quae fuerís scias.
Quaé prius quam ego ádii istam atque amáns meum animum istí dedi,
Sórdido uitam óblectabas páne in pannis ínopia:
Átque ea si erant, mágnam habebas ómnibus dis grátiam.
Éadem nunc, quomst mélius, me quoius óperast ignorás, mala.
Réddam ego te ex ferá fame mansuétem: me spectá modo.
Nám isti quod suscénseam ipsi níhil est, nil quicquám meret:
Tŭo facit iussú, tuo inperio páret: mater tu éadem era's.
Té ego ulciscar, té ego ut digna's pérdam atque ut de mé meres.
Át scelesta uíden ut ne id quidem mé dignum esse exístumat
Quém adeat, quem cónloquatur quoíque irato súpplicet?
Átque eccam inlecebra éxit tandem: opínor hic ante óstium
Mĕo loquar modo quaé uolam, quoniam íntus non licitúmst mihi.

CLEAERETA. ARGVRIPPVS.

CL. V́num quodque istórum uerbum númmis Philippis aúreis
Nón potest auférre hinc a me, síquis emptor uénerit:
Néc recte quae tú in nos dicis, aúrum atque argentúm merumst.
Fíxus hic aput nós est animus túus clauo Cupídinis:

Rémigio uelóque quantum pótis es festina ét fuge:
Quám magis te in altúm capèssis, tam aéstus te in portúm refert.
AR. Égo pol istum pórtitorem príuabo portório:
Égo te dehinc, ut mérita's de me et mĕa re, tractare éxequar,
Quóniam tu me ut méritus sum non tráctas, quae [me] eicís domo.
CL. Mágis istuc percípimus lingua díci quam factís fore.
AR. Sólus solitúdine ego ted átque ab egestate ápstuli:
Sólus si ductém, referre grátiam numquám potes.
CL. Sólus ductató, si semper sólus quae poscám dabis:
Sémper tibi promíssum habeto hac lége, dum superés datis.
AR. Quíd modist dandó? nam numquam tú quidem explerí potes.
Módo quom accepisti, haú multo post áliquid quod poscás paras.
CL. Quíd modist ductándo, amando? númquamne explerí potes?
Módo remissistí, continuo iám ut remittam ad té rogas.
AR. Dédi equidem quod mécum egisti. CL. Et tíbi ego missi múlierem.
Pár pari datum hóstimentumst, ópera pro pecúnia.
AR. Mále agis mecum. CL. Quíd me accussas, sí facio officiúm meum?
Nám neque fictum usquámst neque pictum néque scriptum in poématis,
Vbi lena bene agát cum quiquam amánte, quae frugi ésse uolt.
AR. Míhi quidem te párcere aequomst tándem, ut tibi durém diu.

CL. Nón tu scis? quae amánti parcet, éadem sibi parcét parum.
Quási piscis itidémst amator lénae: nequamst nísi recens.
Ís habet sucum, is suáuitatem: eum quóuis pacto cóndias
Vél patinariúm uel assum uórses quo pactó lubet.
Ís dare uolt, is se áliquid posci: nam íbi de pleno prómitur,
Néque ille scit quid dét, quid damni fáciat: illi rĕi studet:
Vólt placere sése amicae, míhimet uolt, uolt pédisequae,
Vólt famulis, ancíllis uolt, et quóque etiam catuló meo
Súbblanditur nóuos amator, se út quom uideat gaúdeat.
Véra dico: ad sŭum quemque hominem quaéstum esse aequomst cállidum.
AR. Pérdidici istaec ésse uera dámno cum magnó meo.
CL. Si écastor nunc hábeas quod des, ália uerba praéhibeas:
Núnc quia nihil habés, male dictis te ĕam ductare póstulas?
AR. Nón meumst. CL. Nec mĕum quidem edepol ád te ut mittam grátiis.
Vérum aetatis átque honoris grátia hoc fiét tui:
Quía nobis lucró fuisti pótius quam decorí tibi,
Sí mihi dantur dúo talenta argénti numerata ín manum,
Hánc tibi noctem honóris caussa grátiis donó dabo.
AR. Quíd, si non est? CL. Tíbi non esse crédam: illa alio ibít tamen.
AR. Vbi illaec quae dedi ánte? CL. Abussa: nám si ea durarént mihi,
Múlier mitterétur ad te néc te quicquam póscerem.
Díem aquam solem lúnam noctem, haéc argento nón emo:
Cétera quae [nos] uólumus uti Graéca mercamúr fide.
Quom á pistore pánem petimus, uinum ex oenopólio,

Si aés habent, dant mércem: eadem nós discipulina útimur:
Sémper oculatae manus sunt nóstrae, credunt quód uident.
Vétus est 'nihili cóctiost', scis cúius: non dico ámplius.
AR. Áliam nunc mi órationem déspoliato praédicas,
[Longe aliam, inquam, praebes nunc atque olim quom dabam]
Áliam atque olim quom ínliciebas mé ad te blande ac bénedice.
Túm mi aedes quoque árridebant, quóm ad te ueniebám, tuae.
Me únice unum ex ómnibus te atque íllam amare aibás mihi.
Ýbi quid dederam, quási columbae púlli in ore ambaé meo
Ýsque eratis: mĕo de studio stúdia erant uostra ómnia.
Ýsque adhaerebátis: quod ego iússeram, quod uóluerам,
Fáciebatis: quód nolebam ac uótueram, de indústria
Fúgiebatis néque conari id fácere audebatís prius.
Núnc neque quid uelím neque nolim fácitis magni, péssumae.
CL. Nón tu scis? hic nóster quaestus aúcupi simíllumust.
Aúceps quando cóncinnauit áream, offundít cibum:
* * * * * * * * aues
Ádsuescunt: necéssest facere súmptum qui quaerít lucrum.
Saépe edunt: semél si captae súnt, rem soluont aúcupi.
Ítidem hic aput nos: aédis nobis áreast, aucéps sum ego,
Éscast meretrix, léctus inlex ést, amatorés aues.
Béne salutandó consuescunt, cónpellando blánditer,
Aúsculando, orátione uínnula, uenústula.

Sí papillam pértractauit, haút [id] est ab re aúcupis.
Sáuium si súmpsit, sumere èum licet sine rétibus.
Haécine te esse oblítum, in ludo quí fuisti tám diu?
AR. Túa ista culpast, quaé discipulum sémidoctum aps te ámoues.
CL. Rémeato audactér, mercedem sí eris nanctus: núnc abi.
AR. Máne, mane, audi: díc, quid me aequom cénses pro illa tíbi dare,
Ánnum hunc ne sit cúm quiquam alio? CL. Túne? uigintí minas:
Átque ea lege: si álius ad me príus attulerit, tú uale.
AR. Át ego est etiam príus quam abis, quod uólo loqui. CL. Dic quód lubet.
AR. Nón omnino iám perii: est relícuom quo pereám magis.
Hábeo unde istuc tíbi quod poscis dém: set in legés meas
Dábo, uti scire póssis, perpetuom ánnum hunc mihi uti séruiat
Néc quemquam interea álium admittat próssus quam me ad sé uirum.
CL. Quín, si tu uolés, domi serui quí sunt castrabó uiros.
Póstremo, ut uolés nos esse, súngraphum facito ádferas.
Vt uoles, ut tíbi lubebit, nóbis legem inpónito:
Módo tecum una argéntum adferto, fácile patiar cétera.
Pórtitorum símillumae sunt iánuae lenóniae:
Si ádfers, tum patént: si non est quód des, aedes nón patent.
AR. Ínterii, si nón inuenio ego íllas uigintí minas:

Ét profecto, nísi illut perdo argéntum, pereundúmst mihi.
Núnc pergam ad forum átque experiar ópibus, omni cópia:
Súpplicabo, exópsecrabo, ut quémque amicum uídero.
Dígnos, indignós adire atque éxperiri [stát] mihi:
Nám si mutuás non potero, cértumst sumam faénore.

ACTVS II.

LIBANVS.

Hércle uero, Líbane, nunc te méliust expergíscier.
[Atque argento comparando fingere fallaciam.]
Iám diust factúm, quom discesti áb ero atque abiisti ád forum,
Ígitur inueniúndo argento ut fíngeres falláciam.
Íbi tu ad hoc diéi tempus dórmitasti in ótio.
Quín tu aps te socórdiam omnem rèicis, segnitiem ámoues
Átque ad ingeniúm uetus uorsútum te recipís tuum?
Sérua erum: caue tú idem faxis álii quod serui solent,
Quí ad eri fraudátionem cállidum ingeniúm gerunt.
Vnde sumam? quém interuortam? quó hanc celocem cónferam?
Ínpetritum, inaúguratumst: quóuis admittúnt aues.
Pícus et corníx ab laeua, córuos, parra ab déxtera
Cónsuadent: certum hérclest uostram cónsequi senténtiam.
Sét quid hoc, quod pícus ulmum túndit? hau temeráriumst.
Cérte hercle ego quantum éx augurio aúspicioque intéllego,
Aút mihi in mundó sunt uirgae aut átriensi Saúreae.
Sét quid illuc, quod éxanimatus cúrrit huc Leónida?
Métuo quod illic ópscaeuauit mèae falsae falláciae.

LEONIDA. LIBANVS.

LE. Vbi ego Libanum núnc requiram aut fámiliarem fílium,
Vt ego illos lubéntiores fáciam quam Lubéntiast?
Máxumam praedam ét triumphum eis ádfero aduentú meo.
Quándo mecum páriter potant, páriter scortarí solent,
Hánc quidem quam nánctus praedam páriter cum illis pártiam.
LI. Íllic homo aedis cónpilauit, móre si fecít suo:
Vaé illi qui tam indíligenter ópseruauit iánuam.
LE. Aétatem uelím seruire, Líbanum ut conueniám modo.
LI. Mèa quidem hercle operá [tu] liber númquam fies ócius.
LE. Étiam de tergó ducentas plágas praegnatís dabo.
LI. Lárgitur pecúlium: omnem in térgo thensaurúm gerit.
LE. Nám si occassióni huic tempus sése supterdúxerit,
Númquam edepol quadrígis albis índipiscet póstea.
Érum [ille] in opsidióne linquet, ínimicum animos aúxerit.
Sét si mecum occássionem opprímere hanc quae obuenít studet,
Máxumas opímitatis gaúdio ecfertíssumas
Sùis eris ille úna mecum páriet, gnatoque ét patri,
Ádeo ut aetatem ámbo ambobus nóbis sint obnóxii,
Nóstro deuinctí beneficio. LI. Víntos nescio quós ait.
Nón placet: metuo ín conmune néquam fraudem fraússus sit.
LE. Périi ego oppidó, nisi Libanum inuénio iam, ubi ubist géntium.

LI. Íllic homo socium ád malam rem quaérit quem adiungát sibi.
Nón placet: pro mónstro extemplost, quándo qui sudát tremit.
LE. Sét quid ego hic properáns concesso pédibus lingua lárgior?
Quín ego hanc iubeó tacere, quaé loquens lacerát diem?
LI. [Heú] edepol hominem ínfelicem, quí patronam cónprimat:
Nám siquid sceléste fecit, língua pro illo péierat.
LE. Ádproperabo, né post tempus praédae praesidiúm parem.
LI. Quaé illaec praedast? íbo aduorsum atque électabo quídquid est.
Iúbeo te saluére uoce súmma, quoad uirés ualent.
LE. Gúmnasium flagrí, salueto. LI. Quíd agis, custos cárceris?
LE. Ó catenarúm colone. LI. O uírgarum lascíuia.
LE. Quót pondo ted ésse censes núdum? LI. Non edepól scio.
LE. Scíbam ego te nescíre: at pol ego quí ted expendí scio.
Núdus uinctus céntum pondo's, quándo pendes pér pedes.
LI. Quo árgumento istúc? LE. Ego dicam, quo árgumento et quó modo.
Ád pedes quando ádligatumst aéquom centumpóndium,
Ýbi manus manicaé conplexae súnt atque adductae ád trabem,
Néc dependes néc propendes, quín malus nequámque sis.
LI. Vaé tibi. LE. Ìstoc téstamento Séruitus legát tibi.
LI. Vérbiuelitátionem fíeri conpendí uolo:

Quíd istuc [tibi] negótist? LE. Certumst crédere? LI. Audactér licet.
LE. Sís amanti súbuenire fámiliari filio,
Tántum adest boni ínprouiso, uérum conmixtúm malo:
Ómnes de nobís carnuficum cóncelebrabuntúr dies.
Líbane, nunc audácia ussust nóbis inuenta ét dolis.
Tántum facinus módo ego inueni, út nos dicamúr duo
Ómnium digníssumi esse quó cruciatus cónfluant.
LI. Érgo mirabár quod dudum scápulae gestibánt mihi,
Háriolari quae ócceperunt ésse sibi in mundó malum.
Quídquid est elóquere. LE. Magnast praéda cum magnó malo.
LI. Sí quidem omnes cóniuratim crúciamenta cónferant:
Hábeo opinor fámiliarem térgum, ne quaerám foris.
LE. Sí istanc animi fírmitudinem óptines, saluí sumus.
LI. Quín si tergo rés soluondast, rápere cupio púplicum:
Pérnegabo atque óbdurabo, périurabo dénique.
LE. Hém, ista uirtus ést, quando ussust, quí malum fert fórtiter.
Fórtiter malúm qui patitur, ídem post potitúr bonum.
LI. Quín rem actutum edísseris? cupió malum nancíscier.
LE. Plácide ergo unum quídquid rogita, ut ádquiescam: nón uides
Mé ex cursura anhélitum etiam dúcere? LI. Age age, mánsero
Tuo árbitratu, uél adeo usque dúm peris. LE. Vbinámst erus?
LI. Máior aput forúmst, minor hic est íntus. LE. Iam satis ést mihi.
LI. Túm igitur tu díues factu's? LE. Mítte ridiculária.

LI. Mítto: [set] istuc [núnc] quod adfers aúres expectánt meae.
LE. Ánimum aduorte, ut aéque mecum haéc scias. LI. Taceó. LE. Beas.
Méministine asinós Arcadicos mércatori uéndere
Péllaeo nostrum átriensem? LI. Mémini: quid tum póstea?
LE. Hem:
Érgo is argentum húc remissit, quód daretur Saúreae
Pró asinis: aduléscens uenit módo, qui id argentum áttulit.
LI. Ýbi is homost? LE. Iam déuorandum cénses, si conspéxeris?
LI. Íta enimuero: sét tamen tu némpe eos asinos praédicas
Vétulos, claudos, quíbus suptritae ad fĕmina iam erant úngulae?
LE. Ípsos, qui tibi súbuectabant rúre huc uirgas úlmeas.
LI. Téneo: atque idem té hinc uexerunt uínctum rus. LE. Memor és probe.
Vérum in tonstrina út sedebam, me ínfit percontárier,
Écquem filiúm Stratonis nóuerim Demaénetum.
Díco me nouísse extemplo et me éius seruom praédico
Ésse et aedis démonstrauī nóstras. LI. Quid tum póstea?
LE. Ăit se ob asinos férre argentum átriensi Saúreae,
Víginti minás: set se eum non nóuisse hominem quí siet:
Ípsum uero sé nouisse cállide Demaénetum.
Quóniam ille elocútust haec sic . . LI. Quíd tum? LE. Ausculta ergó: scies.
Éxtemplo fació facetum me átque magnuficúm uirum,
Díco med esse átriensem. síc hoc respondít mihi
'Égo pol Saureám non noui néque qua facie sít scio

Té non aequomst súscensere: sí erum uis Demaénetum,
Quém ego noui, addúce: argentum nón morabor quín feras.'
Égo me dixi erum ádducturum et mé domi praestó fore.
Ílle in balineás iturust: índe huc ueniet póstea.
Quíd nunc consilí captandum cénses? dice. LI. Hem istúc ago,
Quó modo argento ínteruortam et áduentorem et Saúream.
Iam hóc opus est exásciato: nám si ille argentúm prius
Hóspes huc adfért, continuo nós ambo exclussí sumus.
Nám me hodie senéx seduxit sólum sorsum ab aédibus:
Míhi tibique intérminatust nós futuros úlmeos,
Ní hodie Arguríppo argenti éssent uigintí minae.
Iússit uel nos átriensem uél nos uxorém suam
Défraudare: díxit sese óperam promiscám dare.
Núnc tu abi ad forum ád erum et narra haec út nos acturí sumus:
Té ex Leonidá futurum esse átriensem Saúream,
Dum árgentum adferát mercator pró asinis. LE. Faciam út iubes.
LI. Égo illum interea hic óblectabo, príus si forte aduénerit.
LE. Quíd ais? LI. Quid uis? LE. Púgno malam sí tibi percússero
Móx quom imitabor Saúream, cauéto ne suscénseas.
LI. Hércle uero tú cauebis né me attingas, sí sapis,
Né hodie maló cum auspicio nómen conmutáueris.
LE. Quaéso aequo animo pátitor. LI. Patitor tú item, quom ego te réferiam.
LE. Díco ut ussust fíeri. LI. Dico hercle égo quoque ut factúrus sum.

LE. Né nega. LI. Quin prómitto, inquam, hostíre contra ut mérueris.
LE. Égo abeo: tu iám, scio, patiére. set quis hic ést? is est,
Íllest ipsus. iam égo recurro huc: túte hunc interea híc tene:
Vólo seni narráre. LI. Quin tuum offícium facis ergo ác fugis?

MERCATOR. LIBANVS.

ME. Vt démonstratae súnt mihi, hasce aédis esse opórtet,
Demaénetus ubi dícitur habitáre. i, puere, púlta
Atque átriensem Saúream, sist íntus, euocáto huc.
LI. Quis nóstras sic frangít foris? ohe, ínquam, siquid aúdis.
ME. Nemo étiam tetigit: sánun es? LI. At cénsebam attigísse
Proptérea huc quia habebás iter: nolo égo foris conséruas
Meas á te uerberarier: sane égo sum amicus nóstris.
ME. Pol haú periclumst cárdines ne fóribus ecfringántur,
Si istóc exemplo [tu] ómnibus qui quaérunt respondébis.
LI. Ita haéc moratast iánua: extémplo ianitórem
Clamát, procul siquém uidet ire ád se calcitrónem.
Set quíd uenis? quid quaéritas? ME. Demaénetum uolébam.
LI. Si sít domi, dicám tibi. ME. Quid? éius atriénsis?

LI. Nihiló mage intus ést. ME. Vbist? LI. Ad tónsorem ire díxit.
ME. Quid? póst non rediit? LI. Nón pol [huc] ueníṫ. set quid uolébas?
ME. Argénti uigintí minas, si adésset, accepísset.
LI. Qui pró istuc? ME. Asinos uéndidit Pellaéo mercatóri
Mercátu. LI. Scio: tu id núnc refers? iam hic crédo eum adfutúrum.
ME. Qua fácie uoster Saúreast? si is ést, iam scire pótero.
LI. Maciléntis malis, rúfulust, aliquántum uentriósus,
Truculéntis oculis, cómmoda statúra, tristi frónte.
ME. Non pótuit pictor réctius descríbere eius fórmam.
LI. Atque hércle ipsum adeo cóntuor: cassánti capite incédit.
Quisque óbuiam huic occésserit iráto, uapulábit,
Si quidem hércle Aeacidinís minis animísque expletus cédit.
[Set] sí me iratus tétigerit, irátus uapulábit.

LEONIDA. MERCATOR. LIBANVS.

LE. Quid hoc ést negoti, néminem meum díctum magni fácere?
Libanum ín tonstrinam ut iússeram uueníre, is nullus uénit.
Ne ille édepol tergo et crúribus consúluit hau decóre.
ME. Nimis ínperiosust. LI. Vaé mihi. LE. Hodié saluere iússi
Libanúm libertum? iám manust emíssus? LI. Opsecró te.

LE. Ne tu hércle cum magnó malo [tuo] mi óbuiam occessísti.
Quor nón uenisti, ut iússeram, in tonstrínam? LI. Hic me morátust.
LE. Si quidem hércle nunc summúm Iouem te dícas detinuísse
Atque ís precator ádsiet, malám rem ecfugies númquam.
Tu uérbero inperiúm meum contémpsisti? LI. Hospes, périi.
ME. Quaeso hércle noli, Saúrea, mea caússa hunc uerberáre.
LE. Vtinám nunc stimulus ín manu mihi sít . . ME. Quiesce quaéso.
LE. Qui látera conterám tua, quae occálluere plágis.
Apscéde ac sine me hunc pérdere, qui sémper me ira incéndit,
Quoi númquam rem me unám licet semél praecipere fúri,
Quin céntiens eadem ínperem atque oggánniam: itaque iam hércle
Clamóre ac stomacho nón queo labóri suppeditáre.
Iussín, sceleste, ab iánua hoc stércus hinc auférri?
Iussín columnis dèicier operás araneórum?
Iussíne in splendorém dari has búllas foribus nóstris?
Nihil ést: tamquam si claúdus sim, cum fústist ambulándum.
Quia tríduom hoc unúm modo foró dedi operam adsíduam,
Dum réperiam qui quaéritet argéntum in faenus: híc uos
Dormítis intereá domi atque erus ín hara, haut aedibus hábitat.
Hem ergo hóc tibi. LI. Hospes, te ópsecro, defénde. ME. Saurea, óro

Mea caússa ut mittas. LE. Ého, [Coriscus] pró uectura olíui
Rem sóluit? LI. Soluit. LE. Quoí datumst? LI. Stichó uicario ípsi
Tuo. LE. Váh, delenire ádparas: scio míhi uicarium ésse
Neque eo ésse seruom in aédibus eri quí sit pluris quam íllest.
Set uína quae heri uéndidi uinário Exaerámbo,
Iam pro ís satis fecít Sticho? LI. Fecísse satis opínor:
Nam uídi huc ipsum addúcere trapéssitam Exaerámbum.
LE. Sic dédero: prius quae crédidi, uix ánno post exégi:
Nunc sát agit: adducít domum etiam últro et scribit númmos.
Dromón mercedem réttulit? LI. Dimídio minus, opínor.
LE. Quid rélicuom? LI. Aibat réddere, quom extémplo redditum ésset:
Nam rétineri, ut quod sít sibi operís locatum ecfíceret.
LE. Scuphós quos utendós dedi Philodámo, rettulítne?
LI. Non étiam. LE. Non? hem, sí uelis dare, cómmoda homini amíco.
ME. Perii hércle: iam hic me abégerit suo ódio. LI. Heus, iam satís tu:
Audín quae loquitur? LE. Aúdio et quiésco. ME. Tandem opínor
Contícuit: nunc adeam óptumumst prius quam íncipit tinníre.
Quam móx mihi operam? LE. Ehem, óptume: quam dúdum tu aduenísti?
Non hércle te prouíderam: quaesó ne uitio uórtas.
Ita íracundia ópstitit oculís. ME. Non mirum fáctumst.
Set sí domist Demaénetum uolébam. LE. Negat esse íntus:

Verum ístuc argentúm tamen mihi sí uis denumeráre,
Reprómittam istoc nómine solútam rem futúram.
ME. Sic pótius ut Demaéneto tibi eró praesente réddam.
LI. Erus ístunc nouit átque erum hic. ME. Ero huíc praesente réddam.
LI. Da módo meo perículo: rem sáluam ego exhibébo.
Nam sí sciat nostér senex fidém non esse huic hábitam,
Suscénseat, qui [huic] ómnium rerum ípsus semper crédit.
LE. Non mágni pendo, né duit: si nón uolt, sic sine ástet.
LI. Da, inquám: uah, formidó miser ne hic mé tibi arbitrétur
Suassísse sibi ne créderes. da quaéso, ne formída:
Saluom hércle erit. ME. Credám fore, dum quidem ín manu ipse habébo.
Peregrínus ego sum: Saúream non nóui. LI. At nosce sáne.
ME. Sit, nón sit, non edepól scio: si is ést, eum esse opórtet.
Ego cérte me incertó scio hoc datúrum nemini hómini.
LE. Hercle ístum di omnes pérduint. uerbó caue supplicássis:
Ferox est, uigintí minas meás tractare sése.
Nemo áccipit: aufer té domum, apscede hínc, molestus né sis.
ME. Nimis íracunde: nón decet supérbum esse hominem séruom.
LE. Malo hércle iam magnó tuo, ni istí nec recte dícis.
LI. Inpúre, nihili, nón uides irásci? LE. Perge pórro.
LI. Flagítium hominis, da ópsecro argentum huíc, ne male loquátur.

ME. Malum hércle uobis quaéritis. LE. Crura hércle defringéntur,
Ni istum ínpudicum pércies. LI. Perii hércle: age inpudíce,
Sceléste, non audés mihi scelésto subueníre?
LE. Pergín precari péssumo? ME. Quae rés? tun libero hómini
Male séruos loquere? LE. Vápula. ME. Id tíbi quidem hercle fíet,
Vt uápules, Demaénetum semul ác conspexero hódie.
In iús uoco te. LE. Nón eo. ME. Non ís? memento. LE. Mémini.
ME. Dabitúr pol suppliciúm mihi de térgo uostro. LE. Vaé te:
Tibi quĭdem de nobis, cárnufex, detúr supplicium? ME Atque étiam
Pro díctis uostris máledicis poenaé pendentur mi hódie:
* * * * * * * *
LE. Quid, uérbero? ME. Ain tu? LE. Fúrcifer, nosmét fugitare cénses?
I núnc ĭam ad erum, quó uocas, iam dúdum quo uolébas.
ME. Nunc démum? tam numquam hínc feres argénti nummum, nísi me
Dare iússerit Demaénetus. LE. Ita fácito: age ambula érgo.
Tu cóntumeliam álteri faciás, tibi non dicátur?
Tam ego hómo sum quam tu. ME. Scílicet ita rés est. LE. Sequere hac érgo.
Praefíscini hoc nunc díxerim: nemo étiam me accussáuit
Meritó meo, neque me álter est Athénis hodie quísquam,

Quoi crédi recte aequé putent. ME. Fortásse: set tamén me
Numquam hódie induces út tibi credam hóc argentum ignóto.
Lupus ést homo homini, nón homo, quom quális sit non nóuit.
LE. Iam núnc secunda míhi facis: scibam huíc te capitulo hódie
Factúrum satis pro iniúria: quamquam égo sum sordidátus,
Frugí tamen sum néc potest pecúlium enumerári.
ME. Fortásse. LE. Etiam nunc Périphanes Rhodó mercator díues
Apsénte ero solús mihi taléntum argenti sóli
Adnúmerauit et crédidit mihi néque deceptust ín eo.
ME. Fortásse. LE. Atque etiam tú quoque ipse si ésses percontátus
Me ex áliis, scio pol créderes nunc quód fers. ME. Hau negássim.

ACTVS III.

CLEAERETA. PHILENIVM.

CL. Néqueone ego ted ínterdictis fácere mansuetém meis?
Án ita tu's animáta ut qui expers mátris inperiís sies?
PH. Ýbi piem Pietátem, si istoc móre moratám tibi
Póstulem placére, mater, míhi quo pacto praécipis?
CL. Hócinest pietátem colere, inpérium matris mínuere?
Án decorumst áduorsari mĕis te praeceptís? PH. Quid est?
Néque quae recte fáciunt culpo néque quae delinquónt amo.
CL. Sátis dicaculá's amatrix. PH. Máter, is quaestúst mihi:
Língua poscit, córpus quaerit, ánimus hortat, rés monet.
Quín pol si reposíui remum, sóla ego in castéria
Ýbi quiesco, omnís familiae caússa consistít tibi.
CL. Égo te uolui cástigare: tú mi accussatríx ades.
PH. Néque edepol te accússo neque id me fácere fas exístumo.
Vérum ego meas querór fortunas, quóm illo quem amo próhibeor.
CL. Écqua pars orátionis dé die dabitúr mihi?
PH. Ét meam partém loquendi ét tuam tradó tibi:

Ád locundum atque ád tacendum túte habeas portísculum.
CL. Quíd ais tu, quam ego únam uidi múlierem audacíssumam?
Quótiens te uotui Árgurippum fílium Demaéneti
Cónpellare aut cóntrectare cónloquiue aut cóntui?
Quíd dedit? quid déportari iússit ad nos? án tibi
Vérba blanda esse aúrum rere, dícta docta pró datis?
Vltro amas, ultro éxpetessis, últro ad te arcessí iubes:
Íllos qui dant èos derides: quí deludunt déperis.
Án te id expectáre oportet, síquis promittát tibi
Té facturum díuitem, si móriatur matér sua?
Écastor nobís periclum et fámiliae porténditur,
Dum éius expectámus mortem, né nos moriamúr fame.
Núnc adeo nisi mi húc argenti ádfert uigintí minas,
Né ille ecastor hínc trudetur lárgus lacrumarúm foras.
Haéc dies summást aput me ínopiae excussátio.
PH. Pátiar, si cibó carere mé iubes, matér mea.
CL. Nón uoto ted amáre qui danúnt, qua amentur grátia.
PH. Sét si hic animus óccupatust, máter, quid faciám? mone.
CL. Hem,
Mĕum caput contémples, si quidem éx re consultás tua.
PH. Étiam opilió qui pascit, máter, alienás ouis,
Áliquam habet pecúliarem, quí spem soletúr suam.
Síne me amare unum Árgurippum ánimi caussa, quém uolo.
CL. Íntro abi: nam té quidem edepol níhil est inpudéntius.
PH Aúdientem dícto, mater, próduxisti fíliam.

LIBANVS. LEONIDA.

LI. Perfídiae laudes grátiasque habémus merito mágnas,
Quom nóstris sucophántiis dolís astutiísque,
Scapulárum confidéntia, uirtúte ulmorum fréti
* * * * * * *
Qui aduórsum stimulos láminas crucésque conpedísque
Neruós catenas cárceres numéllas pedicas bóias
Indúctoresque acérrumos gnarósque nostri térgi
[Qui saepe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt]
* * * * * * *
Eae núnc legiones cópiae exércitusque eórum
Pugnándo ui periúriis nostrís, euge, potíti.
Virtúte id conlegae hùius [mei] meáque comitáte
Factúmst: qui mest uir fórtior ad súfferundas plágas?
LE. Edepól uirtutis quí tuas nunc póssit conlaudáre,
Sicút ego possum, quaé domi duellíque male fecísti:
Ne ille édepol pro meritó tuo memoráre multa póssit:
Vbi fídentem fraudáueris, ubi ero ínfidelis fúeris,
Vbi uérbis conceptís sciens lubénter periuráris,
Vbi párietes perfóderis, in fúrto ubi sis praehénsus,
Vbi saépe caussam díxeris pendéns aduorsus ócto
Artútos audacís uiros, ualéntis uirgatóres.
LI. Fateór profecto ut praédicas, Leónida, esse uéra:
Verum édepol etiam túa quoque male fácta iterari múlta

Et uéro possunt: úbi sciens fidéli infidus fúeris,
Vbi praénsus in furtó sies manufésto et uerberátus,
Vbi périuraris, úbi sacro manús sis admolítus,
Vbi erís damno moléstiae et dedécori saepe fúeris,
Vbi créditum quod sít tibi datum ésse pernegáris,
Vbi amícae quam amicó tuo fuerís magis fidélis,
Vbi saépe ad languorém tua durítia dederis ócto
Validós lictores úlmeis adféctos lentis uírgis.
Num mále relatast grátia, ut conlégam conlaudáui?
LE. Vt méque teque máxume atque ingénio nostro décuit.
LI. Iam omítte ista atque hoc quód rogo respónde. LE. Rogita quód uis.
LI. Argénti uigintí minas habésne? LE. Harioláre.
Edepól senem Demaénetum lepidúm fuisse nóbis:
Vt ádsimulabat Saúream med ésse, quam facéte:
Vt mémoriter me Saúream uocábat atriénsem.
Nimis aégre rissu mé continui, ubi hóspitem inclamáuit,
Quod sése apsente míhi fidem habére noluísset.
LI. Manedúm. LE. Quid est? LI. Philénium estne haec quae íntus exit átque
Vna Árgurippus? LE. Ópprime os: is ést: subauscultémus.
LI. Lacrumántem laciniá tenet lacrumáns: quidnam esse dícam?
Tacite aúscultemus. LE. Áttatae: modo hércle in mentem uénit:
Nimis uéllem habere pérticam. LI. Quoi rĕi? LE. Qui uerberárem
Asinós, si forte occéperint clamáre hinc ex crumína.

ARGVRIPPVS. PHILENIVM. LIBANVS. LEONIDA.

AR. Quor mé retentas? PH. Quía tui amáns abeuntis égeo.
AR. Valé. PH. [Pol] aliquanto ámplius ualérem, si hic manéres.
AR. Salué. PH Saluere mé iubes, quoi tu ábiens adfers mórbum?
AR. Matér supremam túa mihi dixít: domum ire iússit.
PH. Acérbum funus fíliae faciét, si te caréndumst.
LI. Homo hércle hinc exclussúst foras. LE. Ita rés est. AR. Mitte quaéso.
PH. Quo núnc abis? quin tu híc manes? AR. Nox sí uoles manébo.
LI. Audín hunc opera ut lárgus est noctúrna? nunc enim [híc] est
Intérdius negótiosus: uídelicet Solónem
Legés ut conscribát, quibus se pópulus teneat. gérrae:
Qui sése parere ádparent huius légibus, profécto
Numquám bonae frugí sient, diés noctisque pótent.
LE. Ne iste hércle ab ista nón pedem discédat, si licéssit,
Qui núnc festinat átque ab hac minátur sese abíre.
LI. Sermóni iam finém tuo face: hŭius sermonem accípiam.
AR. Valé. PH. Quo properas? AR. Béne uale: aput Órcum te uidébo:
Nam equidém me iam quantúm potis a uíta abiudicábo.
PH. Quor tu ópsecro inmeritó meo me mórti dedere óptas?

AR. Egon té? quam si [ego] intéllegam deficere uita, iam ípse
Vitám meam tibi lárgiar et dé mea ad tuam áddam.
PH. Quor érgo minitarís mihi te uítam esse amissúrum?
Nam quíd me facturám putas, si istúc quod dicis fáxis?
Mihi cértumst eficere ómnia in me eadém quae tu in te fáxis.
AR. O mélle dulci dúlcior tu's. PH. Cérte enim tu mihi uíta's:
Conpléctere. AR. Fació lubens. PH. Vtinám sic ecferámur.
LE. O Líbane, ut miser [is] ést homo qui amát. LI. Immo hercle uéro
Qui péndet multost míserior: scio quí periclum féci.
LE. Circúmsistamus: álter hinc, hinc álter appellémus.
LI. Ere, sálue: set num fúmus est haec múlier quam amplexáre?
AR. Quidúm? LI. Quia oculi súnt tibi lacrumántes, eo rogáui.
AR. Patrónus qui uobís fuit futúrus, perdidístis.
LI. Equidem hércle nullum pérdidi, ideó quia numquam ullum hábui.
LE. Philénium, salué. PH. Dabunt di quaé uelitis uóbis.
LE. Noctém tuam et uiní cadum uelím, si optata fíant.
AR. Verbúm caue faxis, uérbero. LE. Tibi équidem, non mihi, ópto.
AR. Tum tu ígitur loquere quód lubet. LE. Hunc hércle uerberáre.
LI. Quisnam ístuc adcredát tibi, cinaéde calamistráte?

Tun uérberes qui pró cibo habeás te uerberári?
AR. Vt nóstrae fortunaé meis praecédunt, Libane, lónge,
Hodié qui numquam ad uésperum uiuám. LI. Quapropter quaéso?
AR. Quia égo hanc amo et [itidem] haéc me amat: huic quód dem nusquam quícquamst:
Hinc méd amantem ex aédibus eiécit huius máter.
Argénti uiğintí minae ad mórtem me adpulérunt,
Quas hódie adulescens Díabulus ipsí daturus díxit,
Vt hánc ne quoquam mítteret nisi ád se hunc annum tótum.
Vidétin uigintí minae quid póllent quidue póssunt?
Ille quí illas perdit sáluos est: ego quí non perdo péreo.
LI. Iam dédit argentum? AR. Nón dedit. LI. Bono ánimo es: ne formída.
LE. Secéde huc, Libane: té uolo. LI. Siquíd uis. AR. Opsecró uos,
Eadem ístac opera suáuiust conpléxos fabulári.
LI. Non ómnia eadem aeque ómnibus, ere, suáuia esse scíto.
Vobís est suaue amántibus conpléxos fabulári:
Ego cónplexum huius níl moror, meum aútem hic aspernátur:
Proinde ístut facias ípse, quod faciámus nobis suádes.
AR. Ego uéro et quidem edepól lubens: intérea, si uidétur,
Concédite istuc. LE. Vín erum delúdi? LI. Dignust sáne.
LE. Vin fáciam ut te Philénium praesénte hoc amplexétur?

LI. Cupio hércle. LE. Sequere hac. AR. Écquid est salútis? satis locúti.
LE. Auscúltate atque operám date et mea dícta deuoráte.
Primum ómnium seruós tuos nos ésse non negámus:
Set tíbi si uigintí minae argénti proferéntur,
Quo nós uocabis nómine? AR. Libértos. LE. Non patrónos?
AR. Id pótius. LE. Vigintí minae hic ínsunt in crumína:
Has égo si uis [nunc] tíbi dabo. AR. Di té seruassint sémper,
Custós erilis, décus popli, thensaúrus copiárum,
Salus ínterioris córporis amórisque inperátor:
Hic póne, hic istam cónloca crumínam in collo pláne.
LE. Nolo égo te qui erus sís mihi onus ístuc sustinére.
AR. Quin tú labore líberas te atque ístam inponis ín me?
LE. Ego báiulabo, tú ut decet dominum ánte me ito inánis.
AR. Quid núnc? LE. Quid est? AR. Quin trádis huc crumínam erum pressátum?
LE. Hanc quoí daturu's hánc iube petere átque orare mécum:
Nam istúc procliuest quód iubes me pláne conlocáre.
PH. Da méus ocellus, méa rosa, mi ánime, mea uolúptas,
Leónida, argentúm mihi: ne nós diiunge amántis.
LE. Dice ígitur me passérculum gallínam coturnícem,
Agnéllum haedillum mé tuum dice ésse uel uitéllum:
Praehénde auriculis, cónpara labélla cum labéllis.
AR. Tene aúsculetur, uérbero? LE. Quám uéro indignum uíssumst?

Atquí pol hodie nón feres, ni génua confricántur.
AR. Quiduís egestas ínperat: fricéntur, dane quod óro.
PH. Age, mí Leonida, ópsecro, fer amánti ero salútem:
Redime ístoc benefició te ab hoc et tíbi eme hunc isto argénto.
LE. Nimis bélla's atque amábilis: et si hóc meum esset, hódie
Numquám morarem quín darem. illúm te orarest mélius:
Ille hánc mihi seruandám dedit: i sáne bella bélle.
Cape hóc sis, Libane. AR. Fúrcifer, etiám me delussísti?
LE. Numquam hércle facerem, génua ni tam néquiter fricáres.
Age sís tuam partem núnc ïam hunc delúde atque amplexáre hanc.
LI. Taceás, me spectes. AR. Quín ad hunc, Philénium, adgredímur,
Virúm quidem pol óptumum et non símilem furis húius?
LI. Inámbulandumst: núnc mihi uicíssim supplicábunt.
AR. Quaeso hércle, Libane, sís erum tuis fáctis sospitári,
Da míhi istas uigintí minas: uidés me amantem egére.
LI. Vidébitur: factúm uolo: redíto huc conticínio.
Nunc ístanc tantispér iube petere átque orare mécum.
PH. Amándone exorárier te uís an ausculándo?
LI. Enimuéro utrumque. PH. Ego ópsecro te, utrúmque nostrum sérua.

AR. O Líbane, mi patróne, mihi trade ístuc: magis decórumst
Libértum potius quám patronum onus ín uia portáre.
PH. Mi Líbane, ocellus aúreus, donúm decusque amóris,
Amábo, faciam quód uoles: da istúc argentum nóbis.
LI. Dice ígitur me [tuam] anáticulam colúmbam uel catéllum
Hirúndinem monédulam passérculum putíllum:
Face próserpentem béstiam me, dúplicem ut habeam línguam,
Circúmdato me brácchiis, meum cóllum circumplécte.
AR. Ten cónplectatur, cárnufex? LI. Quam uéro indignus uídeor?
Ne istúc nequiquam díxeris in mé tam indignum díctum,
Vehés pol me hodie, sí quidem hoc argéntum ferre spéres.
AR. Tene égo ueham? LI. Tune hóc feras argéntum [hinc] aliter á me?
AR. Perii hércle: uerum sí quidemst decórum erum uehere séruom,
Inscénde. LI. Sic istí solent supérbi subdomári.
Asta ígitur, ut consuétus es puer ólim: scin ut dícam?
Hem, síc: abi laudo: né te equo magis ést equos nullus sápiens.
AR. Inscénde actutum. LI. Ego fécero: hem, quid istúc est? ut tu incédis?
Demam hércle iam [tibi] de hórdeo, tolútim ni badíssas.
AR. Amábo, Libane, iám sat est. LI. Numquam hércle hodie exorábis:

Nam iám calcari quádrupedem agitábo aduorsum cíuom,
Postídea ad pistorés dabo, ut íbi cruciere cúrrens.
Asta út descendam núnc ïam in proclíui, quamquam néquam es.
AR. Quid? núnc quoniam ambo nós ut est conlúbitum delussístis,
Datísne argentum? LI. Sí quidem mihi áram et statuam státuis
Atque út deo mi hic ínmolas bouém: nam ego tibi Salús sum.
LE. Etiám tu, ere, istunc ámoues aps te átque me ipse adgrédere
Atque ílla sibi quae hic iússerat mihi státuis supplicásque?
AR. Quem té deum autem nóminem? LE. Fortúnam atque Opsequéntem.
AR. Iam istóc es melior. LI. Án quid olim hominíst Salute mélius?
AR. Licét Fortunam laúdem, tamen ut né Salutem cúlpem.
PH. Ecástor ambae súnt bonae. AR. Sciam, úbi boni quid déderint.
LE. Opta íd quod ut contingát tibi uis. AR. Quíd, si optaro? LE. Euéniet.
AR. Opto ánnum hunc perpetuóm mihi huius óperas. LE. Inpetrásti.
AR. Ain uéro? LE. Certe inquam. LI. Ád me adi uicíssim atque experíre.
Exópta id quod uis máxume tibi éuenire: fíet.
AR. Quid ego áliut exoptem ámplius nisi íllut quoius inópiast?

Vigínti argenti cómmodas minás, huius quas dem mátri.
LI. Dabúntur: animo sís bono face: éxoptata optíngent.
AR. Vt cónsueuere, hominés Salus frustrátur et Fortúna.
LE. Ego cáput huic argentó fui [tibi] hódie reperiúndo.
LI. Ego pés fui. AR. Quin néc caput nec pés sermonum adpáret:
Nec quíd dicatis scíre nec me quór ludatis póssum.
LE. Satis iám delussum cénseo: nunc rém ut est eloquámur.
Animum, Árguripe, aduórte sis: patér nos ferre iússit
Hoc árgentum ad te. AR. Vt témpore opportúneque attulístis.
LE. Hic ínerunt uigintí minae bonaé mala opera pártae:
Has tíbi nos pactis légibus dare iússit. AR. Quid id est quaéso?
LE. Noctem húius et cenam út sibi darés. AR. Iube aduenire:
Meritíssumo eius quaé uolet faciémus, qui hosce amóres
Nostrós dispulsos conpulit. LI. [Patiérin, Arguríppe,]
Patrem hánc amplexarí tuum? AR. Haec fáciet facile ut pátiar.
Leónida, curre ópsecro: patrem húc orato ut uéniat.
LE. Iam dúdumst intus. AR. Hác quidem non uénit. LE. Angipórto
Illác per hortum tránsiit clam, néquis se uidéret
Huc íre familiárium. LI. Ne uxór resciscat métuit.
De argénto si matér tua sciát, ut sit factum . . AR. Héia:
Bene dícite. LI. Ite intró cito. AR. Valéte. LE. Et uos amáte.

———————

ACTVS IIII.

DIABVLVS. PARASITVS.

DI. Agedum ístum ostende quém conscripsti súngraphum
Intér me et amicam et lénam: leges péllege:
Nam tú poeta's próssus ad eam rem únicus.
PA. Horréscet faxo léna, leges quom aúdiet.
DI. Age quaéso mi hercle tránslege. PA. Audin? DI. Aúdio.
PA. 'Diábulus Glauci fílius Cleaéretae
Lenaé dedit argénti uigintí minas,
Philénium ut secum ésset noctis ét dies
Hunc ánnum totum.' DI. Néque cum quiquam alió quidem.
PA. Addóne? DI. Adde et scríbas uide plane ét probe.
PA. 'Aliénum hominem intro míttat [ad se] néminem:
Quod illa aút amicum [suum] aút patronum nóminet
Aut quód illa amicae [súae] amatorem praédicet,
Forés occlussae [eius] ómnibus sint nísi tibi:
In fóribus scribat óccupatam [iam] ésse se.
Aut quód illa dicat péregre adlatam epístulam,
Ne epístula quidem úlla sit in aédibus
Nec cérata adeo tábula: et siqua inútilis
Pictúra sit, eam uéndat: ni in quadríduo

Abálienarit, quó ex argentum accéperit,
Tuus árbitratus sít: conburas, sí uelis,
Ne illí sit cera, ubi fácere possit líteras.
Vocét conuiuam néminem illa: tú uoces.
Ad eórum ne quemquam óculos adiciát suos:
Siquem álium aspexit, caéca continuó siet.
Tecum úna postea aéque pocla pótitet,
Aps téd accipiat, tíbi propinet, tú bibas,
Ne mínus illa aut plus quám tu sapiat.' DI. Sátis placet.
PA. 'Suspítiones ómnis ab se ségreget,
Neque íllaec ulli péde pedem [usquam] hominí premat.
Quom súrgat, neque [illa] in léctum inscendat próxumum,
Neque quóm descendat índe, det quoiquám manum.
Spectándum ne quoiquam ánulum det néque roget.
Talós ne quoiquam admóueat homini nísi tibi.
Quom iáciat, "te" ne dícat, nomen nóminet.
Deam ínuocet sibi quám lubebit própitiam,
Deum núllum: si magis réligiosa fúerit,
Tibi dícat: tu pro illa óres ut sit própitius.
Neque úlli illa homini nútet nictet ádnuat.
Post sí lucerna extíncta sit, nequíd sui
Membrí conmoueat quícquam in tenebris.' DI. Óptumumst:
Ita scílicet factúram: uerum in cúbiculo
Deme ístuc: equidem illám moueri géstio.
Nolo íllam habere caússam et uotitam dícere.
PA. Scio, cáptiones métuis. DI. Verum. PA. Ergo, út iubes,

Tollám. DI. Quid ni? PA. Audi rélicua. DI. Eloquere: aúdio.
PA. 'Neque úllum uerbum fáciat perplexábile
Neque últa lingua sciat loqui nisi Áttica.
Fors sí tussire occépsit, ne sic tússiat
Vt quoíquam linguam in tússiundo próserat:
Quod illa aútem simulet quási grauedo prófluat,
Hoc né sic faciat: tú labellum apstérgeas
Potiús quam quoiquam sáuium faciát palam.
Nec máter lena ad uínum accedat ínterim
Neque úlli uerbo mále dicat: si díxerit,
Haec múlta ei esto, uíno uigintí dies
Vt cáreat.' DI. Pulcre scrípsti: scitum súngraphum.
PA. 'Tum sí coronas sérta unguenta iússerit
Ancíllam Veneri déferre aut Cupídini,
Tuus séruos seruet, Vénerine eas det án uiro.
Si fórte pure uélle habere díxerit,
Tot nóctis reddat spúrcas, quot pure hábuerit.'
Haec súnt non nugae: nón enim mortuália.
DI. Placént profecto léges: sequere intró. PA. Sequor.

---

* * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * * *

DIABVLVS. PARASITVS.

DI. Sequere hác: egone haec [ut] pátiar aut taceam? émori
Me málim, quam haec non éius uxori índicem.
Ain tu? áput amicam múnus adulescéntuli
Fungáre, uxori excússes te et dicás senem?
Praerípias scortum amánti atque argentum óbicias
Lenaé? suppiles clám domi uxorém tuam?
Suspéndam potius mé, quam tacita haec tu aúferas.
Iam quidem hércle ad illam hinc íbo, quam tu própe diem,
Nisi quidem ílla ante occupássit te, ecfligés scio,
Luxúriae sumptus súppeditare ut póssies.
PA. Ego síc faciundum cénseo: me honéstius
Quam té palam hanc rem fácerest, ne illa exístumet
Amóris caussa pércitum id fecísse te
Magis quám sua caussa. DI. At pól qui dixti réctius.
Tu ergó face illi túrbas, litis cóncias,
Cum sŭo sibi gnato [una] únam ad amicam dé die
Potáre, illam expiláre clam. PA. Ne mé mone:
Ego istúc curabo. DI. Át ego te opperiár domi.

ACTVS V.

ARGVRIPPVS. DEMAENETVS. (PHILENIVM.)

AR. Age décumbamus sís, pater. DE. Vt iússeris,
Mi gnáte, ita fiet. AR. Púeri, mensam adpónite.
DE. Numquídnam tibi moléstumst, gnate mí, si haec nunc mecum ádcubat?
AR. Pietás, pater, oculís dolorem próhibet: ego quamquam ístam amo,
Possum équidem inducere ánimum, ne aegre pátiar, quia tecum ádcubat.
DE. Decét uerecundum ésse adulescentem, Árguripppe. AR. Edepól, pater,
Meritó tuo facere póssum. DE. Age ergo hoc ágitemus conuíuium
Vino ét sermone suáui: nolo ego métui, amari máuolo,
Mi gnáte, me aps te. AR. Pól ego utrumque fácio, ut aequomst fílium.
DE. Credam ístuc, si te esse hílarum uidero. AR. Án tu me tristém putas?
DE. Putem égo quem uideam aeque ésse maestum, quási dies si dícta sit?
AR. Ne díxis istuc. DE. Né sic fueris: ílico ego non díxero.
AR. Hem,
Aspécta, rideo. DE. Útinam male qui míhi uolunt sic rídeant.

AR. Scio équidem quam ob rem mé, pater, tu trístem credas núnc tibi:
Quia istaéc est tecum: atque égo quidem hercle, ut uérum tibi dicám, pater,
Ea rés me male habet, át non eo quia tíbi non cupiam quaé uelis:
Verum ístam amo: aliam técum esse equidem fácile possum pérpeti.
DE. At ego hánc uolo. AR. Ergo súnt quae exoptas: míhi quae ego exoptém uolo.
DE. Vnum húnc diem perpétere, quoniam tíbi potestatém dedi
Cum hac ánnum ut esses átque amanti argénti feci cópiam.
AR. Hem,
Istóc me facto tíbi deuinxti. DE. Quín te ergo hilarum dás mihi?

Artemona. Parasitvs. Demaenetvs.
Argvrippvs. Philenivm.

ART. Ăin tu, meum uirúm potare hic ópsecro cum fílio
Ét ad amicam détulisse argénti uigintí minas,
Mèoque filió sciente id fácere flagitiúm patrem?
PA. Néque diuini neque mi humani pósthac quicquam adcréduas,
Ártemona, si húius rei me méndacem esse inuéneris.
ART. Át scelesta ego praéter alios mèum uirum fuí rata
Síccum frugi cóntinentem amántem uxoris máxume.

PA. Át nunc dehinc scito íllum ante omnis mínumi mortalém preti,
Mádidum nihili incóntinentem atque óssorem uxorís suae.
ART. Pól ni uera ista éssent, numquam fáceret ea quae núnc facit.
PA. Égo quoque hercle illum ántehac hominem sémper sum frugí ratus:
Vérum hoc facto sése ostendit, quí quidem cum fílio
Pótet una atque únam amicam dúctet decrepitús senex.
ART. Hóc ecastor ést quod illic ád cenam cotídie
Ăit sese ire ad Árchidemum Chaéream Chaeréstratum
Clíniam Chremém Cratinum Díniam Demósthenem:
Ís aput scortum córrumptelaest líberis, lustrís studet.
PA. Quín tu illum iubés ancillas rápere sublimém domum?
ART. Táce modo: ne [ego] íllum ecastor míserum habebo. PA. Ego istúc scio
Íta fore illi, dúm quidem cum illo núpta eris. ART. Ego céuseo
Éum etiam hominem [aut] ín senatu dáre operam aut cluéntibus:
Íbi labore délassatum nóctem totam stértere.
Ópere illic forís faciundo lássus noctu [ad me] áduenit:
Fúndum alienum arát, incultum fámiliarem déserit.
Ís etiam corrúmptus porro sŭum corrupit fílium.
PA. Séquere hac me modó: iam faxo ipsum hóminem manufesto ópprimas.
ART. Níhil ecastor ést quod facere máuelim. PA. Manedúm. ART. Quid est?
PA Póssis, si forte ádcubantem tŭum uirum conspéxeris

Cúm corona ampléxum amicam, sí uideas, cognóscere?
ART. Póssum ecastor. PA. Én tibi hominem. ART. Périi. PA. Paulispér mane:
Aúcupemus éx insidiis clánculum quam rém gerant.
ARG. Quíd modi, pater, ámplexando fácies? DE. Fateor, gnáte mi . . 882
ARG. Quíd fatere? DE. Mé ex amore huius [ésse] corrumptum óppido.
PA. Aúdin quid ait? ART. Aúdio. DE. Egone ut nón domo uxorí meae
Súbrupiam in delíciis pallam quam hábet atque ad te déferam? 885
Nón edepol condúci possum uíta uxoris ánnua.
PA. Cénsen tu illunc hódie primum ire ádsuetum esse in gáneum?
ART. Ílle ecastor súppilabat mé, quod ancillás meas
Súspicabar átque insontis míseras cruciabám. ARG. Pater,
Iúbe dari uinúm: iam dudum fáctumst quom primúm bibi. 890
DE. Dá, puere, ab summo: áge, tu interibi ab ínfumo da sáuium.
ART. Périi misera: ut aúsculatur cárnufex, capulí decus.
DE. Édepol animam suáuiorem aliquánto quam uxorís meae.
PH. Díce amabo, an ánima foetet úxoris tuae? DE. Naúteam
Bíbere malim, sí necessum sít, quam illam ausculárier.
ART. Né ille ecastor faénerato [haec] fúnditat: nam sí domum 896
Rédierit hodie, aúsculando ego úlciscar potíssumum.

PH. Míser ecastor és. ART. Ecastor dígnus est. ARG. Quid aís, pater?
Écquid matrem amás? DE Egone illam? núnc amo, quia nón adest.
ARG. Quíd, quom adest? DE. Perísse cupio. PA. Ámat homo hic te, ut praédicat.
ART. Áin tandem? edepól ne tu istuc cúm malo magnó tuo
Díxisti in me. síne modo ueniás domum: faxó scias
Quíd pericli sít dotatae uxóri uitium dícere.
ARG. Iáce, pater, talós, ut porro nós iaciamus. DE. Máxume.
Té, Philenium, mihi atque uxóri mortem. hoc Véneriumst.
Púeri, plaudite ét mi ob iactum cántharo mulsúm date.
ART. Nón queo duráre. PA. Si non dídicisti fullóniam,
Nón mirandumst: ín oculos [cucúlo] inuadist óptumum.
ART. Égo pol uiuam et tú istaec hodie cúm tuo magnó malo
Ínuocasti. PA. Écquis currit póllictorem arcéssere?
ARG. Máter, salue. ART. Sát salutist. PA. Mórtuost Demaénetus.
Témpus est subdúcere hinc me: púlcre hoc gliscit proélium.
Íbo ad Diabulúm: mandata dícam facta ut uóluerit
Átque interea ut décumbamus suádebo, hi dum lítigant.
Póst eum demum huc crás adducam ad lénam, ut uigintí minas
Ĕi det, in partem hác amanti ut líceat ei potírier.
Árgurippus éxorari spéro poterit út sinat

Sése alternas cúm illo noctis hác frui: nam ni ínpetro,
Régem perdidi: éx amore tántumst homini incéndium.
ART. Quíd tibi hunc recéptio ad test mèum uirum? PH. Pol mé quidem
Míseram [istic] odio énicauit. ART. Súrge amator, í domum.
DE. Núllus sum. ART. Immo es, né nega, omnium [hóminum] pol nequíssumus.
Át etiam cubát cuculus: súrge amator, í domum.
DE. Vaé mihi. ART. Vera háriolare: súrge amator, í domum.
DE. Ápscede ergo paúlulum istuc. ART. Súrge amator, í domum.
DE. Iam ópsecro, uxor. ART. Núnc uxorem mé esse meministí tuam?
Módo, quom dicta in me íngerebas, ódium, non uxór eram.
DE. Tótus perii. ART. Quíd tandem? anima foétetne uxorís tuae?
DE. Múrram olet. ART. Iam súbrupuisti pállam quam scortó dares?
PH. Écastor qui súbrepturum pállam promissít tibi.
DE. Nón taces? ARG. Ego díssuadebam, máter. ART. Bellum fílium.
Ístoscin patrem aéquomst mores líberis largírier?
Nílne te pudét? DE. Pol si aliut níl sit, tui me, uxór, pudet.
ART. Cáno capite té cuculum úxor ex lustrís rapit.
DE. Nón licet manére (cena cóquitur) dum ceném modo?
ART. Écastor cenábis hodie, ut dígnus es, magnúm malum.

DE. Mále cubandumst: iúdicatum me úxor abducít domum.
ARG. Dícebam, patér, tibi ne mátri consulerés male.
PH. Dé palla meménto, amabo. DE. Iúben hanc hinc apscédere?
ART. Í domum. PH. Da sáuium etiam príus quam abis. DE. Abi ín crucem.
PH. Ímmo potius íntro: sequere hac, mí anime. ARG. Ego ueró sequor.

Caterva.

Híc senex siquíd clam uxorem súo animo fecít uolup,
Néque nouom neque mírum fecit néc secus quam alií solent.
Néc quisquamst tam ingénio duro néc tam firmo péctore,
Quín, ubi quicque occássionis sít, sibi faciát bene.
Núnc si uoltis déprecari huíc seni ne uápulet,
Rémur inpetrári posse, plaússum si clarúm datis.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 ad 126 iambici senarii
\- 127 ad 132 cretici tetrametri acatalecti
\- 133 bacchiacus tetrameter acatalectus
\- 134 ad 137 cretici tetrametri acatalecti
\- 138 ad 380 trochaici septenarii
\- 381 ad 503 iambici septenarii
\- 504 ad 544 trochaici septenarii
\- 545 ad 745 iambici septenarii
\- 746 ad 829 iambici senarii
\- 830 ad 850 iambici octonarii
\- 851 ad 947 trochaici septenarii.

T. MACCI PLAVTI

BACCHIDES.

GRAECA [DISEXAPATON MENANDRV].

PERSONAE.

PISTOCLERVS ADVLESCENS
BACCHIDES SORORES MERETRICES
CLEOMACHVS MILES
SERVOS
LVDVS SERVOS
CHRVSALVS SERVOS
NICOBVLVS SENEX
MNESILOCHVS ADVLESCENS
PHILOXENVS SENEX
PARASITVS
PVER
ARTAMO LORARIVS
CATERVA.

ACTVS I.

PISTOCLERVS.

*   *
*

Quíbus ingenium in ánimo utibilest, módicum et sine uernílitate

*   *
*

Víncla uirgaé molae: saéuitudó mala
Fit péior . . . .

*   *
*

Quaé sodalem átque me exércitos habet.

*   *
*

BACCHIS I. PISTOCLERVS.

BA. Vlíxem audiui fŭisse aerumnosíssumum,
Qui uíginti annis érrans a patria áfuit.
Verum híc Vlixem múlto adulescens ántidit:
Qui hic ílico errat íntra muros cíuicos

*   *
*

BA. . . . mĕi cognominís fuit.

*   *
*

BA. Conuórrite [aedis] scópis, agite strénue
. . . . . . ecquis éuocat
Cum nássiterna et cúm aqua istum inpuríssumum?

*   *
*

CLEOMACHVS. BACCHIS II. SERVOS.

* * *

CL. . . . .
Sin lénocinium fórte conlubitúmst tibi,
Videás mercedis quíd tibist pactúm dari,
Ne istác me aetate séctarere grátiis.
. . . .
Ne a quóquam acciperes álio mercedem ánnuam
Nisi áb se nec cum quíquam limarés caput.

* * *

. . . . . . limacés uiri.

* * *

PISTOCLERVS. BACCHIS II. SERVOS.

* * *

PI. . . . .
Sícut lacte lácti similist: quídquid est nomén sibi.

* * *

SE. Latrónem suam qui aúro uitám uenditát.
. . . .
Sció spiritum éius maiórem esse múlto
Quam fólles tauríni halitánt, quom liquéscunt
Petraé, ferrum ubí fit. PI. Quoiátis [tibi uíssust]?
SE. Praenéstinum opíno esse: ita erát gloriósus.
PI. . oppidúm . . . . .
Neque [id] haú subditíua arbitrór gloria [ésse].

* * *

BACCHIDES (BACCHIS. SOROR). PISTOCLERVS.

BA. . . cór meum, spés mea,
Mél meum, suáuitudó, cibus, gaúdium.

* * *

Síne te amem . . . . . .

* * *

. . . . . Árabus . . . .

* * *

. . . . . cupidon té confecit ánne amor?

* * *

. . . . . fortásse ted amáre suspicárier.

* * *

. . . . argéntum hinc facito . . .

* * *

Nám tu quidem credo éxcantare quoíuis facile cór potes.
SO. . . . .
BA. Quíd si hoc potis est út tu taceas, égo loquar? SO. Lepidé: licet.
BA. Ýbi me fugiet mémoria, ibi tu fácito ut subueniás, soror.
SO. Pól magis metuo míhi in monendo né defuerit óptio.
BA. Pól ego metuo lúsciniolae né defuerit cántio:
Séquere hac. PI. Quid agunt dŭae germanae méretrices cognómines?
BA. Míserius nihil ést quam mulĭer. PI. Quíd esse dicis dígnius?
Quíd in consilio cónsuluistis? BA. Béne. PI. Pol hau meretríciumst.
BA. Haéc ita me orat síbi qui caueat áliquem ut hominem réperiam
Ád istunc militem: út, ubi emeritum síbi sit, se reuehát domum.
Íd, amabo te, huic cáueas. PI. Quid isti cáueam? BA. Vt reuehatúr domum,
Ýbi ei dederit óperas, ne hanc ille hábeat pro ancillá sibi.

Nám si haec habeat aúrum quod illi rénumeret, faciát lubens.
PI. Ýbi nunc is homost? BA. Iam híc credo aderit. sét hoc idem aput nos réctius
Póteris agere: atque ís dum ueniat sédens ibi opperíbere:
Ěadem biberis, ĕadem dedero tíbi ubi biberis sáuium.
PI. Víscus merus uostrást blanditia. BA. Quíd iam? PI. Quia enim intéllego,
Dŭae [me] unum expetitís palumbem: † perii harundo alas uérberat.
Nón ego istuc mihi fácinus, mulier, cónducibile esse árbitror.
BA. Quí, amabo? PI. Quia, Bácchis, Bacchas métuo et bacchanál tuum.
BA. Quíd est quod metuis? né tibi lectus málitiam aput me suádeat?
PI. Mágis inlectum tŭum quam lectum métuo: mala tu's béstia.
Nam huíc aetati nón conducit, múlier, latebrosús locus.
BA. Égomet aput me néquid stulte fácere occupias próhibeam.
Sét ego aput me té esse ob eam rem, míles quom ueniát, uolo:
Quía, quom tu aderis, huíc mihique hau fáciet quisquam iniúriam.
Tú prohibebis ét eadem opera tŭo sodali operám dabis,
Ét ille adueniens tŭam med esse amícam suspicábitur.
Quíd, amabo, opticuísti? PI. Quia istaec lépida sunt memorátui:
Éadem in usu atque úbi periclum fácias aculeáta sunt,

Ánimum fodicant, bóna distímulant, fácta et famam saúciant.
SO. Quíd ab hac metuis? PI. Quíd ego metuam rógitas? adulescéns homo
Pénetrare huius modi ín palaestram, ubi dámnis desudáscitur?
Vbi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus.]
SO. Lépide memoras. PI. Ýbi ego capiam pró machaera túrturem,
Ýbique inponat ín manum alius míhi pro cestu cántharum:
Pró galea scaphiúm, pro insigni sít corolla pléctilis,
Pro hásta talus: pró lorica málacum capiam pállium:
Ýbi mi pro equo léctus detur, scórtum pro scuto ádcubet?
Ápage a me, apage. SO. Ah, nímium ferus es. PI. Míhi sum. SO. Malacissándus es:
Équidem tibi do hanc óperam. PI. At nimium prétiosa's operária.
BA. Símulato me amáre. PI. Vtrum ego istuc iócon adsimulem an sério?
BA. Héia, hoc agerest mélius: miles quom húc aduenìat, té uolo
Me ámplexari. PI. Quíd eo mi opus est? BA. Ýt ille te uideát, uolo:
Scío [ego] quid ago. PI. Et égo pol scio quid métuo. set quid aís? BA. Quid est?
PI. Quíd si aput te eueniát desubito prándium aut potátio
Fórte aut cena, ut sólet in istis fíeri conciliábulis,
Ýbi ego tum adcubem? BA. Ăput me, mi anime: ut lépidus cum lepida ádcubet.

Lócus hic aput nos, quámuis subito uénias, semper líber est.
Ýbi tu lepide uóles esse tibi, 'méa rosa' mihi dícito
'Dáto qui bene sit': égo ubi bene sit tíbi locum lepidúm dabo.
PI. Rápidus fluuius ést hic: non hac témere transirí potest.
BA. Átque ecastor áput hunc fluuium áliquid perdundúmst tibi:
Mànum da et sequere. PI. Ah mínume. BA. Quid ita? PI. Quía istoc inlecebrósius
Fíeri nil potést, nox mulier uínum homini adulescéntulo.
BA. Áge igitur: equidém pol nihili fácio nisi caussá tua.
Ílle quidem hanc abdúcet: nullus tu ádfueris, si nón lubet.
PI. Súmne autem nihilí qui nequeam ingénio moderarí meo?
BA. Quíd est quod metuas? PI. Níhil est: nugae. múlier, tibi me emáncupo:
Túus sum, tibi dedo óperam. BA. Lepidu's. núnc ego te facere hóc uolo:
Égo sorori mĕae cenam hodie dáre uolo uiáticam:
Ĕo tibi argentúm iubebo iám intus ecferrí foras,
Tú facito opsonátum nobis sít opulentum opsónium.
PI. Égo opsonabo: nám id flagitium sít, mea te grátia
Ét operam dare mi ét ad eam operam fácere sumptum dé tuo.
BA. Át ego nolo dáre te quicquam. PI. Síne. BA. Sino equidem, sí lubet.
Própera amabo. PI. Príus hic adero quám te amare désinam.

SO. Béne med accipis áduenientem, méa soror. BA. Quid ita, ópsecro?
SO. Quía piscatus mèo quidem animo hic tíbi hodie euenít bonus.
BA. Méus ille quidemst. tíbi nunc operam dábo de Mnesilochó, soror,
Ýt hic accipias pótius aurum quám hinc eas cum mílite.
SO. Cúpio. BA. Dabitur ópera. calet aqua: ěamus hinc intro út laues:
Nám ut in naui uécta's, credo tímida's. SO. Aliquantúm, soror:
Sémul hic nescío quí turbare [coépit]: decedámus [hinc].
BA. Séquere hac igitur me íntro lotum, ut sédes lassitúdinem.

ACTVS II.

LVDVS. PISTOCLERVS.

LV. Iam dúdum, Pistoclére, tacitus té sequor
Inspéctans quas tu rés hoc ornatú geras.
Namque íta me di ament, út Lucurgus míhi quidem
Vidétur posse hic ád nequitiam addúcier.
Quo núnc capessis téd hinc aduorsá uia
Cum tánta pompa? PI. Húc. LV. Quid, huc? quis istíc habet?
PI. Amór Voluptas Vénus Venustas Gaúdium
Iocus Lúdus Sermo Suáuisauiátio.
LV. Quid tíbi conmercist cúm dis damnosíssumis?
PI. Malí sunt homines quí bonis dicúnt male.
Tu dís nec recte dícis: non aequóm facis.
LV. An déus est ullus Suáuisauiátio?
PI. An nón putasti esse? hém quam, o Lude, es bárbarus,
Quem ego sápere nimio cénsui plus quám Thalem.
I, stúltior es bárbaro Potício,
Qui tántus natu dĕorum nescis nómina.
LV. Non híc placet mi ornátus. PI. Nemo ergó tibi
Hoc ádparauit: míhi paratumst quoí placet.
LV. Etiám med aduorsum éxordire argútias?
Qui sí decem habeas línguas, mutum esse áddecet.
PI. Non ómnis aetas, Lúde, ludo cónuenit.
Magis únum in mentemst míhi nunc, satis ut cómmode

Pro dígnitate opsóni haec concurét coquos.
LV. Iam pérdidistí té atque me atque operám meam,
Qui tíbi nequiquam saépe monstrauí bene.
PI. Ibidém meam operam pérdidi ego, ubi tú tuam:
Tua dísciplina néc mihi prodest néc tibi.
LV. O praéligatum péctus. PI. Odiosús mihi's:
Tace átque sequere, Lúde, me. LV. Illuc sís uide:
Non paédagogum iám me, set Ludúm uocat.
PI. Non pár uidetur néque sit consentáneum,
Quom hic íntus sit et [úna] cum amica ádcubet
Quomque aúsculetur ét conuiuae alii ádcubent,
Praesénte ibus una paédagogus út siet.
LV. An hóc ad eas res ópsonatumst, ópsecro?
PI. Sperát quidem animus: quo éuenat dis ín manust.
LV. Tu amícam habebis? PI. Quóm uidebis, túm scies.
LV. Immó neque habebis néque sinam: i russúm domum.
PI. Omítte, Lude, ac cáue malo. LV. Quid, cáue malo?
O bárathrum, ubi's nunc? út ego te ussurpém lubens.
[Viuó iam nimio múlto plus quam uólueram.]
Vixísse nimio sátiust iam quam uíuere.
Magístron quemquam dísciplum minitárier?
PI. Iam excéssit mi aetas éx magisterió tuo.
LV. Nil móro discipulos míhi esse plenos sánguinis:
Valéns adflictet mé uociuom uírium.
PI. Fiam, út ego opinor, Hércules, tu autém Linus.
LV. Pol métuo magis ne Phoénix tuis factís fuam
Teque ád patrem esse mórtuom renúntiem.
PI. Satis hístoriarumst. LV. Híc uereri pérdidit:
Occíssus hic homost. écquid in mentémst tibi
Patrém tibi esse? PI. Tíbi ego an tu mihi séruos es?
LV. Conpéndium edepol haút aetati optábile

Fecísti, quom istanc nánctu's inpudéntiam.
Peiór magister té istaec docuit, nón ego.
Nimió's tu ad istas rés discipulus dócilior
Quam ad ílla quae te dócui, ubi operam pérdidi.
Edepól fecisti fúrtum in aetatém malum,
Quom istaéc flagitia mé celauisti ét patrem.
PI. Istáctenus tibi, Lúde, libertás datast
Orátionis: sátis est. sequere hac me ác tace.

CHRVSALVS.

Erílis patria sálue, quam ego biénnio
Postquam hínc in Ephesum ábii conspició lubens.
Salúto te, uicíne Apollo, qui aédibus
Propínquos nostris ádcolis, ueneróque te
Ne Nícobulum mé sinas nostrúm senem
Prius cónuenire quám sodalem uíderim
Mnesílochi Pistoclérum, quem ad epístulam
Mnesílochus missit súper amica Bácchide.

PISTOCLERVS. CHRVSALVS.

PI. Mirúmst me ut redeam te ópere tanto quaésere,
Qui abíre hinc nullo pácto possim, sí uelim:
Ita mé uadatum amóre uinctumque áttines.
CH. Pro di ínmortales, Pístoclerum cónspicor.
O Pístoclere, sálue. PI. Salue, Chrúsale.
CH. Conpéndi uerba múlta iam faciám tibi.
Veníre tu me gaúdes: ego credó tibi.
Hospítium et cenam póllicere, ut cónuenit

Peregre áduenienti: ego aútem uenturum ádnuo.
Salútem tibi ab sodáli solidam núntio.
Rogábis me ubi sit: uénit. PI. Nempe recté ualet?
CH. Istúc uolebam ego éx te percontárier.
PI. Qui scíre possum? CH. Núllus plus. PI. Quemnam ád modum?
CH Quia, sí illa inuentast quám amat, uiuit ét ualet.
[Si non inuenta est, minus ualet moribundusque est.]
Animást amica amánti: si abest, núllus est.
[Si adest, res nulla est, ipsus est, nequam et miser.]
Set tú quid factitásti mandatís super?
PI. Egone út, quod ab illo [me] áttigisset núntius,
Non ínpetratum id áduenienti ei rédderem?
Regiónes colere máuellem Acherúnticas.
CH. Eho,
An ínuenisti Bácchidem? PI. [Et] Samiám quidem.
CH. Vide quaéso nequis tráctet illam indíligens:
Scis tu út confringi uás cito Samiúm solet.
PI. Iamne út soles? CH. Dice úbi ea nunc est, ópsecro.
PI Hic, éxeuntem mé unde aspexistí modo.
CH. Vt istúc est lepidum: próxume uicíniae
Habitát. ecquidnam méminit Mnesilochí? PI. Rogas?
Immo únice unum plúrumi pendít. CH. Papae.
PI. Immo út eam credis? mísere amans desíderat.
CH. Scitum ístuc. PI. Immo, Chrúsale, en, non tántulum
Vmquam íntermittit témpus quin eum nóminet.
CH. Tanto hércle melior. PI. Ímmo . . CH. Immo hercle ábiero
Potiús. PI. Num inuitus rém bene gestam audís eri?
CH. Non rés, set actor míhi cor odio saúciat.

Etiam Épidicum, quam ego fábulam aeque ac me ípsum amo,
Nullam aéque inuitus spécto, si agit Póllio.
Set Bácchis etiam fórtis tibi uissást? PI. Rogas?
Ni nánctus Venerem essem, hánc Iunonem dúcerem.
CH. Edepól, Mnesiloche, ut rem hánc natam esse intéllego,
Quod amés paratumst: quód des inuentóst opus.
Nam istóc fortasse auróst opus. PI. Philippeó quidem.
CH. Atque ĕo fortasse iám opust. PI. Immo etiám prius:
Nam iam húc adueniet míles . . CH. Et milés quidem.
PI. Qui de ámittunda Bácchide aurum hic éxigit.
CH. Aduéniat quando uólt atque ita ne sít morae.
Domíst: non metuo míhi nec quoiquam súpplico,
Dum quidem hóc ualebit péctus perfidiá meum.
Abi íntro: ego hic curábo. tu intus dícito
Mnesílochum adesse Bácchidi. PI. Faciam út iubes.
CH. Negótium ad me hoc áttinet aurárium.
Mille ét ducentos Phílippos tulimus aúreos
Ephesó, quos hospes déhibuit nostró seni:
Inde égo hodie aliquam máchinabor máchinam,
Vt aúrum eficiam amánti erili fílio.
Set fóris concrepuit nóstra: quinam exít foras?

NICOBVLVS. CHRVSALVS.

NI. Ibo ín Piraeum: uíssam ecquaenam aduénerit
In pórtum ex Epheso náuis mercatória.
Nam méus formidat ánimus, nostrum tám díu
Ibi désidere néque redire fílium.

CH. Extéxam ego illum púlcre iam, si dí uolunt.
Hau dórmitandumst: ópus est chruso Chrúsalo.
Adíbo hunc, quem quidem ego hódie faciam hic árietem
Phrixi: íta detondebo aúro usque ad uiuám cutem.
Seruós salutat Nícobulum Chrúsalus.
NI. Pro di ínmortales, Chrúsale, ubi mist fílius?
CH. Quin tú salutem prímum reddis quám dedi?
NI. Salué. set ubinamst Mnésilochus? CH. Viuít, ualet.
NI. Venítne? CH. Venit. NI. Eúax, aspersísti aquam.
Benene úsque ualuit? CH. Páncratice atque athlétice.
NI. Quid hóc qua caussa eum [hínc] in Ephesum mísseram?
Accépitne aurum ab hóspite Archidémide?
CH. Heu, cór mi et cerebrum, Nícobule, fínditur,
Istíus hominis úbi fit quomque méntio.
Tune hóspitem illum nóminas hostém tuum?
NI. Quid ita, ópsecro hercle? CH. Quía edepol certó scio,
Volcánus Luna Sól Dies, di quáttuor,
Scelestiorem núllum inluxere álterum.
NI. Quamne Árchidemidem? [hém.] CH. Quam, inquam, Archidémidem.
NI. Quid fécit? CH. Quid non fécit? quin tu id mé rogas?
Primúmdum infitias íre coepit fílio:
Negáre se debibére tibi trióbulum.
Contínuo [ibi] antiquom hóspitem nostrúm sibi
Mnesílochus aduocáuit, Pelagoném senem:
Eo praésente homini extémplo ostendit súmbulum,
Quem túte dederas ád eum ut ferret fílio.
NI. Quid, úbi ei ostendit súmbulum? CH. Infit dícere
Adúlterinum, nón uerum esse súmbulum:

Adúlterare eum ăibat rebus céteris:
Quotque ínnocenti ei díxit contumélias.
NI. Habétin aurum? id [prímum] mihi dicí uolo.
CH. Postquám quidem praetor récuperatorés dedit,
Damnátus demum, uí coactus réddidit
Mille ét ducentos Phílippos. NI. Tantum déhibuit.
CH. Porro étiam ausculta púgnam quam uoluít dare.
NI. Etiám quid porro? hem, áccipitrina haec núnc erit.
Decéptus sum: Autoluco hóspiti aurum crédidi.
CH. Quin tu aúdi. NI. Hem, auidi ingénium hau pernoram hóspitis.
CH. Postquam aúrum apstulimus, ín nauem conscéndimus
Domí cupientes. fórte ut adsedi ín stega,
Dum [mé] circumspecto, átque ego lembum cónspicor
Longum áps tricone málefico exornárier.
NI. Perii hércle: lembus íllé mihi laedít latus.
CH. Is erát conmunis cum hóspite et praedónibus.
NI. Adeón me fuisse fúngum ut qui illi crédérem,
Quom mi ípsum nomen éius Archidémides
Clamáret dempturum ésse siquid créderem?
CH. Is nóstrae naui lémbus insidiás dabat.
Occépi ego opseruáre eos quamnam rém gerant.
Intérea e portu nóstra nauis sóluitur.
Vbi pórtu eximus, hómines remigió sequi,
Neque aués neque uenti cítius. quoniam séntio
Quae rés gereretur, náuem extemplo státuimus.
Quoniám uident nos stáre, occeperúnt ratem
Seruáre in portu. NI. Édepol mortalís malos.
Quid dénique agitis? CH. Rússum in portum récipimus.
NI. Sapiénter factum a uóbis. quid illi póstea?

CH. Reuórsionem ad térram faciunt uésperi.
NI. Aurum hércle auferre uóluere: ei rei operám dabant.
CH. Non mé fefellit, sénsi: eo exanimatús fui.
Quoniám uidemus aúro insidias fíeri,
Capimús consilium cóntinuo [hoc]: postrídie
Aufértimus aurum omne [íllim] illis praeséntibus
Palam átque aperte, ut ílli id factum scíscerent.
NI. Scite hércle: cedo, quid ílli? CH. Tristes ílico,
Quoniam éxtemplo a portu íre nos cum auró uident,
Subdúcunt lembum cápitibus cassántibus.
Nos àput Theotimum omne aúrum deposíuimus,
Qui illíc sacerdos ést Dianae Éphesiae.
NI. Qui istíc Theotimust? CH. Mégalobusi fílius,
Qui núnc in Ephesost Ephesiis caríssumus.
NI. Ne ille hércle mihi sit múlto tanto cárior,
Si méd illo auro tánto circumdúxerit.
CH. Quin ín eapse aede [dĕae] Dianae cónditumst:
Ibidém puplicitus séruant. NI. Occidístis me:
Nimio híc priuatim séruaretur réctius.
Set nílne [huc] attulístis inde aurí domum?
CH. Immo étiam: uerum quántum attulerit néscio.
NI. Quid, néscis? CH. Quia Mnesílochus noctu clánculum
Deuénit ad Theotímum: nec mihi crédere
Nec quoíquam in naui uóluit. eo ego néscio
Quantum íllim attulerit: uérum hau permultum áttulit.
NI. Etiám dimidium cénses? CH. Non edepól scio:
Verum haút opinor. NI. Fértne partem tértiam?
CH. Non hércle opinor: uérum uerum néscio:
Profécto de auro níl scio nisi néscio.
Nunc tíbimet illuc náui capiundúmst iter,

Vt illút reportes aúrum ab Theotimó domum.
Atque heús tu. NI. Quid uis? CH. Ánulum gnatí tui
Facito út memineris férre. NI. Quid opust ánulo?
CH. Quia id sígnumst cum Theotímo, qui eum illi ádferet,
Ei aúrum ut reddat. NI. Méminero, et recté mones.
Set istíc Theotimus díuesnest? CH. Etiám rogas?
Quine hábeat auro sóccis suppactúm solum?
NI. Quor íta fastidit? CH. Tántas diuitiás habet:
Nescít quid faciat aúro. NI. Mihi duít uelim.
Set quí praesente id aúrum Theotimó datumst?
CH. Populó praesente: núllust Ephesi quín sciat.
NI. Istúc sapienter sáltem fecit fílius,
Quom díuiti homini id aúrum seruandúm dedit:
Ab eó licebit quámuis subito súmere.
CH. Immo, én, tantisper númquam te morábitur,
Quin hábeas illut quó die illuc uéneris.
NI. Censébam me ecfugísse a uita márituma,
Ne náuigarem tándem hoc aetatís senex.
Id [iám] mi utrum uelim haú licere intéllego:
Ita béllus hospes fécit Archidémides.
Vbi núnc est ergo méus Mnesilochus fílius?
CH. Deos átque amicos íit salutatum ád forum.
NI. At ego hínc abeo illum ut cónueniam quantúm potis.
CH. Illést oneratus récte et plus iustó uehit.
Exórsa haec tela nón male omninó mihist,
Vt amántem erilem cópem facerem fílium.
Ita féci, ut auri quántum uellet súmeret,
Quantum aútem lubeat réddere, ut reddát patri.
Senéx in Ephesum [hinc] íbit aurum arcéssere:
Hic nóstra agetur aétas in malacúm modum,

Si quidem híc relinquet néque secum abducét senex
Med ét Mnesilochum. quás ego hic turbás dabo.
Set quíd futurumst, quóm hoc senex rescíuerit?
Quom se éxcucurrisse ílluc frustra scíuerit
Nosque aúrum abussos, quíd mihi fiet póstea?
Credo hércle adueniens nómen mutabít mihi
Faciétque extemplo Crúcisalum me ex Chrúsalo.
Aufúgero hercle, sí magis ussus uénerit.
Si eró repraensus, mácto ego illum infortúnio:
Si illí sunt uirgae rúri, at mihi tergúm domist.
Nunc íbo: erili fílio hanc fabricám dabo
Super aúro amicaque èius inuenta Bácchide.

LVDVS.

Pándite atque aperíte propere iánuam hanc Orci, ópsecro:
Nam équidem haut aliter ésse duco: quíppe quo nemo áduenit
Nísi quem spes relíquere omnes ésse ut frugi póssiet.
Bácchides non Bácchides, set Bácchae sunt acérrumae.
Ápage istas a *mé* sorores, quae hóminum sorbent sánguinem.
Ómnis ad perníciem instructa dómus opime atque ópiparest:
Quaé ut aspexi, mé continuo cóntuli protinam ín pedes.
Égone ut haec conclússa gestem clánculum? ut celém patrem,
Pístoclere, túa flagitia aut dámna aut desidiábula?
[Quíbus patrem et me téque amicosque ómnis adfectás tuos

Ád probrum damnúm flagitium adpéllere una et pérdere.]
Néque mei neque tŭi ted intus púditumst factis quaé facis:
Quíbus tuum patrém meque una amícos adfinís tuos
Tŭa [tu] infamiá fecisti gérulifigulos flágiti.
[Núnc prius quam málum istoc addis cértumst iam dicám patri.]
Dé me hanc culpam démolibor iám et seni faciám palam,
Ýt [ille] eum ex lutulénto coeno própere hinc eliciát foras.

ACTVS III.

MNESILOCHVS (CVM PEDISEQVIS).

Múltimodis meditátus egomet mécum sum et ita esse árbitror:
Hómini amico quíst amicus íta uti nomen póssidet
Nísi deos ei níl praestare: id ópera expertus sum ésse ita.
Nám ut in Ephesum hinc ábii (hoc factumst férme abhinc biénnium),
Éx Epheso huc ad Pístoclerum mèum sodalem líteras
Míssi, amicam ut mi ínueniret Bácchidem. illum intéllego
Ínuenisse, ut méus mi seruos núntiauit Chrúsalus.
Cóndigne is quam téchnam de auro aduórsum meum fecít patrem,
Vt mihi amanti cópia esset. [aéquom uideo id réddere.
Nám pol meo quidem ánimo ingrato hómine nihil inpénsiust.
Málefactorem amítti satiust quám relinqui béneficum.
Nímio inpendiósum praestat té quam ingratum dícier.
Íllum laudabúnt boni: hunc etiam ípsi culpabúnt mali.
Quá me caussa mágis cum cura esse aéquomst: obuigiláto opust.
Núnc, Mnesiloche, spécimen specitur, núnc certamen cérnitur,
Sísne necne ut ésse oportet: málus, bonus quoiquoí modi:

Iústus, iniustús: malignus, lárgus: [tristis,] cómmodus.
Cáue sis te superáre seruom síeris faciundó bene.
Ýtut eris, moneo, haút celabis.] sét eccos uideo incédere
[Měi] patrem sodális et magistrum: aúscultabo hinc quám rem agant.

LVDVS. PHILOXENVS. MNESILOCHVS (CVM PEDISEQVIS).

LV. Núnc experiar sítne aceto tíbi cor acre in péctore:
Séquere. PH. Quo sequár? quo ducis núnc me? LV. Ad illam quaé tuum 406
Pérdidit, pessúm dedit tibi fílium unice únicum.
PH. Héia, Lude: léniter qui saéuiunt sapiúnt magis.
Mínus mirandumst íllaec aetas síquid illorúm facit 409
Quám si non faciát: feci ego istaec ítidem in adulescéntia.
LV. Heí mihi, hei mihi, pérdidit illum ístaec adsentátio
Nam ápsque te esset, égo illum haberem réctum ad ingenium bonum:
Núnc propter te tŭamque prauos fáctus est fidúciam
Pístoclerus. MN. Di ímmortales, mĕum sodalem hic nóminat:
Quíd hoc negotist Pístoclerum Lúdus quod erum támciet? 415
PH. Paúlisper, Lude, ést lubido hómini suo animo ópsequi:
Iam áderit tempus quóm sese etiam ipse óderit. morém geras:
Dúm caueatur praéter aequom néquid delinquát, sine.
LV. Nón sino neque équidem me uiuo íllum conrumpí sinam.

Sét tu qui pro tám conrumpto dícis caussam fílio,
Éademne erat haec dísciplina tíbi, quom tu adulescéns eras?
Négo tibi hoc anní́s uiginti fŭisse primis cópiae,
Dígitum longe a paédagogo pédem ut ecferres aédibus.
Íd quom optigerat, hóc etiam ad malum árcessebatúr malum:
Ét discipulus ét magister pérhibebantur ínprobi.
Ánte solem nísi [tu] exorientem ín palaestram uéneras,
Haú mediocris gúmnasi praeféeto poenas pénderes.
Íbi cursu luctándo disco hásta pugilatú pila
Sáliundo sese éxercebant mágis quam scorto aut sáuiis.
[Íbi suam aetatem éxtendebant, nón in latebrosís locis.]
Índe de hippodromo ét palaestra úbi reuenissés domum,
Cíncticulo praecínctus in sella ăput magistrum adsídercs:
Quóm librum legerés, si [in] una péccauisses súllaba,
Fíeret corium tám maculosum quámst nutricis pállium.
MN. Própter me haec nunc mĕo sodali díci discruciór miser:
Ínnocens suspítionem hanc sústinet caussá mea.
PH. Álii, Lude, núnc sunt mores. LV. Íd equidem ego certó scio.
Nam ólim populi príus honorem cápiebat suffrágio,
Quám magistro désinebat ésse dicto oboédiens.
Át nunc, prius quam séptuennis ést, si attingas ĕum manu,
Éxtemplo puer paédagogo tábula disrumpít caput.
Quóm patrem adeas póstulatum, púero sic dicít pater:
'Nóster esto, dúm te poteris défensare iniúria.'
Próuocatur paédagogus: 'ého senex minumí preti,
Ne áttigas puerum ístac caussa, quándo fecit strénue.'

Fít magister quási lucerna úncto expretus línteo.
Ítur illinc iúre dicto. hócine hic pactó potest
Ínhibere inperiúm magister, sí ipsus primus uápulet?
MN. Ácris postulátio haec est: quom húius dicta intéllego,
Míra sunt ni Pístoclerus Lúdum pugnis cóntudit.
LV. Sét quis hic est quem astántem uideo ante óstium? o Philóxene,
Dèos propitios mé uidere quám illum [hau] mauellém mihi.
PH. Quís illic est? LV. Mnesílochus gnati tùi sodalis [híc quidemst]:
Haút consimili ingénio atque illest quí in lupanari ádcubat.
Fórtunatum Nícobulum, quí illum produxít sibi.
PH. Sáluos sis, Mnesíloche: saluom te áduenire gaúdeo.
MN. Dí te ament, Philóxene. LV. Hic enim ríte productúst patri:
Ín mare it, rem fámiliarem cúrat, custodít domum:
Ópsequens oboédiensquest móri atque inperiís patris.
Íllum meum malúm promptare málim quam pecúlium.
PH. Quídum? LV. Quia, malúm si promptet, ín dies faciát minus.

* * * * * * * * * * * *

Híc sodalis Pístoclero iám puer pueró fuit:
Tríduom non ínterest aetátis ut maiór siet:
Vérum ingenium plús triginta [huic] ánnis maius quam álterist.
PH. Cáue malum et conpésce in illum dícere iniusté. LV. Tace:
Stúltus es qui illí male aegre pátere dici quí facit.

MN. Quíd sodalem mèum castigas, Lúde, discipulúm tuum?
LV. Périit tibi sodális. MN. Ne di síerint. LV. Sic est út loquor:
Quám ego quom períbat uidi, nón ex audito árguo.
MN. Quíd factumst? LV. Meretrícem indigne déperit. MN. Non tú taces?
LV. Ác quae acerrume aéstuosa apsórbet, ubi quemque áttigit.
MN. Ýbi ea mulier hábitat? LV. Hic. MN. Vnde ésse eam aiunt? LV. Éx Samo.
MN. Quís uocatur? LV. Bácchis. MN. Erras, Lúde: ego omnem rém scio
Quem ád modumst: tu Pístoclerum fálso atque insontem árguis.
Nám ille amico et béneuolenti sùo sodali sédulo
Rém mandatam exéquitur: ipsus néque amat nec tu créduas.
LV. Ítane oportet rém mandatam gérere amici sédulo,
Ýt ipsus in gremio aúsculantem múlierem teneát sedens?
Núllon pacto rés mandata pótest agi, nisi idéntidem
Ád papillas mànus ferat, labra á labris nusquam aúferat?
Nám alia memoráre quae illum fácere uidi díspudet:
Quóm manum sub uéstimenta ad córpus tetulit Bácchidi
Mé praesente néque pudere quícquam * * * * *
Míhi discipulus, tíbi sodalis périit, huice fílius:
Nám ego illum perísse dico, quoí quidem periít pudor.
Quíd opust uerbis? si ópperiri uéllem paulispér modo,
Ýt [illi] illius ínspectandi mi ésset maior cópia,
Plús uidissem [míser] opinor quám me atque illo aequóm foret.
MN. Pérdidisti mé, sodalis. égone [ut] illam múlierem

Cápitis non perdám? perire mé malis malím modis.
Sátin ut quem tu habeás fidelem tíbi aut quoi credas néscias?
LV. Víden ut aegre pátitur esse gnátum conrumptúm tuum,
Sŭum sodalem, ut ípsus sese crúciat aegritúdine?
PH. Mnésiloche, hoc tecum óro ut illius ánimum atque ingeniúm regas.
Sérua tibi sodálem et mi [autem] filium. MN. Factúm uolo.
LV. Mélius multo mé quoque una cúm illoc hic relínqueres.
PH. Ádfatim Mnesílocho curaest. LV. Cóncastiga hominém probe,
Quí dedecorat mé te amicum atque álios flagitiís suis.
PH. Ín te ego hoc onus ómne inpono. Lúde, sequere hac mé. LV. Sequor.
MN. Inimíciorem núnc utrum credám magis
Sodálemne esse an Bácchidem incertum ád modumst.
Illum éxoptauit pótius? habeat: óptumest.
Ne illa íllut hercle cúm malo fecít suo:
Nam míhi diuini númquam quisquam créduat,
Ni ego íllam exemplis plúrumis planéque amo.
Ego fáxo hau dicet nánctam quem delússerit:
Nam iám domum ibo atque áliquid subrupiám patri.
[Id isti dabo. ego istanc multis ulciscar modis.]
Adeo égo illam cogam usque út mendicet méus pater.
Set sátin ego animum ménte sincerá gero,
Qui ad húnc modum haec hic quaé futura fábulor?
Amo hércle opinor, út quod pro certó sciam:

Verúm quam illa umquam dé mea pecúnia
Raménta fiat plúmea propénsior,
Mendícum malim méndicando uíncere.
[Sed autem quam illa umquam meis opulentiis
Ramenta fiat grauior aut propensior,
Mori me malim excruciatum inopia.]
Numquam édepol uiuom me ínridebit: nám mihi
Decrétumst renumeráre iam omne aurúm patri.
Igitúr mi inani atque ínopi subblandíbitur
Tum quóm nihilo plus [ád suam rem illut] réferet,
Quam sí ad sepulcrum mórtuo dixít logos.
Profécto stabilest mé patri aurum réddere.
Eadem éxorabo Chrúsalo caussá mea
Patér ne noceat neú quid ei suscénseat,
Mea caússa de auro quód eum ludificátus est.
Nam illi aéquomst me consúlere, qui caussá mea
Mendácium [illut] díxit. uos me séquimini.

ACTVS IIII.

PISTOCLERVS. MNESILOCHVS.

PI. Rébus aliis ánteuortar, Bácchis, quae mandás mihi:
Mnésilochum ut requíram atque ut eum mécum ad te adducám semul.
Nám illut animus méus miratur, si á me tetigit núntius,
Quíd remoretur. íbo ut uissam huc ád eum, si fortést domi.
MN. Réddidi patrí [meo] omne aurum. núnc ego illam mé uelim
Cónuenire, póstquam inanis súm, contemptricém me ma
Sét ueniam mihi quám grauate dèdit pater de Chrúsalo:
Vérum postremo ínpetraui, ut néquid ei suscénseat.
PI. Éstne hic meus sodális? MN. Estne hic hóstis quem aspició meus?
PI. Cérte is est. MN. Is ést. PI. Adibo cóntra et contollám gradum.
Sáluos sis, Mnesíloche. MN. Salue. PI. Sáluos quom peregre áduenis,
Céna detur. MN. Nón placet mi céna quae bilém mouet.
PI. Númquae aduenienti aégritudo obiéctast? MN. Atque acérruma.
PI. Vnde? MN. Ab homine quém mi amicum esse árbitratus sum ántidhac.
PI. Múlti more isto átque exemplo uíuont, quos quom cénseas

Ésse amicos, réperiuntur fálsi falsimóniis,
Língua factiósi, inertes ópera, sublestá fide.
Núllus est quoi nón inuideant rém secundam optíngere:
Síbimet ne inuideátur ipsi ignáuia recté cauent.
MN. Édepol ne tu illórum mores pérquam meditaté tenes.
Sét etiam unum hoc éx ingenio màlo malum inueniúnt suo:
Núlli amici súnt, inimicos ípsi in sese omnís habent.
Átque i se quom frústrant, frustrari álios stolidi exístumant.
Sícut est hic quém esse amicum rátus sum atque ipsus súm mihi:
Ílle quod in se fúit adcuratum hábuit quod possét mali
Fáceret in me, incónciliaret cópias omnís meas.
PI. Ínprobum istunc ésse oportet hóminem. MN. Ego ita esse árbitror.
PI. Ópsecro hercle, elóquere quis is est? MN. Béneuolens uiuít tibi:
Nám ni ita esset, técum orarem ut quód potesses èi mali
Fácere faceres. PI. Díc modo hominem quí sit: si non fécero
Ĕi male aliquo pácto, me esse dícito ignauíssumum.
MN. Néquam homost, uerum hércle amicus ést tibi. PI. Tantó magis
Díc quis est: nequam hóminis [pol] ego párui pendo grátiam.
MN. Vídeo non potésse quin tibi éius nomen éloquar:
Pístoclere, pérdidisti mé sodalem fúnditus.
PI. Quíd istuc est? MN. Quid ést? missine ego ád te ex Epheso epístulam

Súper amica, ut mi ínuenires? PI. Fáteor factum et répperi.
MN. Quí? tibi non meretrícum aliarum érat Athenis cópia,
Quíbuscum haberes rém, nisi cum illa quám ego mandassém tibi
Óccuperes tute [ípse] amare et mi íres consultúm male?
PI. Sánun es? MN. Rem répperi omnem ex tŭo magistro: né nega.
Pérdidisti me. PI. Étiamne ultro tŭis me prolectás probris?
MN. Quíd? amas Bacchidém. PI. Duas ergo hic íntus eccas Bácchides.
MN. Quíd, duae? PI. Atque ambás sorores. MN. Lóqueris nunc nugás sciens.
PI. Póstremo, si pérgis paruam míhi fidem arbitrárier,
Tóllam ego ted in céllum atque intro hinc aúferam. MN. Immo ibó: mane.
PI. Nón maneo neque tú me habebis fálso suspectúm. MN. Sequor.

PARASITVS (CVM PVERO). PISTOCLERVS.

PA. Parasítus ego sum hóminis nequam atque ínprobi,
Milítis qui amicam sécum auexit éx Samo.
Nunc me íre iussit ád eam et percontárier,
Vtrum aúrum reddat ánne eat secúm semul.
Tu dúdum, puere, cúm illac usque istí semul:
Quae harúm sunt aedes, púlta: adi actutum ád foris.
Recédin hinc dierécte? ut pulsat própudium.

Comésse panem trís pedes latúm potes,
Forís pultare néscis. ecquis in aédibust?
Heus, écquis hic est? écquis hoc aperit óstium?
Ecqui éxit? PI. Quid istuc? quaé istaec est pulsátio?
[Quid?] quaé te mala crux ágitat, qui ad istúnc modum
Aliéno uiris tŭas extentes óstio?
Forís paene ecfregísti. quid nunc uís tibi?
PA. Adoléscens, salue. PI. Sálue. set quem quaéritas?
PA. Bacchídem. PI. Vtramne ergo? PA. Níl scio nisi Bácchidem.
Paucís me missit míles ad eam Cléomachus,
Vel út ducentos Phílippos reddat aúreos
Vel ut hínc in Elatiam hódie eat secúm semul.
PI. Non ít: negat esse itúram. abi et renúntia.
Alium ílla amat, non íllum. duc te ab aédibus.
PA. Nimis íracunde. PI. At scín quam iracundús siem?
Ne tíbi [pol] hau longe ós ab infortúniost:
Ita déntifrangibula haéc meis manibus géstiunt
PA. Quom ego húius uerba intérpretor, mihi cáutiost
Ne núcifrangibula excússit ex malís meis.
Tuo égo istaec igitur dícam illi perículo.
PI. Quid aís tu? PA. Ego istuc ílli dicam. PI. Díc mihi,.
Quis tú's? PA. Illius sum íntegumentum córporis.
PI. Nequam ésse oportet quoí tam integumentum ínprobumst.

PA. Sufflátus ille huc uéniet. PI. Disruptúm uelim.
PA. Numquíd uis? PI. Abeas: céleriter factóst opus.
PA. Vale, déntifrangibule. PI. Ét tu, integumentúm, uale.
In eum haéc reuenit rés locum ut quid cónsili
Dem mĕo sodali súper amica nésciam:
Qui irátus renumeráuit omne aurúm patri,
Neque númmus ullust quí reddatur míliti.
Set húc concedam: nám concrepuerúnt fores.
Mnesílochus eccum maéstus progreditúr foras.

MNESILOCHVS. PISTOCLERVS.

MN. Pétulans, proteruo, íracundo ánimo, indomito, incógitato,
Síne modo et modéstia sum, síne bono iure átque honore,
Íncredibilis ínposque animi, ínamabilis, inlépidus uiuo,
Máleuolente génio gnatus: póstremo id mihist quód uolo aliis.
Néquior némo quisquámst neque indígnior
Quoi dí bene faciánt nec quem homo aút amet aut ádeat.
Inimícos quam amícos habére aequiúst me:
Malós quam bonós par magíst me iuuáre.
Ómnibus probris, quae ínprobis uiris
Dígna sunt, dígnior núllus est homo,
Quí patri réddidi quód fuit praé manu.
Crédibile hoc [quoípiamst]? súmne ego améns homo?

[Quí] misere pérdidi me átque operam Chrúsali.
PI. Consólandus híc [nunc] mihíst: ad eum adíbo.
[Heús] Mnesiloche, quíd fit? MN. Perii. PI. Dí meliora fáxint. MN. Perii.
PI. Nón taces, insípiens? MN. Taceam? PI. Sátin [tu] sanus núnc es? MN. Perii.
Múlta mala mi in péctore acria átque acerba núnc eueniunt.
Críminin fidém me habuisse? inmérito iratus tíbi fui.
PI. Héia, habe bonum ánimum. MN. Vnde habeam? plúris quam ego sum mórtuost.
PI. Mílitis parasítus [huc] modo aúrum petere hinc uénerat:
Éum ego meis dictís malis his fóribus atque hac [múliere]
Réppuli reiécique hominem. MN. Quíd id [autem] prodést mihi?
Quíd faciam misér? nil habeo: illé quidem hanc abducét, scio.
PI. [Pól] si mihi sit, nón pollicear. MN. Scío, dares: nouí [tuum],
Ét, nisi ames, nunc tíbi fidem habeam tántam [quantam máxumam].
Sát agitas tu tŭarum rerum: egone út opem ferre putém mihi
Pósse inopem te? PI. Táce modo: respiciet nos aliquís deus.
MN. Núgae. PI. Mane. MN. Quid ést? PI. Tuam copiam éccum uideo Chrúsalum.

CHRVSALVS. MNESILOCHVS. PISTOCLERVS.

CH. Húnc hominem decet aúro expendi: huic státuam statui décet ex auro.
Nám duplum hodie fácinus feci, dúplicibus spoliís sum adfectus.
Ĕrum maiorem méum ita ego hodie lússi lepide, ut lúdificatust.
Cállidum senem cállidis dolis
Cónpuli et pérpuli mi ómnia ut créderet.
Núnc amanti ero, fílio senis,
Quicum égo bibo, quicum édo et amo,
Régias cópias aúreasque óptuli,
Ýt domo súmeret neú foris quaéreret.
Nón mihi istí placent Pármenonés, Suri,
Quí duas, trís minas aúferunt eris.
Néquius níl quam egens cónsili séruos est,
Nísi [is] habet múltipotens péctus, [ut cópias,]
Vbiquomque ussús siet, péctore promát suo.
Núllus frugi ésse homo * * * potest,
Nisi qui ét bene facere et mále tenet.
Ínprobus sit cum ínprobis,
Hárpaget [cum] fúribus,
Quód queat. uórsipellem ésse hominem cónuenit,
Péctus quoi sapit.
Bonús sit bonís,
Malús sit malís:
Vt quaéquomque rés est, ita ánimum habeat [úsque].
Sét lubet scíre quantum aúrum erus sibi
Démpsit et quíd suo réddidit patri.
Sí frugist, Hérculem fécit ex patre:

Décumam partem ĕi dedit, síbi nouem apstulit.
Sét quem quaero, óptume ecce óbuiam mihist.
Númqui tibi nummi éxciderunt, ére, quod sic terrám [tacens]
Óptuere? quíd uos maestos tám tristisque cónspicor?
Nón placet nec témerest. etiam quíd respondetís mihi?
MN. Chrúsale, occidí. CH. Fortassis tu aúri dempsistí parum?
MN. Quíd, malum, parum? ímmo uero nímis multo minus [quám] parum.
CH. Quíd [malum] igitur, stúlte, quoniam occássio ad eam rém fuit
Mĕa uirtute párta ut quantum uélles tantum súmeres,
Síc hoc digitulís duobus súmebas primóribus?
Án nescibas, quam ĕius modi homini ráro tempus sé daret?
MN. Érras. CH. At quidem túte errasti, quóm parum inmersti ámpliter.
MN. Pól tu quam nunc méd accusses mágis, si magis rem nóueris.
Óccidi. CH. Animus iám istoc dicto plús praesagitúr mali.
MN. Périi. CH. Quid ita? MN. Quía patri omne cúm ramento réddidi.
CH. Réddidisti? MN. Réddidi. CH. Omnene? MN. Óppido. CH. Occissí sumus.
Quí in mentem uenít tibi istuc fácinus facere tám malum?
MN. Bácchidem atque hunc súspicabar própter crimen, Chrúsale,
Mále mi consuluísse: ob eam rem omne aúrum iratus réddidi

Mèo patri. CH. Quid, úbi reddebas aúrum, dixistí patri?
MN. Mé id aurum accepísse extemplo ab hóspite Archidémide. CH. Hem,
Ístoc dicto [tú] dedisti hodie ín cruciatum Chrúsalum:
Nam úbi me aspiciet, ád carnuficem rápiet continuó senex.
MN. Égo patrem exoráui. CH. Nempe ergo hóc ut faceret quód loquor?
MN. Ímmo tibi ne nóceat neu quid ób eam rem suscénseat.
Átque aegre inpetráui. nunc hoc tíbi curandumst, Chrúsale . .
CH. Quíd uis curem? MN. Vt ád senem etiam [tu] álteram faciás uiam.
Cónpara fabricáre finge quód lubet, conglútina,
Vt senem hodie indóctum docte fállas aurumque aúferas.
CH. Víx uidetur fíeri posse. MN. Pérge, ac facile ecféceris.
CH. Quám malum facile, quém mendaci praéndit manufestúm modo?
Quém si [ego] orem ut níl mihi credat, íd non aussit crédere.
MN. Ímmo si audiás quae dicta díxit me aduorsúm tibi.
CH. Quíd dixit? MN. Si tú illum solem síbi solem esse díxeris,
Sé illum lunam crédere esse et nóctem qùi nunc ést dies.
CH. Émungam hercle hominém probe hodie, né id nequiquam díxerit.
PI. Núnc quid nos uis fácere? CH. Enim nil nísi ut ametis ínpero.
Céterum quantúm lubet me póscitote aurum: égo dabo.

Quíd mihi refert Chrúsalo esse nómen, nisi factís probo?
Sét nunc quantillum íssust auri tíbi, Mnesiloche, díc mihi.
MN. Míliti nummís ducentis iam íssus est pro Bácchide.
CH. Égo dabo. MN. Tum nóbis opus est súmptu. CH. Ah, placidé uolo
Ýnum quicque agámus: hoc ubi égero, tum istúc agam.
Dé ducentis númmis primum inténdam ballistam ín senem.
Ěa ballista sí peruortam túrrim et propugnácula,
Récta porta inuádam extemplo in óppidum antiquom ét uetus:
Sí id capso, geritóte amicis uóstris aurum córbibus,
Sícut animus spérat. PI. Aput test ánimus noster, Chrúsale.
CH. Núnc tu abi intro, Pístoclere, ad Bácchidem atque ecfér cito . .
PI. Quíd? CH. Stilum cerám tabellas línum. PI. Iam faxo híc erunt.
MN. Quíd nunc es factúrus? id mihi díc. CH. Coctum esto prándium:
Vós duo eritis átque amica túa erit tecum tértia.
MN. Sícut dicis. CH. Pístoclero núlla amicast? MN. Ímmo adest:
Álteram ille amát sororem, ego álteram, ambas Bácchides.
CH. Quíd tu loquere? MN. Hoc, út futuri súmus. CH. Vbist biclínium
Vóbis stratum? MN. Quíd id exquaeris? CH. Rés itast: dicí uolo.
Néscis quid ego actúrus sim neque fácinus quantum exórdiar.

MN. Cédo manum ac supséquere propius me ád foris. intro ínspice.
CH. Euax,
Nímis [hic] bellus átque ut esse máxume optabám locust.
PI. Quae ínperauisti: ínperatum béne bonis factum ílicost. 726
CH. Quíd parasti? PI. Quaé parare tú [me] iussisti ómnia.
CH. Cápe stilum propere ét tabellas tu hás tibi. MN. Quid póstea?
CH. Quód iubebo scríbito istic: nám propterea [té] uolo
Scríbere, ut patér cognoscat líteras, quandó legat. 730
Scríbe. MN. Quid scribám? CH. Salutem tŭo patri uerbís tuis.
PI. Quíd si potius mórbum, mortem scríbat? id erit réctius.
CH. Né interturba. MN. Iam ínperatum in céra inest. CH. Dic quem ád modum?
MN. 'Mnésilochus salútem dicit sŭo patri.' CH. Ascribe hóc cito: 734
'Chrúsalus mihi úsque quaque lóquitur nec recté, pater,
Quía tibi aurum réddidi et quia nón te defraudáuerim.'
PI. Máne dum scribit. CH. Célerem oportet ésse amatorís manum.
PI. Haéc quidem herclest [ád] perdundum mágis quam ad scribundúm cita.
MN. Lóquere: hoc scriptumst. CH. 'Núnc, pater mi, prŏin tu ab eo ut caueás tibi,
Súcophantiás conponit, aúrum ut aps te [id] aúferat: 740
Ét profecto se áblaturum díxit.' plane ascríbito.
MN. Díc modo. CH. 'Atque id póllicetur sé daturum aurúm mihi,

Quód dem scortis quódque in lustris cómedim et congraecém, pater.
Sét, pater, uide né tibi hodie uérba det: quaesó caue.'
MN. Lóquere porro. CH. Ascríbedum etiam. MN. Lóquere quid scribám modo.
CH. 'Sét, pater, quod prómissisti míhi te quaeso ut mémineris,
Né illum uerberés, uerum aput te uínctum adseruató domi.'
Cédo tu ceram ac línum actutum. age óbliga, opsigná cito.
MN. Ópsecro, quid istís ad istunc íssust conscriptís modum,
Ýt tibi nequid crédat atque ut uínctum te adseruét domi?
CH. Quía lubet ita: pótin ut cures te átque ut ne parcás mihi?
Mèa fiducia ópus conduxi et mĕo periclo rém gero.
MN. Aéquom dicis. CH. Cédo tabellas. MN. Áccipe CH. Animum aduórtite.
Mnésiloche et tu Pístoclere, iám facite in biclínio
Cúm amica sua utérque adcubitum eátis: ita negótiumst:
Átque ibidem ubi núnc sunt lecti stráti potetís cito.
PI. Númquid aliut? CH. Hóc atque etiam: úbi erit adcubitúm semel,
Né quoquam exurgátis, donec á me erit signúm datum.
PI. Ó inperatorém probum. CH. Iam bís bibisse opórtuit.
MN. Eúge eamus. CH. Vós curate uóstrum, ego efficiám meum.
Insánum magnum mólior negótium
Metuóque ut hodie póssiem emolírier.
Set núnc truculento mi átque saeuo ussús senest.

Nam nón conducit huíce sucophántiae
Seném tranquillum esse, úbi me [contra] aspéxerit.
Vorsábo ego illunc hódie si uiuó probe.
Tam fríctum ego illum réddam, quam frictúmst cicer.
Adámbulabo ad óstium, ut quando éxeat
Extémplo aduenienti ĕi tabellas dem ín manum.

NICOBVLVS. CHRVSALVS. (LORARIVS.)

NI. Nimio íllaec res est mágnae diuidiaé mihi,
Suptérfugisse síc mihi hodie Chrúsalum.
CH. Saluós sum: iratus ést senex. nunc ést mihi
Adeúndi ad hominem témpus. NI. Quis loquitúr prope?
Atque híc quidem, opinor, Chrúsalust. CH. Accés-sero.
NI. Bone sérue, salue: quíd fit? quam mox náuigo
In Éphesum, ut aurum répetam ab Theotimó do-mum?
Tacés? per omnis dĕos adiuro, ní meum
Gnatúm tam amem atque ei fácta cupiam quae ís uelit,
*   *   *   *   *   *   *   *
Vt túa iam uirgis látera lacerentúr probe
Ferrátusque in pistríno aetatem cónteras.
Omnía resciui scélera ex Mnesilochó tua.
CH. Men críminatust? óptumest: ego súm malus,
Ego súm sacer, sceléstus. specta rém modo.
Ego uérbum [nullum] fáciam. NI. Etiam, cár-nufex,

Minitáre? CH. Nosces tú illum actutum quális sit.
Nunc hás tabellas férre me iussít tibi:
Orábat quod istic ésset scriptum ut fíeret.
NI. Cedo. CH. Nósce signum. NI. Nóui. ubi ipsest? CH. Néscio.
Nil iám me oportet scíre: oblitus sum ómnia.
Scio mé esse seruom: néscio etiam id quód scio.
Nunc áb transenna hic túrdus lumbricúm petit:
Pendébit hodie púlcre, ita intendí tenus.
NI. Manedúm parumper: iam éxeo ad te, Chrúsale.
CH. Vt uérba mihi dat: út nescio quam rém gerat.
Serués arcessit íntus, qui me uínciant.
Bene năuis agitatur, púlcre haec confertúr ratis.
Set cónticiscam: nam aúdio aperirí foris.
NI. Constrínge tu illic, Ártamo, actutúm manus.
CH. Quid féci? NI. Inpinge púgnum, si muttíuerit.
Quid haé locuntur líterae? CH. Quid mé rogas?
Vt áb illo accepi, ad te ópsignatas áttuli.
NI. Eho tú, [scelus,] loquitátusne es gnató meo
Male pér sermonem, quía mi id aurum réddidit,
Et té dixisti id aúrum ablaturúm tamen
Per súcophantiam? CH. Égone dixi istúc? NI. Ita.
CH. Quis homóst qui dicat mé dixisse istúc? NI. Tace.
Nullús homo dicit: haé tabellae te árguont,
Quas tu áttulisti: en, haé te uincirí iubent.
CH. Ah, Bélleroplontem túus me fecit fílius:
Egomét tabellas tétuli ut uincirér: sine.
NI. Proptérea hoc facio, ut suádeas gnató meo
Vt pérgraecetur técum, teruenéfice.
CH. O stúlte, stulte, néscis nunc ueníre te:
Atque ín eopse astas lápide, ut praeco praédicat.

NI. Respónde: quis me uéndit? CH. Quem di díligunt,
Aduléscens moritur, dúm ualet sentít sapit.
Hunc si úllus deus amáret, plus annís decem,
Plus iám uiginti mórtuom esse opórtuit.
Terrae ódium [iam pridem] ámbulat: tam níl sapit
Nec séntit: tantist quántist fungus pútidus.
NI. Tun térrae me odium esse aútumas? abdúcite hunc
Intro átque astringite ád columnam fórtiter.
Numquam aúferes hinc aúrum. CH. Atqui iám dabis.
NI. Dabo? CH. Átque orabis mé quidem ultro ut aúferam,
Quom illúm rescisces crímiuatorém meum
Quanto ín periclo et quánta in pernicié siet.
Tum líbertatem Chrúsalo largíbere:
Ego ádeo numquam accípiam. NI. Dic, scelerúm caput,
Dic, quó in periclost méus Mnesilochus fílius?
CH. Sequere hác me: faxo iám scies. NI. Quo géntium?
CH. Tris únos passus. NI. Vél decem. CH. Agedum tu Ártamo
Forem hánc pausillulum áperi: placide, né crepa.
Sat ést. accede huc [núnc] tu. uiden conuíuium?
NI. Video éxaduorsum Pístoclerum et Bácchidem.
CH. Qui súnt in lecto illo áltero? NI. Interií miser.
CH. Nouístine hominem? NI. Nóui. CH. Dic sodés mihi,
Bellán uidetur spécie mulier? NI. Ád modum.

CH. Quid? illám meretricemne ésse censes? NI. Quíppeni?
CH. Frustrá's. NI. Quis igitur ópsecrost? CH. Inuéneris:
Ex mé quidem hodie númquam fies cértior.

CLEOMACHVS. NICOBVLVS. CHRVSALVS.

CL. Meamne híc Mnesilochus Nícobuli fílius
Per uím ut retineat múlierem? quae haec fáctiost?
NI. Quis illést? CH. Per tempus híc uenit milés mihi.
CL. Non me árbitratur mílitem set múlierem,
Qui mé meosque nón queam defféndere.
Nam néque Duellona mi úmquam neque Mars créduat,
Ni illum éxanimalem fáxo, si conuénero,
Niue éxheredem fécero uitaé suae.
NI. Chrusále, quis illest quí minitatur fílio?
CH. Vir hic ést illius múlieris quicum ádcubat.
NI. Quid, uír? CH. Vir, inquam. NI. Núptanest illa, ópsecro?
CH. Scies haú multo post. NI. Óppido interií miser.
CH. Quid núnc? scelestus tíbi uidetur Chrúsalus?
Age núnc uincito me, aúscultato fílio.
Dixín tibi ego illum te ínuenturum quális sit?
NI. Quid núnc ego faciam? CH. Iúbe sis me exoluí cito:
Nam ní ego exoluor, iám manufesto hominem ópprimet.

CL. Nihil ést lucri quod me hódie facere máuelim
Quam illúm cubantem cúm illa opprimere, ambo út necem.
CH. Audín quae loquitur? quín tu me exoluí iubes?
NI. Exóluite istum. périi, pertimuí miser.
CL. Tum illám quae corpus púplicat uolgó suum
Faxó se hau dicat nánctam quem derídeat.
CH. Pacísci cum illo paúlula pecúnia
Potís. NI. Pacisce ergo ópsecro quod tíbi lubet,
Dum né manufesto hominem ópprimat neue énicet.
CL. Nunc nísi ducenti Phílippi reddantúr mihi,
Iam illórum ego animam ambórum exorbebo óppido.
NI. Cum illóc pacisce, sí potes. perge ópsecro:
Pacísce quiduis. CH. Íbo et faciam sédulo.
Quid clámas? CL. Vbi erus túus est? CH. Nusquam: néscio.
Vis tíbi ducentos númmos iam promíttier,
Vt né clamorem hic fácias neu conuítium?
CL. Nihil ést quod malim. CH. Atque út tibi mala multa íngeram?
CL. Tuo árbitratu. CH. Vt súbblanditur cárnufex.
Pater híc Mnesilochist: séquere, is promittét tibi.
Tu aurúm rogato. céterum uerbúm sat est.
NI. Quid fít? CH. Ducentis Phílippis pepigi. NI. Váh, Salus,
Me séruauisti. ehém, quam mox dicó 'dabo'?
CH. Roga húnc tu, tu promítte huic. NI. Promittó: roga.
CL. Ducéntos nummos aúreos Philippós probos
Dabín? CH. 'Dabuntur' ínque: respondé. NI. Dabo.
CH. Quid núnc, inpure? númquid debibetúr tíbi?

Quid illí molestu's? quíd illum morte térritas?
Et égo te et ille mactámus infortúnio.
Si tíbist machaera, at nóbis ueruinást domi:
Qua quĭdem te faciam, sí tu me inritáueris,
Confóssiorem sóricina nénia.
Iam dúdum hercle equidem séntio, suspítio
Quae té sollicitet: éum esse cum illa múliere.
CL. Immo ést quoque. CH. Ita me Iúppiter Iunó Ceres
Minérua Spes Latóna Opis Virtús Venus
Castór Polluces Márs Mercurius Hércules
Submánus Sol Satúrnus dique omnés ament,
Vt ílle cum illa néque cubat neque ámbulat
Neque aúsculatur néque illut quod dicí solet.
NI. Vt iúrat: seruat mé ille suis periúriis.
CL. Vbi núnc Mnesilochus érgost? CH. Rus missít pater:
Illa aútem in arcem [hinc] ábiit aedem uíssere
Minéruae. nunc apértast: i, uisse éstne ibi.
CL. Abeo ád forum igitur. CH. Vél [tu] hercle in malám crucem.
CL. Hodie éxigam aurum hoc? CH. Éxige ac suspénde te:
Ne súpplicare, homo níhili, [tibi nos] cénseas.
Illést amotus. síne me, per te, ere, ópsecro
Deos ínmortalis, íre huc intro ad fílium.
NI. Quid eó [nam] intro ibis? CH. Ýt eum dictis plúrumis
Castígem, quom haec hic fácta ad hunc faciát modum.
NI. Immo óro ut facias, Chrúsale, et ted ópsecro,
Caue pársis in eum dícere. CH Etiam mé mones?

Satin ést si plura ex me aúdiet hodié mala
Quam audíuit umquam Clínia ex Demétrio ?
NI. Lippi íllic oculi séruos est simíllumus:
Si nón est, nolis ésse neque desíderes:
Si est, ápstinere quín attingas nón queas.
Nam ní illic hodie fórte fortuna híc foret,
Milés Mnesilochum cum úxore opprimerét sua
Atque óptruncaret moéchum manufestárium.
Nunc quási ducentis Phílippis emi fílium,
Quos dáre promissi míliti: quos nón dabo
Temere étiam prius quam fílium conuénero.
Numquam édepol quicquam témere credam Chrúsalo.
Verúm lubet etiam mi hás pellegere dénuo:
Aequómst tabellis cónsignatis crédere.

ACTVS V.

CHRYSALVS.

Atrídae duo fratrés cluent fecísse facinus máxumum,
Quom Príami patriam Pérgamum diuína moenitúm manu
Armís equis exércitu atque exímiis bellatóribus
[Et] mílle numero náuium decumo ánno post subégerunt.
Non péius termentó ruit, praeut égo erum expugnabó meum
Sine clásse sineque exércitu et tánto numero mílitum.
Cepi, éxpugnaui amánti erili fílio aurum ab sŭo patre:
Nunc húc prius quam senéx uenit, lubet lámentari, dum éxeat.
O Tróia, o patria, o Pérgamum: o Príame, periistí senex,
Qui mísere male mulcábere quadrigéntis Philippis aúreis.
Nam ego hás tabellas ópsignatas, cónsignatas quás fero,
Non súnt tabellae, sét equos quem missére Achiui lígneum.
Epíust Pistoclérus: ab eo haec súmpta. Mnesilochús Sinost
Relíctus. ellum: nón in busto Achílli, set in lecto ádcubat:
Bacchídem habet secum, ille ólim [ut] habuit ígnem qu signúm daret:
Nunc ipsum exurit. égo sum Vlixes, quóius consilio haéc gerunt.

Tum quae híc sunt scriptae líterae, hoc ínsunt in equo mílites
Armáti atque animatí probe. ita rés successit mi úsque adhuc.
Atque híc equos non in árcem, uerum in árcam faciet ínpetum.
Exítium excidium exlécebra fiet híc equos hodie auró senis.
Nostró seni huic stolido, èi profecto nómen facio ego Ílio.
Milés Menelaust, égo Agamemno: idém [sum] Vlixes Lártius:
Mnesílochust Alexandér, qui erit exítio rei patriaé suae:
Is Hélenam abduxit, quóia caussa núnc facio opsidium Ílio.
Nam illi ítidem Vlixem audíui, ut ego sum, fŭisse et audacem ét malum
Doli égo depraensus sum: ílle mendicans paéne inuentus ínteriit,
Dum exquaérit ibi facta Íliorum. adsímiliter mi hodie óptigit:
Vinctús [fui], set dolís me exemi: item ílle se seruauít dolis.
Ílio tria fŭisse audiui fáta, quae illi fŭere exitio:
Sígnum ex arce sí perisset: álterum autemst Tróili mors:
Tértium, quom pórtae Phrugiae límen superum scínderetur.
Pária item tria èis tribus sunt fáta nostro huic Ílio.
Nam dúdum primo ut díxeram nostró seni mendácium
Et de hóspite et de auro ét de lembo, ibi sígnum ex arce iam ápstuli.

Iam dúo restabant fáta tunc, nec mágis id ceperam óppidum.
Post úbi tabellas ád senem tetuli, íbi [ego] occidi Tróilum.
Quom cénsuit Mnesílochum cum uxore ésse dudum mílitis,
Ibi uíx me exolui: atque íd periclum adsímulo, Vlixem ut praédicant
Ab Hélena cognitum ésse proditum Hécubae. set ut olim ílle se
Blandítiis [ab illa] exémit et persuássit se ut amítteret,
Item égo dolis me illo éxtuli e períclo et decepí senem.
Post cúm magnufico mílite, urbis uérbis qui inermús capit,
Conflíxi atque hominem réppuli. dein púgnam conseruí seni:
Eum ego ádeo uno mendácio deuíci, uno ictu extémpulo
Cepi [áb eo] spolia. is núnc ducentos númmos Philippos míliti
Quos dáre se promissít dabit. * * * * *
Nunc álteris etiám ducentis únssus est, capto Ílio
Qui díspensentur, út sit mulsum quí triumphent mílites.
Set Príamus hic multo ílli praestat: nón quinquagintá modo,
Quadrigéntos filiós habet atque ómnis lectos síne probro:
Eos égo hodie omnis cóntruncabo dŭobus solis íctibus.
Nunc Príamo nostro síst quis emptor, cómptionalém senem
Vendam égo, uenalem quem hábeo, extemplo ubi óppidum expugnáuero.
Set Príamum astantem eccum ánte portam uídeo. adibo atque ádloquar.

NICOBVLVS. CHRVSALVS.

NI. Quóianam uox própe me sonat? CH. O Nícobule. NI. Quíd fit? [CH. Euge.]
NI. Quíd? quod te missi écquid egisti? CH. [Hém,] rogas? congrédere. NI. Gradior.
CH. Óptumus sum orátor: hominem ad lácrumas coegi cástigando
Máleque dictis, quaé quidem quiui cónminisci. NI. Quíd ait? CH. Verbum
Núllum fecit: lácrumans tacitus aúscultabat quae égo loquebar:
Tácitus conscripsít tabellas: ópsignatas hás dedit mi:
Tíbi me iussit dáre. set metuo né idem cantent quód priores.
Nósce signum: estne éius? NI. Noui: lúbet pellegere has. CH. Péllege.
Nunc súperum limen scínditur, nunc [própe] adest exitium Ílio.
Turbát equos lepide lígneus. NI. Chrusále, ades dum ego has péllego.
CH. Quíd me tibi adesse ópus est [quaeso]? NI. Ýt scias quae scrípta sint hic.
CH. Níl moror neque scíre uolo [ego]. NI. Támen ades. CH. Quid ópus est? NI. Taceas.
CH. Nólo, inquam. NI. At uolo, ínquam. CH. Quid opust? NI. Át enim quod te iúbeo facias.
CH. Ádero: iustumst tùus tibi seruos tuo árbitratu séruiat. NI. [Vah,]
Cérae hau parsit néque stilo: set quídquid est, pellégere certumst.

Hóc age nunc ïam. CH. Ýbi lubet recitá sis: tibi dico aúrium operam.
NI. Eúge literás minutas. CH. Quí quidem uideát parum [oculis]:
Vérum qui satis uídeat, grandes sátis sunt. NI. Animum aduórtito igitur.
'Patér, ducentos Phílippos quaeso Chrúsalo
Da, sí esse saluom uís me aut uitalém tibi.'
CH. Malúm quidem hercle mágnum: tibi dicó. NI. Quid est?
CH. Non príus salutem scrípsit? NI. Nusquam séntio.
CH. Inde á principio iam ínpudens epístulast.
Non dábis, si sapies: uérum si das máxume,
Ne ille álium gerulum quaérat, si sapiét, sibi:
Nam ego nón laturus súm, si iubeas máxume.
Sat síc suspectus súm, quom careo nóxia.
NI. Auscúlta porro, dúm hoc quod scriptumst péllego.
'Pudét prodire mé ad te in conspectúm, pater:
Tantúm flagitium té scire audiuí meum,
Quod cúm peregrini cúbui uxore mílitis.'
Pol haú derides: nám ducentis aúreis
Philippís redemi uítam ex flagitió tuam.
CH. Nihil ést illorum, quín ego illi díxerim.
NI. 'Stulté fecisse fáteor: set quaesó, pater,
Ne me, ín stultitia sí deliqui, déseras.
Ego ánimo cupido atque óculis indomitís fui:
Persuássumst facere quòius me nunc factí pudet.'
Prius cáuisse ergo quám pudere aequóm fuit.
CH. Eadem ístaec uerba dúdum dixi illi ómnia.
NI. 'Quaeso út sat habeas íd, pater, quod Chrúsalus

Med óbiurgauit plúrumis uerbís malis
Et mé meliorem fécit praeceptís suis,
Vt té ei habere grátiam aequom sít bonam.'
CH. Estne ístuc istic scríptum? NI. En specta, túm scies.
CH. Vt quí deliquit súpplex est ultro ómnibus.
NI. 'Nunc sí me fas est [órare etiam] aps té, pater,
Da míhi ducentos númmos Philippos, te ópsecro.'
CH. Ne unúm quidem hercle, sí sapis. NI. Sine péllegam:
'Ego iús iurandum uérbis conceptís dedi,
Datúrum id me hodie múlieri ante uésperum
Prius quam á me abiret. núnc, pater, ne péierem
Cura átque abduce me hínc ab hac quantúm potis,
Quam própter tantum dámni feci et flágiti.
Caue tíbi ducenti númmi diuidiaé fuant:
Sescénta tanta réddam si uiuó tibi.
Vale átque haec cura.' quíd nunc censes, Chrúsale?
CH. Nil égo tibi hodie cónsili quicquám dabo
Neque ego haút conmittam ut, síquid peccatúm siet,
Fecísse dicas dé mea senténtia.
Verum, út ego opinor, égo si in istoc sím loco,
Dem pótius aurum quám illum conrumpí sinam.
Duae cónditiones súnt: utram accipiás uide:
Vel ut aúrum perdas uél ut amator péieret.
Ego néque te iubeo néque uoto neque suádeo.
NI. Miserét me illius. CH. Túus est: non mirum facis.
Si plús perdundum sít, perisse sátius est
Quam illút flagitium uólgo dispaléscere.

NI. Ne ille édepol Ephesi múlto mauellém foret,
Dum sáluos esset, quám reuenissét domum.
Quin égo istic quod perdúndumst properem pérdere?
Binós ducentos Phílippos iam intus écferam:
Et míliti quos dúdum promissí miser
Et ístos. mane istic: iam éxeo ad te, Chrúsale.
CH. Fit uásta Troia, scíndunt proceres Pérgamum.
Sciui égo iam dudum fóre me exitium Pérgamo.
Edepól qui me esse dícat cruciatú malo
Dignúm, ne cum illo pígnus haut aussím dare:
Tantás turbellas fácio. set crepuít foris:
Ecfértur praeda ex Tróia. taceam núnc ïam.
NI. Cape hóc tibi aurum, Chrúsale: i, fer fílio.
Ego ád forum autem hinc íbo, absoluam mílitem.
CH. Non équidem accipiam: prȍin tu quaeras quí ferat.
Nolo égo mi credi. NI. Cápe uero: odiosé facis.
CH. Non équidem capiam. NI. At quaéso. CH. Dico ut rés se habet.
NI. Moráre. CH. Nolo, inquam, aúrum concredí mihi.
Vel da áliquem qui me séruet. NI. Odiosé facis.
CH. Cedo, sí necessest. NI. Cúra hoc. iam ego huc reuénero.
CH. Curátumst esse té senem misérrumum.
Hoc ést incepta ecfícere pulcre: uél mihi
Vt óuans praeda onústus incedam éuenit.
Salúte nostra atque úrbe capta pér dolum
Exércitum integrum ómnem redducó domum.

Set, spéctatores, uós nunc ne mirémini
Quod nón triumpho: péruolgatumst, níl moror.
Verúm tamen accipiéntur mulso mílites.
Nunc hánc praedam omnem iám ad quaestorem déferam.

ACTVS VI.

PHILOXENVS.

Quam mágis in pectore mèo foueo, quas méus filius turbás turbet,
Quam sé ad uitam et quos ád mores praecípitem inscitus capéssat:
Magis cúraest magisque adfórmido, ne is péreat neu conrúmpatur.
Scio: fúi ego illa aetate ét feci illa omnía, set more modésto.
Duxi hábui scortum pótaui edí donaui: at enim íd raro.
Neque plácitant mores quíbus uideo gnatís uolgo esse paréntis. 1081
Ego dáre ludum gnato ínstitui, animo ópsequium ut sumére possit:
Aequom ésse puto: set nímis nolo desídiae. nunc Mnesílochum
Quod mándaui uisso écquid eum [mi] ad frúgem opera sua cónpulerit: 1085
Sicút eum, si conuénit, scio fecísse: eo ingenio gnátust.

NICOBVLVS. PHILOXENVS.

NI. Quiquómque [ubi] ubique sunt, quí fuerunt quiqué futuri sunt pósthac
Stultí stolídi fatuí fungi bardí blenni buccónes,

Solús ego omnis longe ántideo stultítia et moribus índoctis.
Perii: pudet: hocine me aétatis ludós bis factum esse índigne?
Quam mágis id reputo, tám magis uror, quaé meus filius túrbauit.
Perdítus sum atque etiam erádicatus sum: ómnibus exemplís crucior.
Omnía me mala conséctantur, omníbus exitiis ínterii.
Chrusálus me hodie deláccrauit, Chrusálus me miserum spóliauit:
Is mé scelus auro usque áttondit dolis dóctis indoctum út lubitumst.
Ita míles memorat méretricem esse eam quám ille uxorem esse áiebat:
Omníaque ut quicque actúmst memorauit: ĕam sibi hunc annum cónductam:
Relicúom id auri factúm quod ego ei stultíssumus homo promíssissem.
Hoc hoc ést quo [pectus] péracescit, hoc est démum quod percrúcior:
[Me hoc aetatis ludificari: immo edepol sic ludos factum]
Canó capite atque albá barba miserúm me auro esse emúnctum.
Perii, hóc seruom meum nón nauci facere ésse aussum. atque ego, si álibi
Plus pérdiderim, minus aégre habeam minusque íd mihi damno dúcam.
PH. Certo híc prope me mihi néscio quis loquí uíssust. set quem uídeo?

Hic quidemst pater Mnesilochi. NI. Eúge, socium aerúmnae et mei mali uídeo.
Philoxéne, salue. PH. Et tu, unde ágis? NI. Vnde homo miser átque infortunátus.
PH. At pól ego ibi sum, esse ubi míserum hominem decet átque infortunátum.
NI. Igitúr pari fortuna, aétate ut sumus, útimur. PH. Sic est. sét tu,
Quíd tibist? NI. Pól mihi [aegrést] idem quód tibi.
PH. Númquidnam ad filium haec aégritudo áttinet?
NI. Ád modum. PH. Idém mihi mórbus in péctorest.
NI. Át mihi Chrúsalus óptumus homó [meum]
Pérdidit fílium, me átque rem omném meam.
PH. Quíd tibi ex fílio nam, ópsecro, aegrést? NI. Scies:
Périit is cúm tuo: aeque ámbo amicás habent.
PH. Quí scis? NI. Vidi. PH. Heí mihi [mísero]: dispérii.
NI. Quíd dubitamus púltare atque huc éuocare ambós foras?
PH. Haú moror. NI. Heus Bácchis, iube sis áctutum aperirí foris,
Nísi mauoltis fŏris et postis cónminui secúribus.

BACCHIDES (BACCHIS. SOROR). NICOBVLVS. PHILOXENVS.

BA. Quis sónitu ac tumúltu tantó nominát me atque púltat hasce aédis?
NI. Ego átque hic. BA. Quid hóc est negóti nam, amábo? quis ouis huc adégit?

NI. Ouís nos uocánt pessumaé. SO. Pastor hárum
Dormít, quom eunt síc a pecú palitántes.
BA. At haú pol nitént: sordidae ámbae uidéntur.
SO. Attónsae quidem ámbae usque súnt. PH. Vt uidéntur
Derídere nós. NI. Sine suo úsque arbitrátu.
BA. Rerín ter tu in ánno has [ouís] tonsitári?
SO. Pol hódie altera [haéc] iam bis détonsa cértost.
BA. Vetulaé sunt minae ámbae. SO. At bonás fuisse crédo.
BA. Vidén limulís, opsecro, út contuéntur?
SO. Ecástor sine ómni arbitrór malitia ésse.
PH. Merito hóc nobis fít, qui quidem húc uenerímus.
BA. Cogántur quidem íntro. SO. Hausció quid eo opús sit:
Quae néc lacté néc lanam habént: sic sine ástent.
Exóluere, quánti fuére: omnis frúctus
Iam illís decidít: non uidés ut palántes
[Solae libere]
Grasséntur? quin aétate crédo esse mútas:
Ne bálant quidém, quom a pecú cetero ápsunt: stultae ác malae uidéntur.
BA. Reuórtamur íntro, sorór. NI. Ilico ámbae manéte: hae uolúnt uos.
SO. Pródigium hoc quidémst: humana nós uoce appellánt oues.
PH. Haéc oues uobís malam rem mágnam quam dehibént dabunt.
BA. Síquam dehibes, té condono: tíbi habe, numquam aps té petam.
Sét quid est quaprópter nobis uós malum minitámini?

PH. Quía nostros agnós conclussos ístic esse aiúnt duos.
NI. Ét praeter eos ágnos meus est ístic clam mordáx canes:
Quí nisi nobis próducuntur iam átque emittuntúr foras,
Árietes trucés nos erimus: iám in uos incursábimus.
BA. Soror, ést quod te uolo sécreto. SO. Eho, amábo. NI. Quo illaec ábeunt?
BA. Senem illúm tibi dedo ultériorem, lepide út lenitum réddas:
Ego ad húnc [nunc] iratum ádgrediar, [si] hos póssumus intro inlícere huc.
SO. Meum pénsum ego lepide adcúrabo, quamquámst mortem amplexári.
BA. Facito út facias. SO. Taceás. tu tuum facito: égo quod dixi [ecfíciam].
NI. Quid illaéc illic in cónsilio duae sécreto consúltant?
PH. Quid aís tu, homo? NI. Quid mé [nunc] uis? PH. Pudet dícere me tibi quíddam.
NI. Quid est quód pudeat? PH. Set amíco homini tibi quód uolo credere cértumst:
Nihilí sum. NI. Istuc iam prídem scio: set quí nihili sis mémora.
PH. Tactús sum uehementér uisco: cor [pól mihi] stimulo fóditur.
NI. Pol tíbi multo aequius ést [nequam stimulári] coxendícem.
Set quíd istuc est? etsi égo iam ipsus quid sít prope scire putó me:
Verum aúdire etiam ex té studeo. PH. Viden hánc? NI. Video PH. Hau malast múlier.

NI. Pol uéro ista mala et tú nihili. PH. Quid múlta? ego amo. NI. An amas? PH. Ναὶ γάρ.
NI. Tune, hómo putide, amatór istac fieri aétate audes? PH. Quí non?
NI. Quia flágitiumst. PH. Quid opúst uerbis? meo fílio non sum irátus
Neque té tuost aequom esse íratum: si amánt, sapienter fáciunt.
BA. * * * sequere hác. NI. Eunt eccas tándem
Probripéllecebrae et persuástrices. quid núnc? iam redditis nóbis
Filios et seruom? an ego éxperior tecúm uim maiorem? PH. Ábin hinc?
Non hómo tu quidem es, qui istóc pacto tam lépidam inlepide appélles.
BA. Senex óptume, quantumst ín terra, sine [me] hóc exorare áps te,
Vt istúc delictum désistas tanto ópere ire oppugnátum.
NI. Ni abeás, quamquam tu bélla's, malum tibi mágnum dabo iam. BA. Pátiar:
Non métuo nequid míhi doleat quod férias. NI. V. blandíloquast.
Hei míhi, metuo. BA. Hic magis tránquillust: * * *
I hac mécum intro: atque ibi síquid uis fílium concastigáto.
NI. Abin á me, scelus? BA. Sine, méa pietas, te exórem. NI. Exores tú me?
SO. Ego quídem ab hoc certe exórabo. PH. Immo ego te óro ut me intro abdúcas.
SO. Lepidúm te. PH. At scin quo pácto me ad te intro ábducas? SO. Mecum út sis.

PH. Omnía quae cupio cónmemoras. SO. * * * *
NI. Vidi égo nequam homines, uérum te neminem deteriorem. PH. Íta sum.
BA. I hac mécum intro, ubi tibi sít lepide uictíbus uino atque unguéntis.
NI. Satis, sátis iam uostrist cónuiui: nil paénitet ut sim accéptus:
Quadrigéntis Philippis fílius me et Chrusálus circumduxérunt,
Quem quídem ego ut non [hodie] éxcruciem, alterum tántum auri non méream.
BA. Quid tándem, si dimídium auri reddítur? isne hac mecum íntro
Atque [índuces animum haéc] ut eis delícta ignoscas? PH. Fáciet.
NI. Minumé, nolo: nil móro: sine sic. malo íllos ulcisci ámbo.
PH. Etiám tu homo nihilí, quod di dant bŏni caue culpa amíssis.
Dimídium auri datur: áccipias potésque et scortum adcúmbas.
NI. Egone úbi filius conrúmpatur meus, íbi potem? PH. Potándumst.
NI. Egon quom haéc cum illo adcubet ínspectem? BA. Immo equidém pol tecum adcúmbam.
NI. Caput prúrit: perii. uíx negito. PH. Non tíbi in mentemst, [te] amábo,
Si dúm uiuas tibi béne facias, pol id quidem ésse hau perlongínquom,
Neque si hóc hodie amissís, id post mortem éuenturum esse úmquam?

NI. Quid agó? PH. Quid agas rogitás etiam? NI. Lubet ét metuo. BA. Quid métuis?
NI. Ne obnóxius filio sim ét seruo. BA. Mel méum, amabo, istaec fíunt.
Tuust: únde illum sumére censes, nisi quód tute illi déderis?
Hanc uéniam illis sine te éxorem. NI. Vt terebrát: satin offirmátum
Quod míhi erat, [nunc] id me éxorat? BA. Te amábo et te amplexábor.
NI. Tua sum ópera et propter te ínprobior. BA. Ne tís quam mea mauéllem.
NI. Age iam, útut est, etsist dédecori, patiár: facere inducam ánimum.
BA. Satin égo istuc habeo offírmatum * * * * ?
NI. Quod díxi semel, hau mútabo. BA. It díes: ite intro adcúbitum:
Filii uos expectánt intus. NI. Quam quidem áctutum emoriámur?
BA. Vespér hic est: ite, sequímini. PH. Ducite nós quo lubet addíctos.
BA. Lepide ípsi hi sunt captí, suis qui filíis fecere insídias.

CATERVA.

Hí senes nisi fúissent nihili iam índe ab adulescéntia,
Nón hodie hoc tantúm flagitium fácerent canis cápitibus:
Néque adeo haec facerémus, ni antehac uídissemus fíeri,
Vt aput lenonés riuales fíliis fierént patres.
Spéctatores, uós ualere uólumus: clare adplaúdite.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 trochaicus octonarius
- 2 creticus tetrameter acatalectus
- 4 creticus dimeter acatalectus cum tripodia trochaica catalectica
- 5 ad 18 iambici senarii
- 19 trochaicus septenarius
- 20 bacchiacus tetrameter catalecticus
- 21 ad 26 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 27 et 28 cretici tetrametri acatalecti
- 29 ad 108 trochaici septenarii
- 109 ad 367 iambici senarii
- 368 ad 499 trochaici septenarii
- 500 ad 525 iambici senarii
- 526 ad 572 trochaici septenarii
- 573 ad 611 iambici senarii
- 612 ad 615 trochaici octonarii
- 616 creticus tetrameter acatalectus
- 617 ad 619 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 620 duae tripodiae trochaicae catalecticae
- 621 creticus dimeter acatalectus cum tripodia trochaica catalectica
- 622 ad 624 cretici tetrametri acatalecti
- 625 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 626 ad 628 trochaici octonarii
- 629 ad 639 trochaici septenarii
- 640 ad 642 trochaici octonarii
- 643 et 645 binae tripodiae trochaicae catalecticae
- 644 creticus tetrameter acatalectus
- 646 iambicus dimeter acatalectus
- 647 ad 649 cretici tetrametri acatalecti
- 650 creticus dimeter acatalectus cum tripodia trochaica catalectica
- 651 ad 654 cretici tetrametri acatalecti
- 655 iambicus dimeter acatalectus
- 656 et 657 trochaici dimetri catalectici
- 658 creticus tetrameter acatalectus

V. 659 trochaica tripodia catalectica
- 660 et 661 bacchiaci dimetri catalectici
- 662 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 663 ad 667 cretici dimetri acatalecti cum tripodiis trochaicis catalecticis
- 668 ad 760 trochaici septenarii
- 761 ad 924 iambici senarii
- 925 ad 952 iambici octonarii
- 953 ad 955 trochaici octonarii
- 956 trochaicus septenarius
- 957 ad 978 iambici octonarii
- 979 ad 985 trochaici octonarii
- 986 trochaicus septenarius
- 987 et 988 iambici octonarii
- 989 ad 996 trochaici octonarii
- 997 ad 1075 iambici senarii
- 1076 ad 1086 anapaestici octonarii et septenarii alternantes
- 1087 et 1088 anapaestici septenarii
- 1089 ad 1098 anapaestici octonarii
- 1099 ad 1108 anapaestici septenarii
- 1109 ad 1115 cretici tetrametri acatalecti
- 1116 creticus tetrameter catalecticus
- 1117 ad 1119 trochaici septenarii
- 1120 et 1121 bacchiaci hexametri acatalecti
- 1122 ad 1138 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1139 et 1140 bacchiaci hexametri acatalecti
- 1141 ad 1148 trochaici septenarii
- 1149 ad 1206 anapaestici septenarii
- 1207 ad 1211 trochaici septenarii.

T. MACCI PLAVTI

C V R C V L I O.

ARGVMENTVM.

Curcúlio missu Phaédromi it [in] Cáriam,
Vt pétat argentum. ínibi eludit ánulo
Riuálem, scribit átque opsignat líteras.
Cognóscit signum Lýco, ubi uidit, mílitis:
Vt amícam mittat, prétium lenoní dedit.
Lycónem miles ác lenonem in iús rapit.
Ipsús sororem quám peribat répperit,
Orátu quoius Phaédromo nuptúm locat.

PERSONAE.

PALINVRVS SERVOS
PHAEDROMVS ADVLESCENS
LEAENA ANVS
PLANESIVM VIRGO
CAPPADOX LENO
COQVOS
CVRCVLIO PARASITVS
LVCO TARPESSITA
CHORAGVS
THERAPONTIGONVS MILES
CANTOR.

ACTVS I.

PALINVRVS. PHAEDROMVS. (PVER.)

PA. Quo téd hoc noctis dícam proficiscí foras
Cum istóc ornatu cúmque hac pompa, Phaédrome?
PH. Quo Vénus Cupidoque ínperat suadétque Amor:
Si média nox est síuest prima uéspera,
Si státus condictus cum hóste intercedít dies,
Tamen ést eundum quo ínperant ingrátiis.
PA. At tándem tandem . . PH. Tándem es odio sús mihi.
PA. Istúc quidem nec béllumst nec memorábile:
Tuté tibi puer es: laútus luces céreum.
PH. Egone ápicularum cóngestum opera nón feram,
Ex dúlci oriundum, mélculo dulcí meo?
PA. Nam quó te dicam ego íre? PH. Si tu mé roges,
Dicam út scias. PA. Si rógitem, quid respóndeas?
PH. Hoc Aésculapi fánumst. PA. Plus iam annó scio.
PH. Huic próxumum illut óstiumst oculíssumum.
Salué: ualuistine úsque, oculissumum óstium?
PA. Caruítne febris te herí uel nudiustértius,
Et herí cenauistíne? PH. Deridésne me?
PA. Quid tú ergo, insane, rógitas ualeatne óstium?
PH. Bellíssumum hercle uídi et taciturníssumum:
Numquam úllum uerbum múttit: quom aperitúr, tacet,

Quomque ílla noctu cláneulum ad me exít, tacet.
PA. Numquíd tu quod te aut génere indignum sít tuo
Facis aút inceptas făcinus facere, Phaédrome?
Num tú pudicae quoípiam insidiás locas
Aut quám pudicam opórtet esse? PH. Némini,
Nec me ílle sierit Iúppiter. PA. Ego itém uolo:
Ita tŭum conferto amáre semper, sí sapis,
Ne id quód ames, populus sí sciat, tibi sít probro.
Sempér curato né sis intestábilis.
PH. Quid istúc est uerbi? PA. Caúte ut incedás uia:
Quod amás amato téstibus praeséntibus.
PH. Quin léno hic habitat. PA. Némo hinc prohibet néc uotat
Quin quód palamst uenále, si argentúmst, emas.
Nemo íre quemquam púplica prohibét uia,
Dum né per fundum saéptum faciat sémitam:
Dum téd apstineas núpta uidua uírgine
Iuuentúte et pueris líberis, ama quód lubet.
PH. Lenónis haec sunt aédes. PA. Male istis éuenat.
PH. Qui? PA. Quía scelestam séruitutem séruiunt.
PH. Oblóquere. PA. Fiat máxume. PH. Etiam [tú] taces?
PA. Nempe óbloqui me iússeras. PH. At núnc uoto.
[Set] íta ut occepi dícere, eist ancíllula . .
PA. Nempe huíc lenoni qui híc habet? PH. Recté tenes. 44
PA. Minus fórmidabo ne éxcidat. PH. Odiósus es.
Eam uólt meretricem fácere: [at] ea me déperit:
Ego aútem cum illa fácere nolo mútuom.

PA. Quid itá? PH. Quia proprium fácio: amo pa-
ritér semul.
PA. Malus clándestinus ést amor, damnúmst me-
rum.
PH. Est hércle ita ut tu dícis. PA. Iamne ea fért
iugum?
PH. Tam a mé pudicast quási soror mea sít, nisi
Sist aúsculando quípiam inpudícior.
PA. Sempér, tu scito, flámma fumo próxumast:
Fumó comburi níl potest, flammá potest.
E núce nuculeum qui ésse uolt, frangít nucem:
Qui uólt cubare, pándit saltum sáuiis.
PH. At illást pudica néque dum cubitat cúm uiris.
PA. Credám, pudor si quoíquam lenoní siet.
PH. Immo út illam censes? út quaeque illi occás-
siost
Subrúpere se ad me: ubi sáuium oppegít, fugit.
Id eó fit, hic quia léno aegrotus íncubat
In Aésculapi fáno: is me excruciát. PA. Quid est?
PH. Aliás me poscit pró illa trigintá minas,
Aliás talentum mágnum: neque quicquám queo
Aequí bonique ab eo ínpetrare. PA. Iniúriu's,
Qui quód lenoni núllist id ab eó petas.
PH. Nunc hínc parasitum in Cáriam missí meum
Petítum argentum a mĕo sodali mútuom:
Quod sí non adfert, quó me uortam néscio.
PA. Si dĕos salutas, déxtrouorsum cénseo:
Nunc ára Veneris haéc est ante horúnc foris.
PH. Me inférre Veneri uóui iam ientáculum.
PA. Quid? án te pones Véneri iam ientáculo?
PH. Me té atque hosce omnis. PA. Túm tu Vene-
rem uómere uis.

PH. Cedo, púere, sinum. PA. Quíd facturu's? PH. Iám scies.
Anus híc solet cubitáre custos iánitrix:
Nomén Leaenaest: múltibiba atque mérobibast.
PA. Quasi tú lagaenam dícas, ubi uinúm solet
Chium ésse. PH. Quid opust uérbis? uinosíssumast:
Eaque éxtemplo ubi uino hásce conspersí foris,
De odóre adesse mé scit, aperit ílico.
PA. Eine híc cum uino sínus fertur? PH. Nísi neuis.
PA. Nolo hércle: nam isti hunc quí fert adflictúm uelim:
Ego nóbis ferri cénsui. PH. Quin tú taces?
Siquíd super illi fúerit, id nobís sat est.
PA. Quisnam ístic fluuiust, quém non recipiát mare?
PH. Sequere hác, Palinure, mé ad foris: fi mi óp-sequens.
PA. Ita fáciam. PH. Agite bíbite, festiuaé fores,
Potáte, fite míhi uolentesprópitiae.
PA. Voltísne oliuas aút pulmentum aut cápparim?
PH. Exúscitate uóstram huc custodém mihi.
PA. Profúndis uinum: quaé te res agitánt? PH. Sine.
Viden? áperiuntur aédes festiuíssumae:
Num múttit cardo? est lépidus. PA. Quin das sáuium?
PH. Tace: óccultemus lúmen et uocém. PA. Licet.

LEAENA. PALINVRVS. PHAEDROMVS.

LE. Flos uéteris uini náribus meis obiéctust: eius amor cúpidam
Me prólicit huc per ténebras: ubi ubist, própe mest: euax, hábeo.
Salue, ánime mi, lepos Líberi: ut uéteris [ego] sum cúpida.
Nam ómnium unguéntum odos praé tuo naúteast:
Tú mihi stácte, tu cínnamum, tú rosa,
Tú crocinum et cásia's, tu bdéllium.
Nam ubi tú profussus és, ibi ego me péruelim sepúltam.
PA. Sitit haéc anus: quantillúm sitit? PH. Modicást, capit quadrántal.
PA. Pol ut praédicas, uindémia haec huic ánui non satis sólist.
LE. Sét quom adhuc náso, odos, ópsecutú's meo,
Dá uicissím meo gútturi gaúdium.
Níl ago técum: ubist ípsus? ipsum éxpeto
Tángere, inuérgere in mé liquorés tuos,
Síne, ductím. set hac ábiit, hac pérsequar.
PA. Canem ésse hanc quidem magis pár fuit: sagáx nasum habet. LE. Amábo,
Quóia uox sonát procul?
PH. Cénseo hanc áppellandam ánum [esse]: adibó. redi,
Réspice ad mé, Leaena. LE. Ínperatór quis est?
PH. Vínipollens, lépidus Liber,
Tibí qui screánti siccaé semisómnae
Adfért potiónem et sitím [tuam] sedátum it.
LE. Quám longe a me abest? PH. Lúmen hoc uide.

LE. Grándiorém gradum ergó face ad me, ópsecro.
PH. Sálue. LE. Egon sálua sim, quaé siti sícca sum?
PH. At iám bibes. LE. Diú fit. PH. En tibi [hóc], anus lepida. LE. Sálue,
Oculíssume homo. PA. Age ecfunde hóc cito in bárathrum: prolue própere
Cloácam. PH. Tace: nolo huíc male dicí. PA. Faciam igitur pótius.
LE. Venús, de paulo paúlulum hoc dabó tibi hau lubénter:
Nam tíbi propitiantés amantes uínum dant potántes
Omnés: mihi hau saepe éuenunt talés hereditátes.
PA. Hóc [sis] uide ut auáriter merum ín se inpura ingúrgitat
Faúcibus plenís. LE. Hahahe. PA. Quid ést? ecquid lubét? LE. Lubet.
PA. Míhi quoque etiam stímulo fodere té lubet. PH. Nolí, tace.
PA. Táceo [ego]: ecce autém bibit arcus: hércle credo, hodié pluet.
PH. Périi hercle: huic quid prímum dicam néscio. PA. Hem, istuc quód mihi dixti.
PH. Quíd id est? PA. Periisse út te dicas. PH. Mále di tibi faxínt. PA. Dice isti.
PH. Iámne ego huic dicó? PA. Quid dices? PH. Mé perisse. PA. Age díce. PH. Anus audi.
Hóc uolo scíre te: pérditus súm miser.
LE. Át pol ego oppidó seruata.
Sét quid est quód lubet pérditum dícere
Té esse? PH. Quia [ego] id quód amo careo.
LE. Phaédrome mi, ne plóra amabo:

Tú me ne sitiám curato: ego tíbi iam quod amas húc adducam.
PH. Né ego, si fidém [tu] mecum séruas, aureá pro statua
Víneam tibi státuam, quae sit gútturi tuó monimentum.
Pálinure, in terrá qui me erit aéque fortunátus, illa
Sí ad me bitet? PA. Édepol qui amat, sí eget, misera aerúmna adficitur.
PH. Nón ita res est: nám confido párasitum hodie [huc] áduenturum
Cúm argento ad me. PA. Mágnum inceptas, sí illut expectás quod nusquamst.
PH. Quíd si adeam ad foris átque occentem? PA. Sí lubet, neque uotó neque iubeo,
Quándo ego te uideo ínmutatis móribus esse, ere, átque ingenio.
PH. Péssuli, heus péssuli, uós salutó lubens,
Vós amo, uós uolo, uós peto atque ópsecro,
Gérite amantí mihi mórem amoeníssumi:
Fíte caussá mea lúdii bárbari,
Sússulite, ópsecro, et míttite istánc foras,
Quaé mihi mísero amanti éxbibit sánguinem.
Hóc uide ut dórmiunt péssuli péssumi
Néc mea grátia cónmouent se ócius.
Perspício nihili mĕam uos facere grátiam. st, táce tace.
PA. Táceo hercle equidem. PH. Séntio
Sonitúm: tandem edepol míhi morigeri péssuli [illi] fíunt.

LEAENA. PLANESIVM. PALINVRVS. PHAEDROMVS.

LE. Plácide egredere et sónitum prohibe fórium et crepitum cárdinum,
Né quod hic agimus érus percipiat fíeri, mea Planésium.
Máne, suffundam aquolám. PA. Viden ut anus trémula medicinám facit?
Ĕapse merum condídicit bibere: fóribus dat aquam quám bibant.
PL. Ṽbi tu's, qui me cónuadatu's Véneriis uadimóniis?
Sísto ego tibi me et míhi contra itidem [tú te] ut sistas suádeo.
PH. Ádsum: nam si apsim haút recussem quín mihi male sit, mél meum.
PL. Ánime mi, [me] prócul amantem abésse haut consentáneumst.
PH. Pálinure, Palinúre. PA. Eloquere, quíd est quod Palinurúm uocas?
PH. Ést lepida. PA. Nimis lépida. PH. Sum deus. PA. Ímmo homo hau magní preti.
PH. Quíd uidisti aut quíd uidebis mágis dis aequiperábile?
PH. Mále uales, ere, quód mihi aegrest. PH. Mále mi morigerú's: tace.
PA. Ípsus se excruciát qui homo quod amat uídet nec potitur dúm licet.
PH. Récte obiurgat: sáne haut quicquamst mágis quod cupiam iám diu.
PL. Téne me, amplectere érgo. PH. Hoc etiamst quam ób rem cupiam uíuere:

Quía te prohibet érus, clam potior. PL. Próhibet? nec prohibére quit
Néc prohibebit, nísi mors meum animum áps te abalienáuerit.
PH. Síbi sua habeant régna reges, síbi diuitias díuites,
Síbi [illi] honores, síbi uirtutis, síbi pugnas, sibi proélia:
Dúm mi apstineant ínuidere, síbi quisque habeant quód suumst.
PA. Ěnimuero nequeó durare quín ego erum accussém meum:
Nám bonumst pausíllum amare sáne, insane nón bonumst:
Vérum totum insánum amare hoc ést quod meus erús facit.
Quíd tu? Venerin péruigilare té uouisti, Phaédrome?
Nám hoc quidem edepol haú multo post lúce lucebít. PH. Tace.
PA. Quíd, taceam? quin tu ís dormitum? PH. Dórmio: ne occlámites.
PA. Tú quidem uigilas. PH. Át meo more dórmio: hic somnúst mihi.
PA. Heús tu, mulier: mále mereri de ínmerenti inscítiast.
PL. Írascare, sí te edentem hic á cibo abigat. PA. Ílicet:
Páriter hos períre amando uídeo: uterque insániunt.
Víden ut misere móliuntur? néqueunt conplectí satis.
Étiam dispertímini? PL. Nullist hómini perpetuóm bonum:
Iam huíc uoluptati hóc adiunctumst ódium. PA. Quid ais, própudium?
Túne etiam cum nóctuinis óculis odium mé uocas,
Ébriolae persólla, nugae? PH. Tún meam Venerem uítuperas?

Quód quidem mihi pollúctus uirgis séruos sermoném serat?
Át ne tu hercle cúm cruciatu mágno dixisti íd tuo.
Hém tibi male díctis pro istis, díctis moderari út queas.
PA. Tùam fidem, Venus nóctuuigila. PH. Pérgin etiam, uérbero?
PL. Nóli amabo uérberare lápidem, ne perdás manum.
PA. Flágitium probrúmque magnum, Phaédrome, expergéfacis:
Béne monstrantem púgnis caedis, hánc amas, nugás meras.
Hócine fieri ut ínmodestis te híc modereris móribus?
PH. Aúro contra cédo modestum amátorem: a me aurum áccipe.
PA. Cédo mihi contra aúrichalco, quoí ego sano séruiam.
PL. Béne uale, ocule mí: nam sonitum et crépitum claustrorum aúdio:
Aédituom fanum áperire [arbitrór. set] quaeso ad húnc modum
Ínter nos amóre utemur sémper subreptício?
PH. Mínume: nam parasítum missi núdiusquartus Cáriam
Pétere argentum: is hódie hic aderit. PL. Nímium consultás diu.
PH. Íta me Venus amét, ut ego te hoc tríduom numquám sinam
Ín domo esse istác, quin ego te líberalem líberem.
PL. Fácito ut meminerís: tene etiam príus quam hinc abeo sáuium.
PH. Sí quidem mi hercle régnum detur, númquam id potius pérsequar.

Quándo ego te uidébo? PL. Hem, istoc uérbo uindictám para:
Sí amas, eme: ne rógites. facito ut prétio peruincás tuo.
Béne uale. PH. Iamne égo relinquor? púlcre, Palinure, óccidi.
PA. Égo quidem, qui et uápulando et sómno pereo. PH. Séquere me.

ACTVS II.

CAPPADOX. PALINVRVS.

CA. Migráre certumst núnc ïam ex fanó foras,
Quando Aésculapi ita séntio senténtiam,
Vt quí me nihili fáciat nec saluóm uelit.
Valétudo decréscit, adcrescít labor.
Nam iám quasi sona líene cinctus ámbulo:
Geminós in uentre habére uideor fílios.
Nil métuo nisi ne médius disrumpár miser.
PA. Si récte facias, Phaédrome, auscultés mihi
Atque ístam exturbes éx animo aegritúdinem.
Paués parasitus quía non rediit Cária:
Adférre argentum crédo: nam si nón ferat,
Torménto non retinéri potuit férreo,
Quin réciperet se huc éssum ad praesepém suam.
CA. Quis hic ést qui loquitur? PA. Quóiam uocem ego aúdio?
CA. Estne híc Palinurus Phaédromi? PA. Quis hic ést homo
Cum cónlatiuo uéntre atque oculis hérbeis?
De fórma noui: dé colore nón queo
Nouísse: iamiam nóui: lenost Cáppadox.
Congrédiar. CA. Salue, Pálinure. PA. O scelerúm caput,
Salueto: quid agis? CA. Víuo. PA. Nempe ut dígnus es?

Set quíd tibist? CA. Lien énecat, renés dolent,
Pulmónes distrahúntur, cruciatúr iecur,
Radíces cordis péreunt, hirae omnés dolent.
PA. Tum te ígitur morbus ágitat hepatiárius.
CA. Lién dierectust. PA. Ámbula: id lieni óptumumst.
CA. Facilést miserum inridére. PA. Quin tu aliquót dies
Perdúra, dum intestína exputescúnt tibi
Nunc dúm salsura sát bonast. si id féceris,
Veníre poteris íntestinis uílius.
CA. Aufér quaeso ista atque hóc responde quód rogo:
Potin cóniecturam fácere, si narrém tibi
Hac nócte quod ego sómniaui dórmiens?
PA. Vah, sólus hic homost quí sciat diuínitus:
Quin cóniectores á me consiliúm petunt:
Quod eís respondi, ea ómnes stant senténtia.

Coqvos. Palinvrvs. Cappadox.

CO. Palinúre, quid stas? quín depromuntúr mihi
Quae opus súnt, parasito ut sít paratum prándium,
Quom uéniat. PA. Mane sis, dum huíc conicio sómnium.
CO. Tute ípse siquid sómniasti ad mé refers.
PA. Fateór. CO. Abi, deprome. PA. Áge tu interea huic sómnium
Narrá: meliorem quam égo sum suppónó tibi:
Nam quód scio omne ex hóc scio. CA. Operam ut dét. PA. Dabit.

CA. Facit híc quod pauci, ut sít magistro [suo] ópsequens.
Da mi ígitur operam. CO. Tam étsi non nouí, dabo.
CA. Hac nócte in somnis uíssus sum tuérier
Procúl sedere lónge a me Aesculápium:
Neque eum ád me adire néque me magni péndere
Vissúmst. CO. Item alios dĕos facturos scílicet:
Sane ílli inter se cóngruont concórditer.
Nihil ést mirandum, mélius si nil sít tibi.
Namque íncubare sátius te fuerát Ioui,
Auxílium tibi qui in iúre iurandó tulit.
CA. Si quidem íncubare quí periurarínt uelint,
Locus nón praehiberi pótis est in Capitólio.
CO. Hoc ánimum aduorte: pácem ab Aesculápio
Petás, ne fors tibi éuenat magnúm malum,
Quod ín quiete tíbi portentumst. CA. Béne facis:
Ibo átque orabo. CO. Quaé res male uortát tibi.

. . . .

* * * * * * * * * * *

* * * * * * * * * *

* * * * * * * * * * *

ACTVS III.

* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *

PALINVRVS. PHAEDROMVS.

. . . .

PA. Pro di ínmortales, quém conspicio? quí illic est?
Estne híc parasitus, míssus quist in Cáriam?
Heus [éxi,] Phaedrome. éxi, exi, exi inquam ócius.
PH. Qui istíc clamorem tóllis? PA. Parasitúm tuum
Videó currentem, ellum úsque platea in últuma.
Hinc aúscultemus quíd agat. PH. Sane cénseo.

CVRCVLIO. PHAEDROMVS. PALINVRVS.

CV. Dáte uiam mihi, nóti ignoti, dúm ego hic officiúm meum
Fácio: fugite omnés, abite et dé uia secédite,
Néquem in cursu cápite aut cubito aut péctore offendam aút genu.
Íta nunc subito própere et celere obiéctumst mihi negótium.

Nec quisquam sit tám opulentus, quí mi opsistat ín uia,
Néc strategus néc turannus quísquam neque agoránomus
Néc demarchus néc comarchus néc cum tanta glória,
Quín cadat, quin cápite sistat ín uia de sémita.
Túm isti Graeci pálliati cápite operto qui ámbulant,
Qui íncedunt suffárcinati cúm libris, cum spórtulis,
Cónstant, conserúnt sermones ínter sese drápetae:
Ópstant opsistúnt occedunt cúm suis senténtiis:
Quós semper uideás lubentis ésse in thermipólio:
Ýbi quid subrupuére, operto cápitulo calidúm bibunt,
Trístes atque ebríoli apscedunt: ĕos ego si [hic] offéndero,
Éx uno quoque ĕorum excutiam crépitum polentárium.
Túm isti qui ludúnt datatim sérui scurrarum ín uia,
Ét datores ét factores ómnis subdam súb solum.
Prŏinde se domí contineant, uítent infortúnio.
PH. Récte hic monstrat, se ínperare póscit: nam ita nunc mós uiget,
Íta nunc seruitiúmst: profecto módus haberi nón potest.
CV. Écquis est qui míhi conmonstret Phaédromum geniúm meum?
Íta res subitast: céleriter mihi hómine conuentóst opus.
PA. Té ille quaerit. PH. Quíd si adeamus? heús Curculio, té uolo.
CV. Quís uocat? quis nóminat me? PH. Quí te conuentúm cupit.
CV. Haú [me] magis cupís, quam te ego cúpio. PH. O mea opportúnitas,

Cúrculio exoptáte, salue. CV. Sálue. PH. Saluom gaúdeo
Te áduenire: cédo tuam mi déxteram. ubi sunt spés meae?
Éloquere opsecro hércle. CV. Eloquere, te ópsecro [hercle], ubi súnt meae?
PH. Quíd tibist? CV. Tenebrae óboriuntur, génua inedia súccidunt.
PH. Lássitudine hércle credo. CV. Rétine, retine me, ópsecro.
PH. Víde ut expalluít: datin isti séllam ubi adsidát cito
Ét aqualem cum aquá? properatin ócius? CV. Animó malest.
PH. Vín aquam? CV. Si frústulentast, da ópsecro hercle, opsórbeam.
PH. Vaé capiti tuo. CV. Ópsecro hercle fácite uentum ut gaúdeam.
PH. Máxume. CV. Quid fácitis quaeso? PA. Véntum. CV. Nolo equidém mihi
Fíeri uentulúm. PH. Quid igitur? CV. Ésse, ut uentum gaúdeam.
PH. Iúppiter te díque perdant. CV. Périi: prospició parum,
Ós amarumst, déntes † plenos, líppiunt faucés fame:
Íta cibi uocíuitate uénio lassis láctibus.
PH. Iám edes aliquid. CV. Nólo hercle aliquid, cértum quam aliquid máuolo.
PH. Ímmo si sciás reliquiae quaé sint. CV. Scire nímis lubet
Vbi sient: nam illís conuentis sáne opus est meis déntibus.

PH. Pérnam suis abdómen sumen glándium. CV. Ain tu ómnia haec?
Ín carnarió fortasse dícis? PH. Immo in láncibus:
Quaé tibi sunt paráta, postquam scímus uenturúm. CV. Vide
Né me ludas. PH. Íta me amabit quám ego amo, ut ego hau méntior.
Sét quod te missí nihilo sum cértior. CV. Nihil áttuli.
PH. Pérdidisti me. CV. Ínuenire póssum, si mi operám dabis.
Póstquam tuo iussú profectus súm, perueni in Cáriam.
Vídeo tuum sodálem, argenti rógo uti faciat cópiam.
Scíres uelle grátiam tuam: nóluit frustrárier,
Ýt decet uelle hóminem amicum amíco atque opitulárier:
Réspondit mihi paúcis uerbis átque adeo fidéliter,
Quód tibist itém sibi esse, máxumam argenti ínopiam.
PH. Pérdis me tuis díctis. CV. Immo séruo et seruatúm uolo.
Póstquam mihi respónsumst, abeo ab íllo maestus ád forum,
Mé illo frustra déuenisse. fórte aspicio mílitem:
Ádgredior hominém, saluto aduéniens: ‘salue’ inquít mihi,
Praéndit dexterám, seducit, rógat quid ueniam Cáriam:
Díco me illo uénisse animi caússa. ibi me intérrogat,
Écquem in Epidauró Luconem tárpessitam nóuerim.
Díco me nouísse. ‘quid? lenónem Cappadocem?’ ádnuo
Víssitasse. “sét quid eum uis?” ‘quía de eo emi uírginem

Tríginta minís, uestem, aurum: et pro hís decem accedúnt minae.'
"Dĕdistin tu argentum?" ínquam. 'immo' [inquit] 'căput tarpessitám situmst
Íllum quem dixí Luconem, atque èi mandaui, qui ánulo
Mĕo tabellas ópsignatas áttulisset, út daret
Óperam ut mulierem á lenone cum aúro et ueste abdúceret.'
Póstquam hoc mihi narráuit, abeo ab íllo. reuocat me ílico,
Vócat ad cenam: réligio fuit, dénegare nólui.
'Quíd si abeamus, décumbamus?' ínquit. consiliúm placet.
Néque diem decét remorari néque nocti nocérier.
Ómnis res parátast et nos quíbus paratumst ádsumus.
Póstquam cenati átque adpoti, tálos poscit síbi in manum,
Próuocat me in áleam, ut ego lúdam. pono pállium:
Ílle suum anulum ópposiuit, ínuocat Planésium.
PH. Mèosne amores? CV. Táce parumper. iácit uolturios quáttuor.
Tálos arripio, ínuoco almam mĕam [mihi] nutricem Hérculem,
Iácto basilicúm, propino mágnum poclum: ille éxbibit,
Cáput deponit, cóndormiscit. égo ei subduco ánulum,
Déduco pedés de lecto clám, ne miles séntiat.
Rógitant serui quó eam: dico me íre quo saturí solent.
Óstium ubi conspéxi, exinde me ílico protinám dedi.
PH. Laúdo. CV. Laudató, quando illut quód cupis ecfécero.

Ĕamus nunc intro, út tabellas cónsignemus. PH. Núm moror?
CV. Átque aliquid prius ópstrudamus, pérnam sumen glándium:
Haéc sunt uentris stábilimenta: páne et assa búbula,
Póclum grande [et] aúla magna, ut sátis consilia súppetant.
Túte tabulas cónsignato: híc minstrabit, [dúm] ego edam.
Dícam quem ad modúm conscribas. séquere me hac intró. PH. Sequor.

ACTVS IIII.

LVCO. CVRCVLIO (CVM PVERO). CAPPADOX.

LV. Beátus uideor: súbduxi ratiúnculam,
Quantum aéris mihi sit quántumque alieni siet.
Diués sum, si non réddo eis quibus déhibeo.
[Si reddo illis quibus debeo, plus alieni est.]
Verum hércle uero bélle quom recógito,
Si mágis me instabunt, ád praetorem súfferam.
Habént hunc morem plérique argentárii,
Vt álius alium póscant, reddant némini,
Pugnís rem soluant, síquis poscat clárius.
Qui homó mature quaésiuit pecúniam,
Nisi eám mature pársit, mature éssurit
Cupio áliquem [mi] emere púerum, qui ussurárius
Nunc míhi quaeratur:ússus est pecúnia.
CV. Nil tú me saturum mónueris: memini ét scio.
Ego hóc ecfectum lépide tibi tradám: tace.
Edepól ne ego hic med íutus expleuí probe
Et quidem reliqui in uéntre cellae uní locum,
Vbi réliquiarum réliquias recónderem.
Quis hic ést operto cápite qui Aesculápium
Salútat? attat, quém quaerebam. séquere me.
Simulábo quasi non nóuerim. heus tu, té uolo.
LV. Vnócule, salue. CV. Quaéso deridésne me?
LV. De Cóclitum prosápia te esse árbitror:
Nam i súnt unoculi. CV. Cátapulta hoc ictúmst mihi

Apút Sicuonem. LV. Nám quid id refért mea,
An aúla quassa cúm cinere ecfossús siet?
CV. Supérstitiosus híc quidemst: uera praédicat:
Namque íllae catapultae ád me crebro cónmeant.
Adulèscens, ob rem púplicam hoc intús mihi
Quod ínsigne habeo, quaéso ne me incómities.
LV. Licetne ínforare, si íncomitiare haú licet?
CV. Non ínforabis mé quidem, nec míhi placet
Tuúm profecto néc forum nec cómitium.
Set húnc quem quaero cónmonstrare sí potes,
Iníbis a me sólidam et grandem grátiam.
Lucónem quaero tárpessitam. LV. Díc mihi,
Quid eúm nunc quaeris? aút quoiati's? CV. Éloquar:
Ab Thérapontigono Plátagidoro mílite.
LV. Noui édepol nomen: nám mihi istoc nómine,
Dum scríbo, expleui tótas ceras quáttuor.
Set quíd Luconem quaéris? CV. Mandatúmst mihi
Vt hás tabellas ád eum ferrem. LV. Quís tu homo's?
CV. Libértus illius, quem ómnes Summanúm uocant.
LV. Summáne, salue. quí Summanu's? fác sciam.
CV. Quia uéstimenta [méa], ubi obdormiui ébrius,
Summáno: ob eam rem me ómnes Summanúm uocant.
LV. Alibí te meliust quaérere hospitiúm tibi:
Aput mé profecto níhil est Summanó loci.
Set istúm quem quaeris égo sum. CV. Quaeso, túne is es,
Lucó tarpessita? LV. Égo sum. CV. Multam mé tibi
Salútem iussit Thérapontigonus dícere
Et hás tabellas dáre me iussit. LV. Míhine? CV. Ita.

Cape, sígnum nosce. nóstin? LV. Quid ni nóuerim?
Clupeátus elephantum úbi machaera díssicit.
CV. Quod istíc scriptum esset, íd te orare iússerat
Profécto ut faceres, sŭam si uelles grátiam.
LV. Concéde: inspiciam quíd sit scriptum. CV. Máxume
Tuo árbitratu, dum aúferam aps te id quód peto.
LV. 'Milés Luconi in Épidauro [hospes] hóspiti
Suo Thérapontigonus Plátagidorus plúrumam
Salútem dicit.' CV. Méus hic est, hamúm uorat.
LV. 'Tecum óro et quaeso, qui hás tabellas ádferet
Tibi, út ei detur quám istic emi uírginem,
Quod té praesente isti égi teque intérprete,
Et aúrum et uestem. iám scis ut conuénerit.
Argéntum des lenóni [et] huic des uírginem.'
Vbi ípsust? quor non uénit? CV. Ego dicám tibi:
In Cáriam quia núdiusquartus uénimus
Ex Índia: ibi nunc státuam uolt dare aúream
Solidám faciundam ex aúro Philippo, quaé siet
Septémpedalis, fáctis monimentúm suis.
LV. Quam ob rem ístuc? CV. Dicam: quía enim Persas Páphlagonas
Sinópas Arabes Cáras Cretanós Suros
Rhodiam átque Luciam, Pérediam et Bibésiam,
Centaúromachiam et Clássiam Vnomámmiam
Libuámque totam [et] ómnem Conterebrómiam,
Dimídiam partem nátionum usque ómnium
Subégit solus íntra uigintí dies.
LV. Vah. CV. Quíd mirare? LV. Quía enim in cauea sí forent
Conclússi [illi] itidem ut púlli gallinácei,
Ita nón potuere uno ánno circumírier.

Credo hércle te esse ab íllo: nam ita nugás blatis.
CV. Immo étiam porro, sí uis, dicam. LV. Níl moror.
Sequere hác: te apsoluam, qua áduenisti grátia.
Atque éccum uideo * * * * * *
* * * * * léno, salue. CA. Dí te ament.
LV. Quid hóc quod ad te uénio? CA. Dicas quíd uelis.
LV. Argéntum accipias, cúm illo mittas uírginem.
CA. Quid quód iuratus súm? LV. Quid id refért tua,
Dum argéntum accipias? CA. Quí monet quasi ádiuuat.
Sequímini. CV. Leno, cáue [ne] in te sit móra mihi.

CHORAGVS.

Édepol nugatórem lepidum lépide hunc nanctust Phaédromus.
Hálophantamne an súcophantam hunc mágis dicam esse néscio.
Órnamenta quaé locaui métuo ut possim récipere.
Quámquam cum istoc míhi negoti níhil est (ipsi Phaédromo
Crédidi), tamen ádseruabo. sét dum hic egreditúr foras,
Cónmonstrabo quó in quemque hominem fácile inueniatís loco,
Né nimio opere súmat operam, síquis conuentúm uelit
Vél uitiosum uél sine uitio uél probum uel ínprobum.
Quí periurum cónuenire uólt hominem, ito in cómitium:

Quí mendacem et glóriosum, apút Cloacinaé sacrum.
Dítis damnosós maritos súb basilica quaérito.
Íbidem erunt scorta éxoleta quíque stipularí solent:
Súmbolarum cónlatores ăput forum piscárium.
Ín foro infumó boni homines átque dites ámbulant:
Ín medio proptér canalem ibi óstentatorés meri.
Cónfidentes gárrulique et máleuoli suprá lacum,
Qui álteri de níhilo audacter dícunt contuméliam
Ét qui ipsi sat habént quod in se póssit uere dícier.
Súb ueteribus íbi sunt qui dant quíque accipiunt faénore.
Póne aedem Castóris ibi sunt súbito quibus credás male.
Ín Tusco uico íbi sunt homines quí ipsi sese uénditant.
Ín Velabro uél pistorem uél lanium uel harúspicem
Vél qui ipsi uortánt uel qui aliis út uorsentur praéhibeant.
[Dites damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.]
Sét interim forés crepuere: línguae moderandúmst mihi.

Cvrcvlio. Cappadox. Lvco. (Planesivm.)

CV. I tú prae, uirgo: nón queo quod póne mest seruáre.
Et aúrum et uestem omném suam esse aiébat quam haec habéret.
CA. Nemo ít infitias. CV. Át tamen meliúsculumst monére.

LV. Meménto promissísse te, si quísquam hanc liberáli
Caussá manu adsererét, mihi omne argéntum redditum íri,
Minás triginta. CA. Méminero: de istóc quietus ésto:
Et núnc idem dicó. CV. Set haec conméminisse ego uolám te.
CA. Memini ét mancupio tíbi dabo. CV. Egone áb lenone quícquam
Mancúpio accipiam, quíbus sui nihil ést nisi una língua,
Qui abiúrant siquid créditumst? aliénos mancupátis,
Manu álienos emíttitis aliénisque inperátis:
Nec uóbis auctor úllus est nec uósmet estis úlli.
Itém genus est lenónium inter hómines meo quidem ánimo
Vt múscae culices címices pedésque pulicésque:
Odio ét malo et moléstiae: bono úsui estis núlli:
Nec uóbiscum quisquam ín foro frugí consistere aúdet:
Qui cónstitit, culpánt eum, conspúitur, uituperátur,
Eum rém fidemque pérdere, tam etsí nil fecit, áiunt.
LV. Edepól lenones méo animo nouísti, lusce, lépide.
CV. Eodem hércle uos pono ét paro: paríssumi estis híbus.
His sáltem in occultís locis prostánt, uos in foro ípso:
Vos faénore, hisce mále suadendo et lústris lacerant hómines.

Rogitátiones plúrumas proptér uos populus sciuit,
Quas uós rogatas rúmpitis: aliquám reperitis rímam:
Quasi aquám feruentem frígidam esse ita uós putatis léges.
LV. Tacuísse mauellem. CA. Haú male meditáte male dicáx es.
CV. Indígnis si male dícitur, male díctum id esse dúco:
Verúm si dignis dícitur, bene díctumst meo quidem ánimo.
Ego mánc?pem te níl moror nec lénonem alium quémquam.
Lucó, numquid uis? LV. Béne uale. CV. Vale. CA. Heús tu, tibi ego díco.
CV. Elóquere, quid uis? CA. Quaéso ut hanc curés [ut] bene sit ísti:
Bene ego ístam eduxi mĕae domi et pudíce. CV. Si huius míseret,
Ecquíd das qui bene sít? CA. Malum. CV. Tibi opúst qui te procúres.
CA. Quid, stúlta, ploras? né time: bene ego hércle uendidí te.
Face sís bonae frugí sies: sequere ístum bella bélle.
LV. Summáne, numquid núnc ïam me uís? CV. Vale atque sálue.
Nam et óperam [tu] et pecúniam benígne praehibuísti.
LV. Salútem multam dícito patróno. CV. Nuntiábo.
LV. Numquíd uis, leno? CA. Istás minas decém, qui me procúrem,

Dum mélius sit mihi, dés. LV. Dabuntur: crás peti iubéto.
CA. Quandó bene gessi rém, uolo hic in fáno supplicáre.
Nam illám minis olím decem puéllam paruolam émi,
Set eúm qui mihi illam uéndidit numquám postilla uídi:
Perísse credo: quíd id mea refért? ego argentum hábeo.
Quoi dí sunt homini própitii, lucrum èi profecto obíciunt.
Nunc rèi diuinae operám dabo: certúmst me bene curáre.

ACTVS V.

THERAPONTIGONVS. LVCO.

TH. Nón ego nunc medíocri incedo irátus iracúndia,
Sét capse illa qua éxcidionem fácere condidici óppidis.
Núnc nisi tu mihi própere properas dáre iam trigintá minas,
Quás ego aput te déposiui, uítam propera pónere.
LV. Nón edepol ego núnc mediocri mácto te infortúnio,
Sét eopse illo quó mactare sóleo quoi nil déhibeo.
TH. Né mihi te faciás ferocem aut súpplicare cénseas.
LV. Néc tu me quidem úmquam subiges rédditum ut reddám tibi,
Néc daturus súm. TH. Idem ego istuc quóm credebam crédidi,
Té nihil esse rédditurum. LV. Quór nunc a me igitúr petis?
TH. Scíre uolo quoi réddidisti. LV. Lúsco libertó tuo:
Ís Summanum sé uocari díxit: ei réddidi,
Qui hás tabellas ópsignatas áttulit. TH. Quas tú mihi
Tábulas, quos luscós libertos, quós Summanos sómnias?
Néc mihi quidem libértus ullus ést. LV. Facis sapiéntius
Quám latronum párs libertos quí habent et eos déserunt.
TH. Quíd fecisti? LV. Quód mandasti, féci honoris grátia:

Tùum qui signum ad me áttulisset núntium ne spérnerem.
TH. Stúltior stultó fuisti, qui hís tabellis créderes.
LV. Quís res puplica ét priuata géritur, non is créderem?
Égo abeo: tibi rés solutast récte. bellatór, uale.
TH. Quíd, ualeam? LV. At tu aegróta, si lubét, per me aetatém quidem.
TH. Quíd ego nunc faciám? quid refert mé fecisse régibus
Ýt mi oboedirént, si hic me hodie umbráticus derísserit?

CAPPADOX. THERAPONTIGONVS.

CA. Quoí homini di súnt propitii, ei nón esse iratós puto.
Postquam rem diuínam feci, [póst] mihi in mentém uenit,
Nè tarpessita éxulatum abíerit, argentum út petam,
Ýt ego potius cómedim quam ille. TH. Iússeram saluére te.
CA. Thérapontigone Plátagidore, sálue: saluos quom áduenis
Ín Epidaurum, hic hódie aput me — númquam délingés salem.
TH. Béne uocas: uerúm locata rés est ut male sít tibi.
Sét quid agit meum mércimonium ăput te? CA. Nil aput mé quidem.
Né facias testís: neque equidem déhibeo quicquám. TH. Quid est?

CA. Quód fui iurátus, feci. TH. Réddin an non uírginem
Príus quam te huic meaé machaerae óbicio, mastígia?
CA. Vápulare ego té uehementer iúbeo: ne me térrites.
Ílla abductast: tu aúferere hinc á me si pergés mihi
Mále loqui profécto, quoi ego nísi malum nil déhibeo.
TH. Míhin malum minitáre? CA. Atque edepol nón minitabor, sét dabo, 571
Míhi si perges ésse molestus. TH. Léno minitatúr mihi
Mĕaeque pugnae proéliares plúrumae optritaé iacent?
Át ita me machaéra et clupeus * * * * 574
Béne iuuent pugnántem in acie: nísi mi uirgo rédditur,
Iam égo te faciam ut híc formicae frústillatim dífferant.
CA. Át ita meae uolséllae pecten spéculum calamistrúm meum
Béne me amassint méaque axicia línteumque extérsui,
Ýt ego tua magnífica uerba néque istas tuas magnás minas
Nón pluris fació quam ancillam mĕam quae latrinám lauat. 580
Égo illam reddidi [ĕi] qui argentum a te áttulit. TH. Quis is ést homo?
CA. Tŭum libertum sése aiebat ésse Summanúm. TH. Meum?
Áttat, Curculio hércle uerba míhi dedit, quom cógito:
Ís mihi anulúm subrupuit. CA. Pérdidistin tu ánulum?
Míles pulcre cénturiatus ést expuncto in mánipulo. 585
TH. Ýbi nunc Curculiónem inueniam? CA. In trítico facíllume
Vél quingentos cúrculiones pro úno faxo réperies.
Égo abeo: uale átque salue. TH. Mále uale, male sít tibi.

Quíd ego faciam? máneam an abeam? sícin mihi esse os óblitum?
Cúpio dare mercédem, qui illunc úbi sit conmonstrét mihi.

Cvrcvlio. (Therapontigonvs.)

CV. Ántiquom poétam audiui scrípsisse in tragoédia,
Múlieres duás peiores ésse quam unam: rés itast.
Vérum mulierém peiorem, quam haéc amicast Phaédromi,
Nón uidi [aut] audíui neque pol díci nec fingí potest:
Quae [éxtemplo] ubi med húnc habere cónspicatast ánulum,
Rógat unde habeam. 'quíd id tu quaeris?' "quía mi quaesitóst opus."
Négo me dicere. út cum eriperet, mànum [meam] arripuit mórdicus.
Víx foras me abrípui atque ecfugi. ápage istanc caníeulam.

Planesivm. Phaedromvs. Cvrcvlio. Therapontigonvs.

PL. Phaédrome [mi], properá. PH. Quid properem? PL. Párasitum ne amísseris:
Mágna res est. PH. Núllast mihi: nam quam hábui apsumpsi céleriter.
Téneo: quid negótist? PL. Rogita unde ístunc habeat ánulum:

Páter istum meus géstitauit. CV. Át [pol] mea matértera.
PL. Máter illi utúndum dederat. CV. Túus pater russúm mihi.
PL. Núgas garris. CV. Sóleo: nam proptér eas uiuo fácilius.
Quíd nunc? PL. Opsecró parentis né meos mihi próhibeas.
CV. Quíd ego? sub gemmáne apstrussos hábeo tuam matrem ét patrem?
PL. Líbera ego sum náta. CV. Et alii múlti, qui nunc séruiunt.
PL. Ěnimuero irascór. CV. Dixi equidem tíbi, unde ad me hic peruénerit:
Quótiens dicundúmst? elussi mílitem, inquam, in álea.
TH. Sáluos sum: eccum quém quaerebam. quíd agis, bone uir? CV. Aúdio:
Sí uis tribus bolís uel in chlamudem. TH. Quín tu is in malám crucem
Cúm bolis, cum búlbis? etiam rédde argentum aut uírginem.
CV. Quód argentum, quas tú mihi tricas nárras? quam tu uírginem
Mé reposcis? TH. Quám ab lenone abdúxti [tu] hodie, scélus uiri.
CV. Núllam abduxi. TH. Cérte eccistam uídeo. PH. Virgo haec líberast.
TH. Méane ancilla líbera ut sit, quam égo numquam emissí manu?
PH. Quís tibi hanc dedít mancupio aut únde emisti? fác sciam.
TH. Égo quidem pro istác rem solui áb tarpessitá meo,

Quam égo pecuniám quadruplicem aps té et [ab] lenone aúferam.
PH. Quí scis mercarí furtiuas átque ingenuas uírgines,
Ámbula in ius. TH. Nón eo. PH. Licet ántestari? TH. Nón licet.
PH. [Át] te Iuppitér male perdat: íntestatus uíuito.
CV. Át ego quem licét. PH. Tu accede huc. TH. Séruom antestarí? uide.
CV. Hem,
V́t scias me líberum esse. TH. Ergo ámbula in ius. hém tibi.
CV. Ó ciues, ciués. TH. Quid clamas? PH. Quíd tibi istum táctiost?
TH. Quía mi lubitumst. PH. Áccede huc tu: ego íllum tibi dedám: tace.
CV. Phaédrome, opsecró, serua me. PH. Támquam me et geniúm meum.
Míles, quaeso tú mihi dicas, únde illum habeas ánulum,
Quém parasitus híc te elussit. PL. Pér tua genua te ópsecro,
V́t nos facias cértiores. TH. Quíd istuc ad uos áttinet?
Quaératis chlamudem ét machaeram hanc, únde ad me peruénerit.
CV. V́t fastidit glóriosus. TH. Mítte istum: ego dicam ómnia.
CV. Níhil est quod ille dícit. PH. Face me cértiorem, [te] ópsecro.
TH. Ego dícam: surge. hanc rem ágite atque animum aduórtite.
Patér meus habuit Périphanes. PL. [Hem, Périphanes?]
TH. Is príus quam moritur míhi dedit tamquám suo,

Vt aéquom fuerat, fílio . . PL. Pro Iúppiter.
TH. Et istí me heredem fécit. PL. [O] pietás mea,
Seruá me, quando ego té seruaui sédulo.
Fratér mi, salue. TH. Quí ego istuc credám? cedo,
Si uéra memoras, quaé fuit matér tua?
PL. Cleobúla. TH. Nutrix quaé fuit? PL. Arché-strata.
Ea mé spectatum túlerat per Dionúsia
* * * * * * *
Postquam íllo uentumst, iám ut me conlocáuerat,
Exóritur uentus túrbo: spectacla íbi ruont:
Ego pértimesco: tum íbi nescio quis me árripit
Timidam átque pauidam, néc uiuam nec mórtuam:
Nec quó me pacto apstúlerit possum dícere.
TH. Memini ístanc turbam fíeri: set tu díc mihi,
Vbi is ést homo, qui té subrupuit? PL. Néscio:
Verum húnc seruaui sémper mecum una ánulum,
Cum hoc ólim perii. TH. Cédo ut inspiciam. CV. Sánane es,
Quae istí committas? PL. Síne modo. TH. Pro Iúppiter:
Hic ést quem tibi ego míssi natalí die:
Tam fácile noui quám me. salue, méa soror.
PL. Fratér mi, salue. PH. Děos uolo bene uórtere
Istám rem uobis. CV. Ét ego nobis ómnibus:
Tu ut hódie aduenions cénam des soróriam:
Hic núptialem crás dabit: promíttimus.
PH. Tace tú. CV. Non taceo, quándo res uortít bene.
Tu istánc desponde huic, míles: ego dotém dabo.
TH. Quid dótis? CV. Egone? ut sémper dum uiuát me alat.

TH. Verum hércle dicit: mé lubente féceris.
Set léno hic dehibet nóbis trigintá minas.
PH. Quam ob rem ístuc? TH. Quia illic íta repromissít mihi,
Si quísquam hanc liberáli adseruissét manu,
Sine cóntrouorsia ómne argentum réddere.
CV. Nunc èamus ad lenónem. TH. Laudo. PH. Hoc príus uolo:
Meam rem ágere. TH. Quid id est? PH. Ýt mihi hanc despóndeas.
CV. Quid céssas, miles, hánc huic uxorém dare?
TH. Si haec uólt. PL. Mi frater, cúpio. TH. Fiat. CV. Béne facis.
PH. Spondésne, miles, míhi hanc uxorem? TH. Spóndeo.
PH. Et ego [á me] huic uictum spóndeo. CV. Lepidé facis.
[Set] * * * * * * * *
TH. * * * * * * * *
Set eccúm lenonem, incédit, thensaurúm meum.

CAPPADOX. THERAPONTIGONVS.
PHAEDROMVS. PLANESIVM.

CA. Árgentariís male credi qui áiunt, nugas praédicant:
Néc bene nec male crédi dico: id ádeo ego hodie expértus sum.
Nón male creditúr qui numquam réddunt, set prossúm perit.
Vélut decem minás dum [hic] soluit, ómnis mensas tránsiit:

Póstquam nil fit, clámore hominem pósco: ille in ius mé uocat.
Péssume metuí ne mi hodie apút praetorem sólueret:
Vérum amici cónpulerunt: rédditargentúm domo.
Núnc domum properáre certumst. TH. Heús tu, leno: té uolo.
PH. Ét ego te uolo. CA. Át ego uos nolo ámbos. TH. Sta sis ílico.
PH. Átque argentum própere propera uómere. CA. Quid tecúmst mihi?
Aút tecum? TH. Quia fáciam ex te hodie pílum catapultárium
Átque ita te neruó torquebo, ítidem ut catapultaé solent.
PH. Délicatum te hódie faciam, cúm catello ut ádcubes,
Férreum ego dico. CA. Át ego uos ambo ín robusto cárcere
Vt pereatis. TH. Cóllum opstringe, abdúce istum in malám crucem.
PH. Quídquid est, ipse íbit potius. CA. Pró deum atque hominúm fidem:
Hócin pacto [hinc] índemnatum atque íntestatum me ábripi?
Ópsecro, Planésium, et te, Phaédrome, auxilium út feras.
PL. Fráter, opsecró te, noli hunc índemnatum pérdere:
Béne et pudice mé domi habuit. TH. Haú uoluntate íd sua:
Aésculapio huíc habeto, quóm pudica's, grátiam:
Nám si is ualuissét, iam pridem quóquo posset míttere.

PH. Ánimum aduortite, [égo] si possum hoc ínter uos conpónere.
Mítte istunc. accéde huc, leno. dícam meam senténtiam,
Sí quidem uoltis quód decrero fácere. TH. Tibi permíttimus.
CA. Dúm quidem hercle ita iúdices, ne quísquam a me argentum aúferat.
TH. Quódne promistí? CA. Promissi? quí? TH. Lingua. CA. Eadem núnc nego:
Dícundi, non rém perdundi grátia haec natást mihi.
TH. Níhil agit, collum ópstringe homini. CA. Iámiam faciam ut iússeris.
TH. Quándo uir bonú's, responde [hoc] quód rogo. CA. Roga quód lubet.
TH. Prómistin, si líberali quísquam hanc adsererét manu,
Té omne argentum rédditurum? CA. Nón conmemini dícere.
TH. Quíd, negas? CA. Nego hércle uero: quó praesente? quo ín loco?
TH. Mé ipso praesente ét Lucone tárpessita. CA. Nón taces?
TH. Nón taceo. CA. Non égo te flocci fácio: ne me térrites.
TH. Mé ipso praesente ét Lucone fáctumst. PH. Satis credó tibi.
Núnc adeo, ut tu scíre possis, léno, meam senténtiam,
Líbera haec est, híc huius frater, haéc autem illiúst soror:
Haéc mihi nubet, tu huíc argentum rédde: hoc iudiciúm meumst.

CA. Hércle istam rem iúdicasti pérfidiose, Phaédrome.
Ét tibi oberit ét te, miles, dí deaeque pérduint.
TH. Tu aútem in neruo iám iacebis, nísi mi argentum rédditur.
CA. Túm me sequere. TH. Quó sequar te? CA. Ád tarpessitám meum,
Ád praetorem: nám inde rem soluo ómnibus quibus déhibeo.
TH. Égo te in neruom, haut ád praetorem hinc rápiam, ni argentúm refers.
CA. Égo te uehementér perire cúpio, ne me néscias.
TH. Ítane uero? CA. Ita hércle uero. TH. Nóui ego hos pugnós meos.
CA. Quíd tum? TH. Quid tum, rógitas? hisce ego, sí tu me inritáueris,
Plácidum te hodie réddam. CA. Age ergo récipe [hoc] actutúm. TH. Licet.
PH. Tú, miles, aput mé cenabis: hódie fient núptiae.
TH. Quaé res bene uortát mi et uobis. CANTOR. Spéctatores, plaúdite.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 ad 95 iambici senarii
- 96 et 97 anapaestici septenarii
- 98 iambicus septenarius
- 99 et 100 cretici tetrametri acatalecti
- 101 creticus trimeter acatalectus
- 102 ad 104 iambici septenarii
- 105 ad 109 cretici tetrametri acatalecti
- 110 iambicus septenarius
- 111 trochaicus dimeter catalecticus
- 112 et 113 cretici tetrametri acatalecti
- 114 trochaicus dimeter acatalectus
- 115 et 116 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 117 compositus ex duabus trochaicis tripodiis catalecticis
- 118 et 119 cretici tetrametri acatalecti
- 120 ad 125 iambici septenarii
- 126 ad 129 trochaici septenarii
- 130 ad 132 trochaici octonarii
- 133 et 135 cretici tetrametri acatalecti
- 134 136 137 trochaici dimetri acatalecti
- 138 ad 146 trochaici octonarii
- 147 ad 154 cretici tetrametri acatalecti
- 155 iambicus octonarius
- 156 trochaicus dimeter catalecticus
- 157 iambicus septenarius
- 158 ad 215 trochaici septenarii
- 216 ad 279 iambici senarii
- 280 ad 370 trochaici septenarii
- 371 ad 461 iambici senarii
- 462 ad 486 trochaici septenarii
- 487 ad 532 iambici septenarii
- 533 ad 634 trochaici septenarii
- 635 ad 678 iambici senarii
- 679 ad 729 trochaici septenarii.

T. MACCI PLAVTI

P S E V D V L V S.

M · IVNIO · M · FIL · PR · VRB ·

ACTA · MEGALESIIS

ARGVMENTVM I.

Praeséntis numerat quíndecim milés minas:
Simúl consignat sýmbolum, ut Phoenícium
Eí det leno qui èum cum relicuo ádferat.
Veniéntem caculam ínteruortit sýmbolo
Dicéns Syrum se Bállionis Pseúdolus
Opémque [suo] erili íta tulit: nam Símmiae
Lenó mulierem, quém is supposuit, trádidit.
Venit Hárpax uerus: rés palam cognóscitur
Senéxque argentum quód erat pactus réddidit.

ARGVMENTVM II.

Caludórus [meretricem ádulescens Phoenícium]
Efflíctim deperíbat, nummorum índigus.
Eándem miles, quí uiginti múlierem
Minís mercatus ábiit, soluit quíndecim,
Scortúm reliquit ád lenonem ac sýmbolum,
Vt, qui áttulisset sígnum simile cétero
Cum prétio, secum auéheret emptam múlierem.
Mox míssus ad praendéndum scortum a mílite
Venít calator mílitaris. èum [dolis]
Adgréditur adulescéntis seruos Pseúdulus
Tamquám lenonis átriensis, sýmbolum
Aufért minasque quínque acceptas mútuas
Dat súbditiuo cáculae cum sýmbolo.
Lenónem fallit sýcophanta cácula:
Scortó Caludorus pótitur saluo Pseúdulo.

PERSONAE.

PSEVDVLVS SERVOS
CALVDORVS ADVLESCENS
BALLIO LENO
LORARIVS
SIMO SENEX
CALLIPHO SENEX
HARPAX CACVLA
CHARINVS ADVLESCENS
PVER
COQVOS
SIMMIA SVCOPHANTA
PHOENICIVM MVLIER

PROLOGVS.

* * * * * * *
* * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *

Expórgi meliust lúmbos atque exúrgere:
Plautína longa fábula in scaenám uenit.

ACTVS I.

Pseudulus. Calidorus.

PS. Si ex té tacente fíeri possem cértior,
Ere, quaé miseriae té tam misere mácerent,
Duorúm labori ego hóminum parsissém lubens:
Mei té rogandi et tís respondendí mihi.
Nunc quóniam id fieri nón potest, necéssitas
Me súbigit ut te rógitem. respondé mihi:
Quid ést quod tu exanimátus iam hos multós dies
Gestás tabellas técum, eas lacrumís lauis
Neque tŭi participem cónsili quemquám facis?
Elóquere, ut quod ego néscio tecúm sciam.
CA. Miseré miser sum, Pseúdule. PS. Id te Iúppiter
Prohibéssit. CA. Nihil hoc Ióuis ad iudicium áttinet:
Sub Véneris regno uápulo, non súb Iouis.
PS. Licétne id scire quíd sit? nam tu me ántidhac
Suprémum habuisti cómitem consiliís tuis.

CA. Idem ánimus nunc est. PS. Fáce me certum quíd tibist:
Iuuábo aut re [te] aut ópera aut consilió bono.
CA. Cape hás tabellas: túte hinc narrató tibi,
Quae mé miseria et cúra contabéfacit.
PS. Mos tíbi geretur. sét quid hoc, quaesó? CA. Quid est?
PS. Vt opínor, quaerunt líterae hae sibi líberos:
Aliam ália scandit. CA. Lúdin me ludó tuo?
PS. Has quïdem pol credo, nísi Sibulla légerit,
Intérpretari pótis esse alium néminem.
CA. Quor ínclementer dícis lepidis líteris,
Lepidís tabellis, lépida conscriptís manu?
PS. An ópsecro hercle habént quas gallinaé manus?
Nam has quïdem gallina scrípsit. CA. Odiosús mihi's:
Lege uél tabellas rédde. PS. Immo enim péllegam:
Aduórtito animum. CA. Nón adest. PS. At tú cita.
CA. Immo égo tacebo: tú istinc ex cerá cita:
Nam istíc meus animus núnc est, non in péctore.
PS. Tuam amícam uideo, Cáludore. CA. Vbi east, ópsecro?
PS. Eccam ín tabellis pórrectam: in cerá cubat.
CA. At té di deaeque, quántumst . . PS. Seruassínt quidem.
CA. Quasi sólstitialis hérba paulispér fui:
Repénte exortus súm, repentino óccidi.
PS. Tace, dúm tabellas péllego. CA. Ergo quín legis?
PS. 'Phoenícium Caludóro amatorí suo
Per céram et linum líterasque intérpretes

Salútem mittit ét salutem aps te éxpetit
Lacrumáns titubantique ánimo corde et péctore.'
CA. Perií: salutem núsquam inuenio, Pseúdule,
Quam illí remittam. PS. Quám salutem? CA. Argénteam.
PS. Pro lígnean salúte uis argénteam
Remíttere illi? uíde sis quam tu rém geras.
CA. Recitá modo: ex tabéllis iam faxó scies,
Quam súbito argento mi íssus inuentó siet.
PS. 'Lenó me peregre míliti Macédonio
Minís uiginti, méa uoluptas, uéndidit.
Ei príus quam hinc abiit quíndecim milés minas
Dederát: nunc unae quínque remorantúr minae.
Ea caússa miles híc reliquit súmbulum,
Expréssam in cera ex ánulo suam imáginem,
Vt qui húc adferret éius similem súmbulum
Cum eo sĕmul me [leno] mítteret: ei rĕi dies
Haec praéstitutast próxuma [ad] Dionúsia.'
CA. Cras éa quidem sunt: própe adest exitiúm mihi,
Nisi quíd mi in ted est aúxili. PS. Sine péllegam.
CA. Sino: nám mihi uideor cúm ea fabulárier.
Lege: dúlce amarumque úna nunc miscés mihi.
PS. 'Nunc nóstri amores móres consuetúdines
Iocus lúdus sermo suáuis sauiátio,
Conpréssiones ártae amantum cónparum,
Tenerís labellis mólles morsiúnculae,
Papíllarum horridulárum oppressiúnculae:
Harúm mihi uoluptatum ómnium atque itidém tibi
Distráctio discídium uastitiés uenit,
Nisi quaé mi in ted est aút tibist in mé salus.
Haec quae égo scio tu ut scíres curaui ómnia:
Nunc égo te experiar quíd ames, quid simulés. uale.'

CA. Est mísere scriptum, Pseúdule. PS. O misérrume.
CA. Quin flés? PS. Pumiceos óculos habeo: nón queo
Lacrumam éxorare ut ëxpuant unám modo.
CA. Quid itá? PS. Genus nostrum sémper siccoculúm fuit.
CA. Nilne ádiuuare me aúdes? PS. Quid faciám tibi?
CA. Eheú. PS. Eheu? id quidem hércle ne parsís: dabo.
CA. Misér sum: argentum núsquam inuenio mútuom . .
PS. Eheú. CA. Neque intus númmus ullus ést. PS. Eheu.
CA. Ille ábducturus múlierem cras ést. PS. Eheu.
CA. Istócine pacto me ádiuuas? PS. Do id quód mihist:
Nam is míhi thensaurus iúgis in nostrást domo.
CA. Actum hódie de mest. sét potes nunc mútuam
Drachumám mihi unam dáre, quam cras reddám tibi?
PS. Vix hércle opino, etsí me opponam pígnori.
Set quíd ea drachuma fácere uis? CA. Restím uolo
Mihi émere. PS. Quam ob rem? CA. Quí me faciam pénsilem:
Certúmst mihi ante ténebras tenebras pérsequi.
PS. Quis mi ígitur drachumam réddet, * * * ?
An tu ĕa te caussa uís sciens suspéndere,
Vt mé defraudes dráchuma, si dederím tibi?
CA. Profécto nullo pácto possum uíuere,
Si illa á me abalienátur atque abdúcitur.

PS. Quid flés, cucule? uíues. CA. Quid ego ní fleam,
Quoi néc paratus númmus argentí siet
Neque líbellai spés sit usquam géntium?
PS. Vt líterarum ego hárum sermonem aúdio,
Nisi tu ílli lacrumis fléueris argénteis,
Quod tu ístis lacrumis té probare póstulas,
Non plúris refert quám si imbrem in cribrum íngeras.
Verum égo te amantem, né paue, non déseram.
Spero álicunde hodie mĕa bona opera hercle aút mala
Tibi [me] ínuenturum esse aúxilium argentárium.
Atqui íd futurum unde, únde dicam néscio,
Nisi quía futurumst: íta superciliúm salit.
CA. Vtinám quae dicis díctis facta súppetant.
PS. Scis tú quidem hercle, méa si conmouí sacra,
Quo pácto et quantas sóleam turbellás dare.
CA. In té nunc omnes spés sunt aetatí meae.
PS. Satin ést si hanc hodie múlierem ecfició tibi
Tua út sit aut si tíbi do uigintí minas?
CA. Satis, sí futurumst. PS. Róga me uigintí minas,
Vt me écfecturum tíbi quod promissí scias.
Roga, ópsecro hercle: géstio promíttere.
CA. Dabísne argenti mi hódie uigintí minas?
PS. Dabó: molestus núnc ïam ne sís mihi.
Atque hóc, ne dictum tíbi neges, dicó prius:
Si néminem alium pótero, tuum tangám patrem.
CA. Pietátis caussa uél etiam matrém quoque.
Di té mihi [semper] séruent. uerum sí [haú] potes?
PS. De istác re in oculum utrúmuis conquiéscito.
CA. [In] óculumne an in aurem? PS. Át hoc peruolgatúmst nimis.

Nunc néquis dictum síbi neget, dico ómnibus,
Pubé praesenti in cóntione, omní poplo,
Omníbus amicis nótisque edicó meis,
In húnc diem a me ut cáueant, ne credánt mihi.
CA. St,
Tace, ópsecro hercle. PS. Quíd negotist? CA. Óstium
Lenónis crepuit. PS. Crúra mauellém modo.
CA. Atque ípse egreditur íntus, periurí caput.

BALLIO. LORARII. (SERVAE.) CALVDORVS. PSEVDVLVS.

BA. Éxite, agite exíte, ignaui, mále habiti et male cónciliati,
Quórum numquam quícquam quoiquam uénit in mentem ut récte faciant,
Quíbus, nisi ad hoc exémplum experior, nón potest ussura ússurpari.
Néque homines magis ásinos umquam uídi: ita plagis cóstae callent:
Quós quom ferias, tíbi plus noceas. éo enim ingenio hi súnt flagritribae,
Qui haéc habent consília: ubi data occássiost, rape clépe tene,
Hárpaga bibe és fuge.
Hóc eorum opust, ut máuelis lupós aput ouis línquere
Quam hós domi custódes.
Át faciem quom aspícias eorum, hau mãli uidentur: ópera fallunt.
Núnc adeo hanc edíctionem nísi animum aduortétis omnes,

Nísi somnum socórdiamque ex péctore oculisque ámouetis,
Íta ego uostra látera loris fáciam ualide uária uti sint,
Vt ne peristromáta quidem aeque pícta sint Campánica
Neque Aléxandrina béluata cónchuliata tapétia.
Atque héri iam edixeram ómnibus dederámque suas prouíncias:
Verum íta uos estis néglegentes pérditi ingenio ínprobo,
Offícium uostrum ut uós malo cupiátis conmonérier:
Nempe ita ánimati estis, uíncere durítia tergi hoc átque me.
Numquam édepol uostrum dúrius tergum érit quam terginum hóc meumst.
Hoc uíde sis: alias rés agunt. hoc ágite, hoc animum aduórtite.
Qui núnc? doletne? hem síc datur, siquís erum seruos spérnit.
Adsístite omnes cóntra me et quae lóquor aduortite ánimum.
[Huc ádhibete auris quae égo loquar, plagígerula genera hóminum.]
Tu qui úrnam habes, aquam íngere: face plénum ahenum sít cito.
Te cúm securi caúdicali praéficio prouínciae.
LO. At haéc retunsast. BA. Síne siet. itidém uos quoque estis plágis:
Numquí minus ea grátia tamen ómnium utor ópera?
Tíbi hoc praecipio ut níteant aedes: hábes quod facias: própera, abi intro.

Tú esto lectistérniator. tú argentum eluito, ítidem extruito.
Haéc, quom ego a foró reuortar, fácite ut offendám parata,
Vórsa sparsa térsa strata laúta structaque ómnia ut sint.
Nám mi hodiest natális dies: eum décet omnis uos cónceleb rare.
Pérnam callum glándium sumen fáce in aqua iaceánt. satin audis?
Mágnifice uolo mé uiros summos áccipere, ut rem mi ésse reantur.
Íntro abite atque haéc celerate, né mora quae sit, cóquos quom ueniat.
Ego eo ín macellum, ut píscium quidquíd ibist pretio praéstinem.
I, púere, prae: crumínam ne quisquám pertundat cáuitiost.
Vel ópperire: est quód domi fui paéne oblitus dícere.
Audítin? uobis, múlieres, hanc hábeo edictiónem.
Vós quae in munditiís mollitiis délicíisque aetátulam agitis
Viris cum summis, ínclutae amicae: núnc ego scibo atque hódie experiar,
Quaé capiti, quae uéntri operam det, quaé suae rei, quae sómno studeat:
Quám libertam fóre mi credam et quám uenalem * * * *
Fácite mi hodie ut múnera multa huc áb amatoribús conueniant:
Nám nisi mi annuos cóngeretur pénus, cras populo próstituam uos.
Nátalem mi esse húnc diem scitis: úbi isti sunt quibus uós oculi estis,
Quíbus uitae estis, quíbus deliciae, sáuia, mammillaé mellitae?

Mánipulatim múnerigeruli míhi iam ante aedis fácite hic adsint.
Quór ego uestem aurum átque ea quibus est uóbis ussus praéhibeo?
Quíd mihi nisi malúm uostra operast, ínprobae, uiní modo cupidae?
Èo uos uostrosque ádeo panticés madefacitis, quom égo sim hic siccus.
Nunc ádeo hoc factust óptumum, ut suo quémque appellem nómine,
Ne díctum esse actutúm sibi quisquám uostrarum míhi neget.
Aduórtite animum cúnctae.
Princípio, Hedulium, técum ago, quae amíca's frumentáriis,
Quibus cúnctis montes máxumi fruménti sunt [structí] domi:
Face sís sit delatum húc mihi fruméntum, hunc annum quód satis
Mihi ét familiae omní meae sit, ádeo ut frumento ádfluam,
Vt cíuitas nomén mihi conmútet meque ut praédicet
Lenóne ex Ballióne regem Iásionem. CA. Audin, fúrcifer
Quaé loquitur? * * sátin magnificus tíbi uidetur?
PS. Pól iste, atque etiam málificus: set táce [nunc] atque hanc rém gere.
BA. Aéschrodora, tú quae amicos tíbi habes lenonum aémulos
Lánios, qui item ut nós iurando iúre male rem quaérunt, audi:
Nísi carnariá tria grauida tégoribus onere úberi hodie

Míhi erunt, cras te, quási Dircam olim ut mémorant duo gnatí Iouis
Déuinxere ad taúrum, item hodie cónstringam ad carnárium:
Íd tibi profecto taúrus fiet. CA. Nímis sermone huius íra incendor.
Húncine hic hominém pati [nos] cólere iuuentutem Átticam?
V́bi sunt, ubi latént quibus aetas íntegrast, qui amant á lenone?
Quín conueniunt? quín una omnes péste hac popu lum líberant?
Sét [ego] nimis sum stúltus, nimium indóctus: [nempe] illi aúdeant
[Ís] id facere, quíbus ut [miseri] séruiant suús amor cogit?
[Simul prohibeat faciant aduersum eos quod malint.]
PS. Vah, táce. CA. Quid est? PS. Male míhi morigeru's, quóm sermoni huius ópsonas.
CA. Táceo. PS. At taceas málo multo quám tacere dícas. BA. Tu autem,
Xústulis, face ut ánimum aduortas, quòius amatorés oliui
Dúnamin domi habent máxumam:
Sí mihi non iam huc cúlleis
Óleum deportátum erit,
Té ipsam culleo égo cras faciam ut déportere in pérgulam.
Íbi tibi adeo léctus dabitur, úbi tu hau somnum cápias, set ubi
V́sque ad languorém —: tenes
Quóssum haec tendant quaé loquor.
Áin tu excetra, quaé tibi amicos tót habes tam probe óleo onustos?

Númqui quoipiámst tuorum túa opera hodie cónseruorum
Nítidiusculúm caput? aut num ipse égo pulmento utór magis
Ýnctiusculó? set scio, tu óleum hau magni péndis: uino [Tú] te deungis. síne modo:
Égo quidem repéndam haec hercle cúncta una opera, tú nisi hodie
Fácis ecfecta quaé loquor.
Tu aútem, quae pro cápite argentum míhi iam tam [diu] sémper numeras,
Quaé pacisci módo scis, set quod pácta's non scis sóluere,
Phoenícium, tibi ego haéc loquor, delíciae summatúm uirum:
Nísi hodie mi ex fúndis tuorum amícorum omne huc pénus adfertur,
Crás, Phoeniciúm, poenicio cório inuisses pérgulam.
CA. Pseudúle, non audis quae híc loquitur? PS. Audío, ere, atque animum aduórto.
CA. Quid míhi's auctor huic út mittam, ne amícam hic meam prostítuat?
PS. Nil cúrassis: liquidó's animo: ego pro mé et pro te curábo.
Iam díu ego huic et mi hic béne uolumus et amícitiast antíqua:
Mittam hódie huic suo die nátali malam rém magnam et matúram.
CA. Quid opíst? PS. Potin aliam rem út cures? CA. At.. PS. Bát. CA. Crucior. PS. Cor dúra.
CA. Non póssum. PS. Face possís. CA. Quonam pacto ánimum uincere póssim?

PS. In rém quod sit praeuórtaris quam re áduorsa animo auscúltes.
CA. Nugae ístaec sunt: non iúcundumst, nisi amáns facit stulte. PS. Pérgin?
CA. O Pseúdule mi, sine sím nihili: sine sís. PS. [Sino:] sine modo ego ábeam.
CA. Mane, máne: iam ut [tu] med ésse uoles ita eró. PS. Nunc tu sapis [démum].
BA. It dĭes: ego mihi cesso. í prae, puere. CA. Heus [tú, ille] abit: quin réuocas?
PS. Quid próperas? placide. CA. At príus quam abeat. BA. Quid, mălum, tam placide is, púere?
PS. Hódie nate, heus, hódie nate: tíbi ego dico: heus, hódie nate,
Redi ét respice ád nos. tam etsí's occupátus,
Morámur. mane: ést conloquí qui uolúnt te.
BA. Quid hóc est? quis ést qui morám mi occupáto
Moléstam optulít? PS. Qui tibí sospitális
Fuít. BA. Mortuóst qui fuít: qui est [is] uíuost.
PS. Nímis superbe. BA. Nímis molestu's. CA. Répraehende hominem: adséquere. BA. I, puere.
PS. Occédamus hác ob uiám. BA. Iuppitér te
Perdát, quisquis és. PS. Te uolo. BA. Át uos ego ámbos.
Vorte hác te, puér. PS. Non licét conloquí te?
BA. At míhi non lubét. PS. Sin tuám quipiam ín remst?
BA. Licétne, opsecró, bitere án non licét? PS. Vah,
Mánta. BA. Omitte. CA. Bállio, audi. BA. Súrdus sum. CA. Profécto [saeuo's].

BA. Inánilocus és tu.
CA. Dedí, dum fuít. BA. Non petó quod dedísti.
CA. Dabó, quando erít. BA. Ducitó, quando habébis.
CA. Heú heu, quam ego malis pérdidi modis
Quód tibi détuli et quód dedi. BA. Mórtua
Vérba re núnc facis: stúltus es, rem áctam agis.
PS. Nósce saltem húnc quis est.
BA. Iam dĭu scio qui fuit: núnc qui is est ipsús sciat ambulá tu.
PS. Potin út semel modo, Béllio, huc cúm lucro respícias?
BA. Réspiciam istoc prétio: nam si sácruficem summó Ioui
Átque in manibus éxta teneam ut póriciam, intereá loci
Sí lucri quid détur, potius rém diuinam déseram.
Nón potis [est] pietáti opsisti huic, útuti res sunt céterae.
CA. Dĕos quidem, quos máxume aequomst métuere, eos minumí facit.
BA. Cónpellabo. sálue multum, sérue Athenis péssume.
PS. Dí te deaeque amént uel huius árbitratu uél meo:
Vél, si dignu's álio pacto, néque ament nec faciánt bene.
BA. Quíd agitur, Caludóre? CA. Amatur átque egetur ácriter.
BA. Mísereat, si fámiliam alere póssim misericórdia.
PS. Héia, scimus nós quidem te quális sis: ne praédices.
Sét scin quid nos uólumus? BA. Pol ego própe modum: ut male sít mihi.
PS. Ét id et hoc quod té reuocamus quaéso animum aduorte. BA. Aúdio:
Átque in pauca, ut óccupatus núnc sum, confer quíd uelis.

PS. Húnc pudet, quod tíbi promissit quáque id promissít die,
Quía minas uigínti tibi pro amíca non etiám dedit.
BA. Nímio id quod pudét facilius fértur quam illut quód piget.
Nón dedisse istúnc pudet: me quía non accepí piget.
PS. Át dabit, parábit: aliquot hós dies mantá modo.
Nám id hic metuit né illam uendas ób simultatém suam.
BA. Fúit occassió, si uellet, iám pridem argentum út daret.
CA. Quíd si non habuí? BA. Si amabas, ínuenires mútuom.
Ád danistam déuenires, ádderes faenúsculum:
Súbruperes patrí. PS. Subruperet híc patri, audacíssume?
Nón periclumst néquid recte mónstres. BA. Non lenóniumst.
CA. Égon patri subrúpere possim quícquam, tam cautó seni?
Átque adeo, si fácere possim, píetas prohibet. BA. Aúdio:
Píetatem ergo istam ámplexator nóctu pro Phoenício.
Sét quoniam pietátem amori uídeo tuo praeuórtere:
Ómnes [homines] tíbi patres sunt? núllus est tibi quém roges
Mútuom argentúm? CA. Quin nomen quóque iam interiit mútuom.
PS. Heús tu, postquam hercle ísti a mensa súrgunt [saturatá cute],
Quí suum [quom] repetúnt, alienum réddunt nato némini,
Póstilla omnes caútiores súnt ne credant álteri.

CA. Nímis miser sum: númmum nusquam réperire argentí queo:
Íta miser et amóre pereo et ínopia argentária.
BA. Émito die caeca hércle oliuom, id uéndito oculatá die:
Iam hércle uel ducéntae possunt fíeri praesentés minae.
CA. Périi: annorum léx me perdit quínauicenária:
Métuont credere ómnes. BA. Eademst míhi lex: metuo crédere.
PS. Crédere autem? eho, an paénitet te, quánto hic fueritússui?
BA. Nón est ussu quísquam amator nísi qui perpetuát data:
Aút det usque [aut] quándo nil sit sémul amare désinat.
CA. Nílne te miserét? BA. Inanis cédis: dicta nón sonant.
Átque ego te uiuóm saluomque uéllem. PS. Eho, an iam mórtuost?
BA. Ýtut est, mihi quidém profecto cúm istis dictis mórtuost.
Ílico uixít amator, úbi lenoni súpplicat.
Sémper tu ad me cum árgentata accédito querimónia:
Nám istuc quod nunc lámentare, nón esse argentúm tibi,
Ăput nouercam quérere. PS. Eho, an tu umquam húius nupsistí patri?
BA. Dí meliora fáxint. PS. Face hoc quod té rogamus, Bállio,
Mèa fide, si istí formidas crédere. ego in hoc tríduo
Aút terra aut mari álicunde [aliqua] euóluam id argentúm tibi.
BA. Tíbi ego credam? PS. Quór non? BA. Quia pol quá opera credám tibi

Vna opera adligém canem fugitíuam agninis láctibus.
CA. Sícin mi aps te béne merenti mále refertur grátia?
BA. Quíd nunc uis? CA. Vt ópperiare hos séx dies festós modo,
Né illam uendas neú me perdas hóminem amantem. BA. Animó bono's:
Vél sex mensis ópperibor. CA. Eúge, homo lepidíssume.
BA. Ímmo uin etiám te faciam ex laéto laetantém magis?
CA. Quíd iam? BA. Quia enim nón uenalem iám habeo Phoenícium.
CA. Nón habes? BA. Non hércle uero. CA. Pseúdule, arcesse hóstias
Víctumas laniós, huic ut ego sácruficem summó Ioui:
Nam híc mihi nunc est múlto potior Iúppiter quam Iúppiter.
BA. Nólo uictumás: mininis me éxtis placarí uolo.
CA. Própera: quid stas? árcesse agnos: aúdin quid ait Iúppiter?
PS. Iám hic ero: uerum éxtra portam mi étiam currundúmst prius.
CA. Quíd eo? PS. Lanios índe arcessam dúo cum tintinnábulis:
Ĕadem duo gregés uirgarum inde úlmearum adégero,
Ýt hodie ad litátionem huic súppetat satiás Ioui.
BA. Í in malam crucem. PS. Ístuc ibit Iúppiter lenónius.
BA. Éx tua re nón est ut ego emóriar. PS. Qui dum? BA. Síc: quia,
Sí ego emortuós sim, Athenis té sit nemo néquior.
Éx tua rest út ego emoriar. CA. Quí dum? BA. Ego dicám tibi:
Quía edepol, dum ego uíuos uiuam, númquam eris frugí bonae.

CA. Díc mihi, opsecro hércle, uerum sério, hoc quod té rogo:
Nón habes uenálem amicam tú meam Phoenícium?
BA. Nón edepol habeó profecto: nám iam pridem uéndidi.
CA. Quó modo? BA. Sine órnamentis, cum íntestinis ómnibus.
CA. Měam tu amicam uéndidisti? BA. Válide: uiginti minis.
CA. Víginti minís? BA. Vtrum uis, uél quater quinís minis:
Míliti Macédonio. et iam quíndecim habeo [dŏmi] minas.
CA. Quíd ego ex te audió? BA. Tuam esse amícam factam argénteam.
CA. Quór id aussu's fácere? BA. Lubuit: méa fuit. CA. Eho, Pseúdule,
Í, gladium adfer. PS. Quíd opust gladio? CA. Qui húnc occidam [una] átque me.
PS. Quín tu ted occídis potius? nam húnc fames iam occíderit.
CA. Quíd ais, quantum [in] térra degit hóminum periuríssume?
Iúrauistin té illam nulli uénditurum nísi mihi?
BA. Fáteor. CA. Nempe concéptis uerbis? BA. Étiam consultís quoque.
CA. Périurauistí, sceleste. BA. At árgentum intro cóndidi.
Égo scelestus núnc argentum prómere [mihi] possúm domo:
Tú qui pius es, ístoc genere gnátus, nummum nón habes.
CA. Pseúdule, adsiste áltrim secus atque ónera hunc male dictís. PS. Licet:

Númquam ad praetorem aéque cursim cúrram, ut emittár manu.
CA. Íngere [huic] mala múlta. PS. Iam ego te dífferam dictís meis.
Ínpudice. BA. Itást. PS. Sceleste. BA. Dícis uera. PS. Vérbero.
BA. Quíppini? PS. Bustírape. BA. Certo. PS. Fúrcifer. BA. Factum óptume.
PS. Sóciofraude. BA. Súnt mea istaec. PS. Párricida. BA. Pérge tu.
CA. Sácrilege. BA. Fateór. CA. Periure. BA. Vétera uaticinámini.
CA. Légirupa. BA. Validé. PS. Pernicies ádulescentum. BA. Acérrume.
CA. Fúr. BA. Babae. PS. Fugitíue. BA. Bombax. CA. Fraús popli. BA. Planíssume.
PS. Fraúdulente. CA. Inpúre leno. PS. Caénum. BA. Cantorés probos. 366
CA. Vérberauistí patrem atque mátrem. BA. Atque occidí quoque
Pótius quam cibúm praehiberem: núm peccaui quípiam?
PS. Ín pertussum ingérimus dicta dólium: operam lúdimus.
BA. Númquid alium [me] étiam uoltis dícere? CA. Ecquid té pudet?
BA. Téne amatorem ésse inuentum inánem quasi cassám nucem?
Vérum quamquam múlta malaque dícta dixistís mihi,
Nísi mihi [hodie] attúlerit miles quínque quas debibét minas,
Sícut haec est praéstituta súmma ei argentó dies: 374
Sí id non adfert, pósse opinor fácere me officiúm meum.

CA. Quíd id est? BA. Si tu argéntum attuleris, cúm illo perdideró fidem:
Hóc officium mĕumst. magis operae sí sit, plus tecúm loquar.
Sét sine argento frústra's qui me tŭi misereri póstulas.
Haéc meast senténtia, ut tu hinc pórro quid agas cónsulas.
CA. Iámne abis? BA. Negóti nunc sum plénus. PS. Paulo póst magis.
Íllic homo meus ést, nisi omnes dí me atque homines déserunt.
Éxossabo ego illúm simulter ítidem ut muraenám coquos.
Núnc, Caludore, té mihi operam dáre uolo. CA. Ecquid ínperas?
PS. Hóc ego oppidum ádmoenire ut hódie capiatúr uolo
Ád eam rem ussust hómine astuto dócto scito et cállido,
Qui ínperata ecfécta reddat, nón qui uigilans dórmiat.
CA. Cédo mihi, quid és facturus? PS. Témperi ego faxó scies.
Nólo bis iterári: sat sic lóngae fiunt fábulae.
CA. Óptumum atque aequíssumum oras. PS. Própera, adduce hominem [húc] cito.
CA. Paúci ex multis súnt amici, hómini certi quí sient.
PS. Égo scio istuc: érgo utrumque tíbi nunc dilectúm para
Átque exquaere ex íllis multis únum qui certús siet.
CA. Iám hic faxo aderit. PS. Pótin ut abeas? tíbi moram dictís creas.
Postquam ílle hinc abiit, tu ástas solus, Pseúdule.
Quid núnc acturu's, póstquam erili fílio
Largítu's dictis dápsilis lubéntias?

Quoi néque paratast gútta certi cónsili
Neque ádeo argenti * * * *
Neque éxordiri prímum unde occupiás habes
Neque ad détexundam télam certos términos.
Set quási poeta, tábulas quom cepít sibi,
Quaerít quod nusquamst géntium, reperít tamen:
Facit íllut ueri símile quod mendáciumst:
Nunc égo poeta fíam: uigintí minas,
Quae núsquam nunc sunt géntium, inueniám tamen.
Atque égo me iam pridem huíc daturum díxeram
Ac uólui inicere trágulam in nostrúm senem:
Verum ís nescio quo pácto praesensít prius.
Set cónprimunda uóx mihi atque orátiost:
Erum éccum uideo huc [mèum] Simonem uná semul
Cum sùo uicino Cálliphone incédere.
Ex hóc sepulcro uétere uigintí minas
Ecfódiam ego hodie, quás dem erili fílio.
Nunc húc concedam, ut hórum sermoném legam.

SIMO. CALLIPHO. PSEVDVLVS.

SI. Si dé damnosis aút si de amatóribus
Dictátor fiat núnc Athenis Átticis,
Nemo ánteueniat fílio credó meo.
Ita núnc per urbem sólum sermoni ómnibust,
Eum uélle amicam líberare et quaérere
Argéntum ad eam rem: hoc álii mihi renúntiant
Atque íd iam pridem sénsi et subolebát mihi,
Set díssimulabam. PS. Iám illi [subolet] fílius:
Occíssast haec res, haéret hoc negótium.
Qua in cónmeatum uólueram argentárium

Proficísci, ibi nunc óppido opsaeptást uia.
Praesénsit: nihil est praédae praedatóribus.
CA. Hominés qui gestant quíque auscultant crímina,
Si meo árbitratu líceat, omnes péndeant,
Gestóres linguis, aúditores aúribus.
Nam istaéc quae tibi renúntiantur, fílium
Te uélle amantem argénto circumdúcere,
Fors fúat an istaec dícta sint mendácia.
Set sí sint ea uera, út nunc mos est, máxume,
Quid mírum fecit? quíd nouom, adulescéns homo
Si amát, si amicam líberat? PS. Lepidúm senem.
SI. Vetus nólo faciat. CA. Át enim nequiquám neuis:
Vel tú ne faceres tále in adulescéntia.
Probúm patrem esse opórtet, qui gnatúm suum
Essé probiorem quam ípsus fuerit póstulet.
Nam tú quod damni et quód fecisti flágiti
Populó uiritim pótuit dispertírier.
Tene íd mirari, sí patrissat fílius?
PS. Ὦ Ζεῦ, [Ζεῦ,] quam pauci éstis homines cómmodi:
En, ílluc est patrem ésse ut aequomst fílio.
SI. Quis hic lóquitur? meus est híc quidem seruos Pseúdulus.
Hic míhi conrumpit fílium, scelerúm caput:
Hic dúx, hic illist paédagogus: húnc ego
Cupio éxcruciari. CA. Iám istaec insipiéntiast,
[Sic] íram in promptu gérere: quanto sátius est
Adíre blandis uérbis atque exquaérere,
Sintne ílla necne sínt quae tibi renúntiant.
SI. Tibi aúscultabo. PS. Ítur ad te, Pseúdule:
Orátionem tíbi para aduorsúm senem.

Bonus ánimus in malá re dimidiúmst mali.
Erúm saluto prímum, ut aequomst: póstea
Siquíd superfit [íd] uicino inpértio.
SI. Salué. quid agitur? PS. Státur hic ad húnc modum.
SI. Statúm uide hominis, Cállipho, quam básilicum.
CA. Bene cónfidenterque ástitisse intéllego.
PS. Decet ínnocentem, quí sit, atque innóxium
Seruóm superbum esse áput erum potíssumum.
CA. Sunt quaé te uolumus pércontari, quaé quasi
Per nébulam nosmet scímus atque audíuimus.
SI. Confíciet iam te hic uérbis, ut tu cénseas
Non Pseúdulum, set Sócratem tecúm loqui.
PS. Itást: iam pridem tú me spernis, séntio.
[Paruam esse apud te mihi fidem ipse intellego.]
Cupis mé esse nequam: támen ero frugí bonae.
SI. Face sís uociuas, Pseúdule, aedis aúrium,
Mea út migrare dícta possint quó uolo.
PS. Age lóquere quiduis, tam étsi tibi suscénseo.
SI. Mihin dómino seruos tú suscenses? PS. Núm tibi
Mirum íd uidetur? SI. Hércle qui, ut tu praédicas,
Cauéndumst mi aps te iráto, atque haut alió modo
Me uérberare atque égo te soleo cógitas.
Quid cénses? CA. Edepol mérito esse iratum árbitror,
Quom aput té tam paruast ĕi fides. SI. Iam síc sino
Irátus sit: ego néquid noceat cáuero.
Set quíd ais? quid hoc quod té rogo? PS. Quiduís roga:
Quod scíbo Delphis tíbi responsum dúcito.
SI. Aduórte ergo animum et fáce sis promissí memor.

Quid aís? ecquam scis fílium tibícinam
Meum amáre? PS. *Ναὶ γάϱ.* SI. Líberare quám uelit?
PS. *Καὶ τοῦτο ναὶ γάϱ.* SI. Écquas uigintí minas
[Per sucophantiam atque per doctos dolos]
Paritás ut auferás a me? PS. Aps te ego aúferam?
SI. Ita: quás meo gnato dés, qui amicam líberet?
Fatére? dic. PS. *Καὶ τοῦτο ναί, καὶ τοῦτο ναί.*
SI. Fatétur. dixin, Cállipho, dudúm tibi?
CA. Meminí. SI. Quor haec, tu úbi resciuisti ílico,
Celáta me sunt? quór non resciui? PS. Éloquar:
Quia nólebam ex me mórem progigní malum,
Erum út [suum] seruos críminaret áput erum.
SI. Iubéren [tu] hunc praecípitem in pistrinúm trahi?
CA. Numquíd, Simo, peccátumst? SI. Immo máxume.
PS. Desíste: recte ego mĕam rem sapio, Cállipho.
Peccátane ea sunt? ánimum aduorte núnc ïam,
Quaprópter gnati amóre te expertem hábuerim:
Quia míhi sciebam prístrinum in mundó fore.
SI. Non á me scibas prístrinum in mundó fore,
Quom ea mússitabas? PS. Scíbam. SI. [Quin] dictúmst mihi?
PS. Quia illút malum aderat, [istuc aberat longius:
Illut erat praesens,] huíc erant diéculae.
SI. Quid núnc agetis? nam hínc quidem a me nón potest
Argéntum auferri, quí praesertim sénserim.
Ne quísquam credat númmum, iam edicam ómnibus.
PS. Numquam édepol quoiquam súpplicabo, dúm quidem

Tu [uíuos] uiues: tú mi hercle argentúm dabis:
Aps te équidem sumam. SI. Tú a me sumes? PS. Strénue.
SI. Exlídito mi hercle óculum, si dederó. PS. Dabis.
Iam díco ut a me cáueas. SI. Certe edepól scio:
Si apstúleris, mirum et mágnum facinus féceris.
PS. Faciam. SI. [Át] si non apstúleris? PS. Virgis caédito.
Set quíd si apstulero? SI. Dó Iouem testém tibi,
Te aetátem inpune habitúrum. PS. Facito ut méminerís.
SI. Egone út cauere néqueam, quoi praedícitur?
PS. Praedíco, ut caueas: díco, inquam, ut caueás: caue:
Hem, istís mihi tu hodie mánibus argentúm dabis.
SI. Edepól mortalem gráphicum, si seruát fidem.
PS. Seruítum tibi me abdúcito, ni fécero.
SI. Bene átque amice dícis: nam nunc nón meu's.
PS. Vin étiam dicam quód uos magis mirémini?
SI. Age dúm: studeo hercle audíre: te auscultó lubens.
PS. Prius quam ístam pugnam púgnabo, ego etiám prius
Dabo áliam pugnam cláram et conmemorábilem.
SI. Quam púgnam? PS. Hem, ab hoc lenóne uicinó tuo
Per súcophantiam átque per doctós dolos
Tibícinam illam túus quam gnatus déperit,
Ea círcumducam lépide lenonem: ét quidem
Ecféctum hoc hodie réddam utrumque ad uésperum.

SI. Si quídem istaec opera, ut praédicas, perféceris,
Virtúte [tu] regi Ágathocli antecésseris.
Set sí [id] non faxis, númquid caussaest ílico
Quin té in pristrinum cóndam? PS. Non unum [ín] diem,
Verum hércle in omnis, quántumst. set si ecfécero,
Dabín mi argentum, quód dem lenoni, ílico 536
Tuá uoluntate? CA. Iús bonum orat Pseúdulus:
'Dabo' ínque. SI. At ènim scin quíd mihi in mentém uenit?
Quid si hísce inter se cónsenserunt, Cállipho,
Aut dé conpecto fáciunt consutís dolis, 540
Qui me árgento interuórtant? PS. Quis me audácior
Sit, si ístuc facinus aúdeam? immo síc, Simo,
Si súmus conpecti seú consilium umquam íniimus, 543
[De ístac re aut si de ea re umquam inter nos conuenimus]
Quasi quom ín libro scribúntur calamo líterae, 544
Stilís me totum usque úlmeis conscríbito.
SI. Indíce ludos núnc ïam, quandó lubet.
PS. Da in húnc diem operam, Cállipho, quaesó mihi,
Nequó te ad aliut óccupes negótium.
CA. Quin rús ut irem iám heri constitíueram.
PS. At núnc disturba quás statuisti máchinas. 550
CA. Nunc nón abire cértumst istac grátia:
Lubídost ludos tŭos spectare, Pseúdule:
Et si húnc uidebo nón dare argentúm tibi
Quod díxit, potius quám id non fiat égo dabo.
SI. Non démutabo. PS. Námque edepol, si nón dabis, 555

Clamóre magno et múlto flagitábere.
Agite ámolimini hínc uos intro núnc ïam
Ac mèis uicissim dáte locum falláciis.
SI. Fiát. CA. Geratur mós tibi. PS. Set té uolo
Domi úsque adesse. CA. Quín tibi hanc operám dico.
SI. At ego ád forum ibo: iam ádero hic. PS. Actutúm redi.
Suspítiost mihi núnc uos suspicárier,
Me idcírco haec tanta fácinora [his] promíttere,
Quo uós oblectem, hanc fábulam dum tránsigam,
Neque sím facturus quód facturum díxeram.
Non démutabo, ut quód [ego pro] certó sciam:
Quo id sím facturus pácto, nil etiám scio,
Nisi quía futurumst: nám qui in scaenam próuenit
Nouo módo, nouom aliquid ínuentum adferre áddecet:
Si id fácere nequeat, dét locum illi quí queat.
Concédere aliquantísper hinc mi intró lubet,
Dum cóncenturio in córde sucophántias.
Tibícen uos intérea hic delectáuerit.

ACTVS II.

PSEVDVLVS.

Pro Iúppiter, ut mihi quídquid ago lepide ómnia prospereque éueniunt:
Neque quód dubitem neque quód timeam meo in péctore conditum cónsiliumst.
Nam éa stultitiast, fácinus magnum tímido cordi crédere:
Nam ómnes res perínde sunt,
Vt agas, eas ut mágni facias. iám ego in pectore mèo prius
Íta paraui cópias
Duplicís triplicis dolos pérfidias, ut cum hóstibus ubi [ubi] cóngrediar —
Maiórum meúm fretus uírtute dícam
Meaque índustria ét malitiá fraudulénta —
Facile út uincam, facile út spoliem meos pérduellis meis pérfidiis.
Núnc inimicum ego húnc conmunem méum atque uostrorum ómnium
Bállionem exbállistabo lépide: date operám modo.
Ád hoc ego oppidúm uetus contínuo legionés meas
Protínus adducam: hoc si éxpugno, facilem hánc rem ciuibus mèis faciam:
Inde me ét semul participés omnis meos praéda onerabo atque ópplebo.

Métum et fugam perdŭellibus meis [íniciam], med út sciant
Quó sim genere gnátus. magna ecfícere facinora ád-decet,
Quaé post diu mihi clára clueant.
Set hic quém uideo? quis hic ést qui oculis meis ób uiam ignobilis óbicitur?
Lubét scire hic quíd uenerít cum machaéra:
[Pol] huíc quam rem agát hinc dabó [nunc] insídias.

Harpax. Psevdvlvs.

HA. Hi lóci sunt atque hae régiones quae mi áb ero sunt demónstratae,
Vt ego óculis rationém capio: nam mi íta dixit erus méus miles,
Septumás esse aedis á porta, ubi ille hábitet leno quoi iussit
Me súmbulum ferre et hoc árgentum. nimis [quám] uelim certum qui íd faciat
Mihi Bállio leno ubi hic hábitat.
PS. St, táce tace: meus hic ést homo, ni omnes déserunt di [me] atque hómines.
Nouo cónsilio nunc mi ópus est: noua res súbito mi haec obiéctast.
Hoc praéuortar: illa ómnia missa habeó quae ante agere occépi.
Iam pól ego aduenientem húnc stratioticum núntium probe percútiam.

HA. Óstium pultábo atque intus éuocabo aliquém foras.
PS. Quísquis es, conpéndium ego te fácere pultandí uolo:
Nam égo precator ét patronus fóribus processí foras.
HA. Túne es Ballio? PS. Ímmo uero ego éius sum Subbállio.
HA. Quíd istuc uerbist? PS. Cóndus promus súm, procuratór peni.
HA. Quási te dicas átriensem. PS. Immo átriensi ego ínpero.
HA. Quíd tu, seruosne és an liber? PS. Núnc quidem etiam séruio.
HA. Íta uidere: et nón uidere dígnus qui libér sies.
PS. Nón soles respícere te, quom dícis iniuste álteri?
HA. Húnc hominem malum ésse oportet. PS. Dí me seruant átque amant:
Nam haéc mihi incus ést: procudam ego hínc hodie multós dolos.
HA. Quíd illic secum sólus loquitur? PS. Quíd ais tu, adulescéns? HA. Quid est?
PS. Ésne tu an non és ab illo mílite [e] Macédonia?
Séruos eius quí hinc a nobis ést mercatus múlierem,
Quí argenti meo eró lenoni quíndecim dederát minas,
Quínque debibet? HA. Súm. set ubi tu mé nouisti géntium
Aút uidisti aut cónlocutu's? nam équidem Athenas ántidhac
Númquam adueni néque te uidi ante húnc diem umquam oculís meis.
* * * * * * * * *
PS. Quía uidere inde ésse: nam olim quom ábiit, argento haéc dies

Praéstitutast, quŏad referret nóbis, neque dum réttulit.
HA. Ímmo adest. PS. Tune áttulisti? HA. Égomet. PS. Quid dubitás dare?
HA. Tíbi ego dem? PS. Mihi hércle uero, quí res rationésque eri
Bállionis cúro, argentum accépto et quoi debibét dato.
HA. Sí quidem hercle etiám supremi prómptes thensaurós Iouis,
Tíbi libellam argénti numquam crédam. PS. Dum te strénuas,
Rés erit solúta. HA. Vinctam pótius sic seruáuero.
PS. Vaé tibi: tu inuéntu's uero mĕam qui furcillés fidem?
Quási non mihi sescénta tanta sóli soleant crédier.
HA. Pótest ut alii ita árbitrentur ét ego ut ne credám tibi.
PS. Quási tu dicas mé te uelle argénto circumdúcere.
HA. Ímmo uero quási tu id dicas quásique ego autem súspicer.
Sét quid est tibi nómen? PS. Seruos ést huic lenoní Surus:
Éum esse me dicám. Surus sum. HA. Súrus? PS. Id est nomén mihi.
HA. Vérba multa fácimus. erus si túus domist, quin próuocas,
Vt id agam quod míssus huc sum, quídquid est nomén tibi?
PS. Sí intus esset, éuocarem: uérum si dare uís mihi,
Mágis solutum erít quam si ipsi déderis. HA. At enim scín quid est?
Réddere hoc, non pérdere, erus me míssit. nam certó scio

Núnc febrim tibi ésse, quia non lícet huc inicere úngulas.
Égo nisi ipsi Bállioni argéntum credam némini.
PS. Át illic nunc negótiosust: rés agitur aput iúdicem.
HA. Dí bene uortant. át ego, quando eum ésse censebó domi,
Rédiero. tu epístulam hanc a me áccipe atque illí dato:
Nám istic sumbulúst inter erum méum et tuum de múliere.
PS. Scío equidem: qui argéntum adferret átque expressam imáginem
Húc suam ad nos, cúm eo aiebat uélle mitti múlierem:
Nám hic quoque exemplúm reliquit éius. HA. Omnem rém tenes.
PS. Quíd ego ni teneám? HA. Dato istunc súmbulum ergo illí. PS. Licet.
Sét quid est tibi nómen? HA. Harpax. PS. Ápage te, Harpax: haú places.
Húc quidem hercle haut íbis intro, néquid harpax féceris.
HA. Hóstis uiuos rápere soleo ex ácie: ex hoc nomén mihist.
PS. Pól te multo mágis opinor uása ahena ex aédibus.
HA. Nón itast. set scín quid te oro, Súre? PS. Sciam, si díxeris.
HA. Égo deuortar éxtra portam hinc ín tabernam tértiam
Áput anum illam dóliarem clúdam crassam Chrúsidem.
PS. Quíd nunc uis? HA. Inde út me arcessas, érus tuus ubi uénerit.
PS. Tuo árbitratu máxume. HA. Nam ut lássus ueni dé uia,
Mé uolo curáre. PS. Sane sápis et consiliúm placet.
Sét uide sis ne in quaéstione sís quando arcessám mihi.

HA. Quín ubi pranderó, dabo operam sómno. PS. Sane cénseo.
HA. Númquid uis? PS. Dormítum ut abeas. HA. Ábeo. PS. Atque audin, Hárpage?
Iúbe sis te operirí: beatus éris, si consudáueris.
Di ínmortales, cónseruauit mé ille homo aduentú suo:
Sŭo uiaticó redduxit me úsque ex errore ín uiam.
Námque ipsa Opportúnitas non pótuit mi opportúnius
Áduenire, quam haéc adlatast mi ópportune epístula.
Nam haéc adlata córnu copiaést, ubi inest quidquíd uolo:
Híc doli, hic falláciae omnes, híc sunt sucophántiae,
Híc argentumst, híc amanti amíca erili fílio.
Átque ego nunc me ut glóriosum fáciam: copi péctore,
Quó modo quicque agerem, út lenoni súbruperem muliérculam,
Iam ínstituta, ornáta cuncta mi órdine, animo ut uólueram,
Cérta, deformáta habebam. sét profecto hoc síc erit:
Céntum doctum hominúm consilia sóla haec deuincít dea,
Fórtuna. atque hoc uérumst: proinde ut quísque fortuna útitur,
Íta praecellet átque exinde sápere eum omnes dícimus.
Béne ubi discimús consilium quoí cecidisse, hominém catum
Éum esse declarámus, stultum autem íllum, quoi uortít male.
Stúlti hauscimus frústra ut simus, quóm quid cupientér dari
Pétimus nobis: quási quid in rem sít possimus nóscere.
Cérta amittimús, dum incerta pétimus. atque hoc éuenit
Ín labore atque ín dolore, ut mórs obrepat ínterim.

Sét iam satis est phílosophatum: nímis diu et longúm loquor.
Di ínmortales, aúrichalco cóntra non carúm fuit
Mĕum mendaciúm, modo hic quod súbito conmentús fui,
Quí a lenone mé esse dixi. núnc ego hac epístula
Trís deludam, erum ét lenonem et qui hánc dedit mi epístulam.
Eúgepae: porro áliut autem quód cupiebam cóntigit:
Vénit eccum Caludórus: ducit néscio quem secúm semul.

CALVDORVS. CHARINVS. PSEVDVLVS.

CA. Dúlcia atque amára aput te sum élocutus ómnia:
Scís amorem, scís laborem, scís egestatém meam.
CH. Cónmemini omnia: íd tu modo me quíd uis facere fác sciam.
CA. Pseúdulus mi ita ínperauit, áliquem ut hominem strénuom,
Béneuolentem addúcerem ad se. CH. Séruas inperiúm probe:
Nám et amicum et béneuolentem dúcis. set istic Pseúdulus
Nóuos mihist. CA. Nimiúmst mortalis gráphicus: heuretés mihist:
Ís mihi haec sese écfecturum díxit quae dixí tibi.
PS. Mágnifice hominem cónpellabo. CA. Quóia [hic] uox sonát? PS. Io,
Té, io te, turánne, te uocó qui inperitas Pseúdulo.
Quaéro quoi ter trínas triplicis tríbus demeritas ártibus
Dém laetitias, dé tribus partas pér malitiam et pér dolum.

Ín libello hoc ópsignato [quás] tuli pausíllulo.
CA. Íllic homost: ut páratragoedat cárnufex. PS. Confér gradum
Cóntra pariter: pórge audacter ád salutem brácchium.
CA. Díce utrum Spemne án Salutem té salutem, Pseúdule.
PS. Ímmo utrumque. CA. Vtrúmque, salue: sét quid actumst? quíd taces?
Áttuli hunc. PS. Quid, áttulisti? CA. 'Addúxi' uolui dícere.
PS. Quís istic est? CA. Charínus. PS. Euge, iám χάριν τούτῳ ποιῶ.
CH. Quín tu quod opus ést mi audacter ínperas? PS. Tam grátiast.
Béne sit tibi, Charíne: nolo tíbi molestos ésse nos.
CH. Vós molestos míhi? molestumst [íd] quidem. PS. Tum igitúr mane.
CA. Quíd istuc est? PS. Epístulam hanc modo íntercepi et súmbulum.
CA. Súmbulum? quem súmbulum? PS. Qui a mílite adlatúst modo.
Éius seruo qui húnc ferebat cúm quinque argentí minis,
Tŭam qui amicam hinc árcessebat, éi [ego] os subleuí modo.
CA. Quó modo? PS. Horum caússa haec agitur spéctatorum fábula:
Hí sciunt qui hic ádfuerunt: uóbis post narráuero.
CA. Quíd nunc agimus? PS. Líberam hodie túam amicam amplexábere.
CA. Égone? PS. Tu ne. CA. Ego? PS. Ípsus, ínquam, sí quidem hoc uiuét caput

Sí modo hominem mi ínuenietis própere. CH. Qua facié? PS. Malum
Cállidum doctúm, qui quando príncipium praehénderit,
Pórro sua uirtúte teneat quíd se facere opórteat:
Átque qui hic non uíssitatus saépe sit. CH. Si séruos est,
Númquid refert? PS. Ímmo multo máuolo quam líberum.
CH. Pósse opinor mé dare hominem tíbi malum et doctúm, modo
Quí ad patrem aduenít Carusto néc dum exit ex aédibus
Quóquam neque Athenás aduenit úmquam ante hesternúm diem.
PS. Béne iuuas: set quínque inuentis ópus est argentí minis
Mútuis, quas hódie reddam: nam hùius pater debibét mihi.
CH. Égo dabo: ne quaére aliunde. PS. O hóminem opportunúm mihi.
Étiam chlamude opúst, machaera et pétaso. CH. Possum a mé dare.
PS. Di ínmortales, nón Charinus mi híc quidemst, set Cópia.
Sét iste seruos éx Carusto qui húc aduenit quíd sapit?
CH. Hírcum ab alis. PS. Mánuleatam túnicam habere hominem áddecet.
Écquid [autem] homo hábet aceti in péctore? CH. Atque acidissumi.
PS. Quíd, si opus sit dúlce ut promat índidem, ecquid habét? CH. Rogas?
Múrrinam passúm defrutum mélinam mel quoiquoímodi:

Quín in corde instrúere quondam coépit thermipólium.
PS. Eúgepae: lepidé, Charine, mĕo me ludo lámberas.
Sét quid nomen ésse dicam ego ísti seruo? CH. Símmiae.
PS. Scítne in re aduorsá uorsari? CH. Túrbo non aequé citust.
PS. Écquid argutúst? CH. Malorum fácinorum saepíssume.
PS. Quid quom manufestó tenetur? CH. Ánguillast: elábitur.
PS. Écquid is homo scítust? CH. Plebi scítum non est scítius.
PS. Próbus homost, ut praédicare te aúdio. CH. Immo síc scias:
Ýbi te aspexerít, narrabit últro quid sesé uelis.
Sét quid eo factúru's? PS. Dicam: úbi hominem exornáuero,
Súbditiuom fíeri ego illum mílitis seruóm uolo:
Súmbulum hunc ferát lenoni cúm quinque argentí minis,
Múlierem ab lenóne abducat: én tibi omnem fábulam.
Céterum quo quícque pacto fáciat, ipsi díxero.
CA. Quíd nunc igitur stámus? PS. Hominem cum órnamentis ómnibus
Éxornatum addúcite ad me iam ád tarpessitam Aéschinum:
Sét properate. CH. Paríus illi erimus quám tu. PS. Abite ergo ócius.
Quídquid incertí mi in animo príus aut ambiguóm fuit,
Núnc liquet, nunc défaecatumst: cór [meum] mihi nunc péruiumst.
Ómnis ordine [égo] sub signis dúcam legionés meas
Áue sinistra, auspício liquido atque éx [mea] senténtia.

Cónfidentiást inimicos mèos me posse pérdere.
Núnc ibo ad forum átque onerabo mèis praeceptis Símmiam,
Quíd agat: nequid títubet, docte ut hánc serat falláciam.
Iam égo hoc ipsum oppidum éxpugnatum fáxo erit lenónium.

ACTVS III.

PVER.

Quoi séruitutem dí danunt lenóniam
Pueró, [simitu quom] áddunt turpitúdinem,
Ne illí, quantum ego nunc córde conspició meo,
Malám rem magnam múltasque aerumnás danunt.
Velut haéc mi euenit séruitus, ubi ego ómnibus
Paruís magnisque mínsteriis praefúlcior:
Neque égo amatorem mi ínuenire ullúm queo,
Qui amét me, ut curer tándem nitidiúscule.
Nunc huíc lenonist hódie natalís dies:
Intérminatus ést a minumo ad máxumum,
Siquís non hodie múnus missisét sibi,
Eum crás cruciatu máxumo perbítere.
Nunc néscio hercle rébus quid faciám meis:
Nam nísi lenoni múnus hodie míssero,
Cras míhi potandus frúctus est fullónius.
Neque égo illut possum quód illi qui possúnt solent.
Eheú, quam illi rei ego étiam nunc sum páruolus.
Atque édepol ut nunc mále malum metuó miser,
Si quíspiam det quí manus grauiór siet,
Quamquam íllut aiunt mágno gemitu fíeri,
Conprímere dentis uídeor posse aliquó modo.
Set cónprimundast uóx mihi atque orátio:
Erus éccum recipit sé domum et ducít coquom.

BALLIO. COQVOS. PVER.

BA. Forúm coquinum quí uocant, stulté uocant:
Nam nón coquinum, uérum furinúmst forum.
Nam ego sí iuratus [péssumum] hominem quaérerem,
Peiórem [hau] potui quam húnc quem duco dúcere,
Multílocum gloriósum insulsum inútilem.
Quin ób eam rem Orcus récipere ad se hunc nóluit,
Vt ésset hic qui mórtuis cenám coquat:
Nam hic sólus illis cóquere quod placeát potest.
CO. Si me árbitrabare ístoc pacto ut praédicas,
Quor cónducebas? BA. Ínopia: alius nón erat.
Set quór sedebas ín foro, si erás coquos,
Tu sólus praeter álios? CO. Ego dicám tibi:
Hominum égo auaritia fáctus sum inprobiór coquos,
Non mĕopte ingenio. BA. Quá istuc ratione? CO. Éloquar.
Quia ením, quom extemplo uéniunt conductúm coquom,
Nemo íllum quaerit qui óptumus, caríssumust:
Illúm conducunt pótius qui uilíssumust.
Hoc égo fui hodie sólus opsessór fori.
Illí sunt drachumis míseri: me nemó potest
Minóris quisquam númmo ut surgam súbigere.
Non égo item cenam cóndio ut alií coqui,
Qui míhi condita práta in patinis próferunt,
Boues quí conuiuas fáciant, herbasque óggerunt,
Eas hérbas herbis áliis porro cóndiunt:
Indúnt coriandrum féniculum alium átrum holus,
Adpónunt rumicem brássicam betám blitum,
Eo lásarpici líbram pondo díluont:
Teritúr sinapis scélera, quae illis quí terunt

Prius quám triuerunt óculi ut extillént facit.
Ei hómines cenas úbi cocunt, quom cóndiunt,
Non cóndimentis cóndiunt, set strígibus,
Viuís conuiuis íntestina quae éxedint.
Hoc híc quidem homines tám breuem uitám colunt,
Quom hasce hérbas huius modi ín suum aluom cóngerunt
Formídulosas díctu, non essú modo.
Quas hérbas pecudes nón edunt, hominés edunt.
BA. Quid tú? diuinis cóndimentis útere,
Qui prórogare uítam possis hóminibus,
Qui ea cúlpes condiménta? CO. Audacter dícito:
Nam uél ducenos ánnos poterunt uíuere
Meas qui éssitabunt éscas quas condíuero.
Nam ego cícilendrum quándo in patinas índidi
Aut cépolindrum aut máccidem aut saucáptidem,
Ipsaé se patinae féruefaciunt ílico.
Haec ád Neptuni pécudes condiménta sunt:
Terréstris pecudes cícimandro cóndio,
Hapalópside aut cataráctria. BA. At te Iúppiter
Dique ómnes perdant cúm condimentís tuis
Cumqué tuis istis ómnibus mendáciis.
CO. Sine sís loqui me. BA. Lóquere atque [i] in malám crucem.
CO. Vbi ómnes patinae féruont, omnis áperio:
Is odós dimissis mánibus in caelúm uolat.
BA. Odós dimissis mánibus? CO. Peccaui ínsciens.
BA. Qui dúm? CO. 'Dimissis pédibus' uolui dícere:
Eum odórem cenat Iúppiter cotídie.
BA. Si núsquam coctum is, quídnam cenat Iúppiter?
CO. It íncenatus cúbitum. BA. I in malám crucem.
Istácine caussa tíbi hodie nummúm dabo?

CO. Fateór equidem esse mé coquom caríssumum:
Verúm pro pretio fácio ut opera adpáreat
Mea quó conductus uénio. BA. Ad furandúm quidem.
CO. An tu ínuenire póstulas quemquám coquom
Nisi míluinis aút aquilinis úngulis?
BA. An tú coquitatum te íre quoquam póstulas,
Quin íbi constrictis úngulis cenám coquas?
Nunc ádeo tu, qui méus es, iam edicó tibi,
Vt nóstra properes ámoliri [hinc] ómnia:
Tum ut húius oculos ín oculis habeás tuis.
Quoquo híc spectabit, èo tu spectató semul.
Siquo híc gradietur, páriter [tu] progrédimino.
Manum sí protollet, páriter profertó manum.
Suum síquid sumet, íd tu sinito súmere:
Si nóstrum sumet, tú teneto altrínsecus.
Si iste íbit, ito: stábit, astató semul.
Si cónquiniscet, ístic conquiníscito.
Item hís discipulis príuos custodés dabo.
CO. Habe módo bonum animum. BA. Quaéso qui possúm doce
Bonum ánimum habere, quí te ad me adducám domum?
CO. Quia sórbitione fáciam ego hodie té mea
Item út Medea Péliam concoxít senem,
Quem médicamento et sŭis uenenis dícitur
Fecísse russus éx sene adulescéntulum:
Item égo te faciam. BA. Eho, án etiam uenéficu's?
CO. Immo édepol uero [sum] hóminum seruatór magis.
BA. Ehem,
Quanti ístuc unum mé coquitare pérdoces?
CO. Quid? BA. Ýt te seruem, néquid subrupiás mihi.

CO. Si crédis, nummo: sí non, ne miná quidem.
Set utrúm tu amicis hódie an inimicís tuis
Datúru's cenam? BA. Pól ego amicis scílicet.
CO. Quin tú inimicos pótius quam amicós uocas?
Nam ego íta conuiuis cénam conditám dabo
Hodie átque ita suaui suáuitate cóndiam:
Vt quísque quicque cónditum gustáuerit,
Ipsús sibi faciam ut dígitos praerodát suos.
BA. Quaeso hércle, prius quam quícquam conuiuís dabis,
Gustáto tute príus et discipulís dato,
Vt praérodatis uóstras furtificás manus.
CO. Fortásse haec tu nunc míhi non credas quaé loquor.
BA. Moléstus ne sis: nímium tinnis: nón places.
En, íllic habito ego: íntro abi et cenám coque
Properé. CO. Quin tu is adcúbitum? i, conuiuás cedo:
Conrúmpitur iam céna. BA. En, subolem sís uide:
Nam hic quóque scelestus ést coqui sublíngio.
Profécto quid nunc prímum caueam néscio:
Ita in aédibus sunt fúres, praedo in próxumost.
Nam hic méus uicinus àput forum pauló prius
Patér Caludori [a me] ópere petiit máxumo,
Vt míhi cauerem a Pseúdulo seruó suo,
Ne fídem ei haberem: nam cum circum ire in húnc diem,
Vt mé, si posset, múliere interuórteret.
Eum prómississe fírmiter dixít sibi,
Sese ábducturum a mé dolis Phoenícium.
Nunc íbo intro atque edícam familiáribus,
Prófecto nequis quícquam credat Pseúdulo.

ACTVS IIII.

PSEVDVLVS. SIMMIA.

PS. Si úmquam quemquam di ínmortales uóluere esse auxílio adiutum,
Iám mihi Caludorúm uolunt seruátum esse et lenónem extinctum,
Quóm te adiutorém genuerunt míhi tam doctum hominem átque astutum.
Sét ubi illest? sumne égo homo insipiens, qui haéc loquar mecum égomet solus?
Dèdit mihi uerba hercle, út [ego] opinor: cúm malo malus stúlte caui.
Túm pol ego interii, hómo si ille abiit: néque opus quod uolui hódie efficiam.
Sét eccillum uideó uerbeream státuam: ut magnifice ínfert sese.
Hém, te hercle ego circúmspectabam: nímis metuebam mále ne abisses.
SI. Fŭit meum officium ut fácerem, fateor. PS. Ýbi restiteras? SI. Ýbi mi lubitumst.
PS. Ístuc ego satís scio. SI. Quid érgo quod scis mé rogas?
PS. At hóc uolo, monére te. SI. Monéndus ne me móneas.
PS. Nimis tándem aps te contémnor.
SI. Quippe égo te ni contémnam,
Stratioticus homo qui clúear?

PS. iam hoc uólo quod occeptúmst agi. SI. Numquíd agere aliut mé uides?
PS. Ámbula ergó cito. SI. Immo ótiosé uolo.
PS. Haéc est occássio: dum ílle dormít, uolo
Tú prior óccupes.
SI. Quid próperas? placide: né time. ita ílle faxit Iúppiter,
Vt ílle palam ibidem ádsiet, quisquís illest quist a mílite.
Númquam edepol erit ílle potior quám ego. habe animúm bonum:
Púlcre ego hanc éxplicatám tibi rém dabo.
Síc ego illúm dolis átque mendáciis
Ín timorém dabo mílitarem áduenam,
Ípsus sese út neget ésse eum quí siet
Méque ut esse aútumet qui ípsus est. PS. Quí potest?
SI. Occídis me, quom ístuc rogás. PS. Hominem lépidum.
SI. Té quoque etiám, dolis átque mendáciis
Quí malis pár mihi's, * * * * *
PS. Iúppiter té mihi séruet. SI. Immó mihi.
Sét uide, ornátus hic sátine me cóndecet?
PS. Óptume. SI. Esto. PS. Tántum tibi boní di inmortalés duint,
Quántum tu tibi óptes: nam si exóptem quantum dígnus es,
Mínus sit nihilo: néque ego hoc homine quémquam uidi mágis malum.
SI. Tune íd mihi? PS. Probus hic ést homo. SI. Neque hic est néque ego. PS. At uide ne títubes.
SI. Potin út taceas? memorem ínmemorem facit quí monet quod memor méminit.

Teneo ómnia: in pectore cóndita sunt: meditáti sunt doli dócte.
PS. Taceó. set quid tibi béne faciam, si hanc sóbrie rem adcurássis?
Ita mé di ament.. SI. Ita nón facient: mera iám mendacia fúndes.
PS. Vt ego ób tuam, Simmia, pérfidiam te amo ét metuo et magnífico.
SI. Ego istúc aliis dare cóndidici: mi optrúdere non potes pálpum.
PS. Vt ego hódie te accipiám lepide, ubi tu ecféceris hoc opus. SI. Háhahae.
PS. Lepidó uictu uino únguentis inter pócula pulpaméntis.
Lepida íbidem una aderit múlier tibi super sáuia sauia quaé det.
SI. Lepide áccipis me. PS. Immo si écfexis, tum fáxo magis [id] dícas.
SI. Ni ecfécero, [pol] cárnufex cruciábiliter me accípito.
Set própera mihi monstráre ubi sit ós lenonis aédium.
PS. Tértium hoc est. SI. St', tace: aedes híscunt. PS. Credo animó malest
Aédibus. SI. Quid iám? PS. Quia edepol ípsum lenonem éuomunt.
SI. Íllicinest? PS. Illic [ípsus] est. SI. Mala mérx est. PS. Illuc sís uide:
Nón prorsus, uerúm transuorsus cédit, quasi cancér solet.

BALLIO. PSEVDVLVS. SIMMIA.

BA. Mínus malum hunc hominem ésse opinor quám esse censebám coquom:
Nám nihil etiam dum hárpagauit praéter cuathum et cántharum.
PS. Heús tu, nunc occássiost et témpus. SI. Tecum séntio.
PS. Íngredere in uiám dolo: egomet híc in insidiís ero.
SI. Hábui numerum sédulo: hoc est séxtum a porta próxumum
Ángiportum: in id ángiportum mé deuorti iússerat.
Quótumas aedis díxerit, id ego ád modum incertó scio.
BA. Quís hic homo chlamudátus est? aut úndest? aut quem quaéritat?
Péregrina faciés uidetur hóminis atque ignóbilis.
SI. Sét eccum qui ex incérto faciet míhi quod quaero cértius.
BA. Ád me adit recta. únde ego hominem hunc ésse dicam géntium?
SI. Heús tu qui cum hirquína barba astás, responde [hoc] quód rogo.
BA. Eho,
Án non prius salútas? SI. Nullast míhi salus datária.
BA. Nám pol hinc tantúmdem accipies. PS. Iám inde a principió probe.
SI. Écquem in angipórto hoc hominem tú nouisti, té rogo.

BA. Égomet me. SI. Pauci ístuc faciunt hómines quod tu praédicas:
Nam ín foro uix décumus quisquest, qui ípsus sese nóuerit.
PS. Sáluos sum: iam phílosophatur. SI. Hóminem ego hic quaeró malum
Légirupam inpiúm periurum atque ínprobum. BA. Me quaéritat:
Nám illa [mea] sunt cógnomenta: nómen si memorét modo.
Quíd est ei homini nómen? SI. Leno Bállio. BA. Sciuíne ego?
Ipse ego is sum, aduléscens, quem tu quaéris. SI. Tune's Bállio?
BA. Égo enimuero is sum. SI. Ýt uestitu's, pérforator párietum
* * * * * * * *
BA. Crédo, in tenebris cónspicatus sí sis me, apstineás manum.
SI. Érus meus tibi mé salutem múltam uoluit dícere.
Hánc epistulam áccipe a me: hánc me tibi iussít dare.
BA. Quís is homost qui iússit? PS. Perii, núnc homo in medió lutost.
Nómen nescit: haéret haec res. BA. Quém hanc misisse ad me aútumas?
SI. Nósce imaginém: tute eius nómen memorató mihi,
Vt sciam te Bállionem esse ípsum. BA. Cedo mi epístulam.
SI. Áccipe et cognósce signum. BA. Eho, Pólumachaeroplágides

Púrus putus est ípsus: noui. heus, Pólumachaero-plágides
Nómen est. SI. Scio iám tibi me récte dĕdisse epístulam,
Póstquam Polumachaéroplagidem élocutus nómen es.
BA. Quíd is agit? SI. Quod homo édepol fortis átque bellatór probus.
Sét propera hanc pellégere quaeso epístulam: ita negótiumst:
Átque accipere argéntum actutum múlieremque emíttere.
Nam hódie Sicuoní necessest mé esse aut cras mortem éxequi:
Íta erus meus est ínperiosus. BA. Nóui: notis praédicas.
SI. Própera pellegere érgo epistulam. BA. Íd ago, si taceás modo.
'Milés lenoni Bállioni epístulam
Conscríptam mittit Pólumachaeroplágides,
Imágine opsignátam quae inter nós duo
Conuénit olim.' SI. Súmbulust in epístula.
BA. Video ét cognosco sígnum. set in epístula
Nullám salutem míttere ascriptám solet?
SI. Ita mílitaris dísciplinast, Bállio:
Manú salutem míttunt bene uoléntibus,
Eadém malam rem míttunt male uoléntibus.
Set ut óccepisti, pérge opera experírier,
Quid epístula ista nárret. BA. Auscultá modo.
'Harpáx calator méus est ad te quí uenit . .'
Tune és is Harpax? SI. Égo sum: atque ipse Harpáx quidem.

BA. ‘Qui epístulam istam fért: ab eo argentum áccipi
Et cum èo simitu múlierem mittí uolo.
Salútem scriptam dígnumst dignis míttere:
Te si árbitrarem dígnum, mississém tibi.’
SI. Quid núnc? BA. Argentum dés, abducas múlierem.
SI. Vtér remoratur? BA. Quín sequere ergo intró. SI. Sequor.
PS. Peiórem ego hominem mágisque uorsuté malum
Numquam édepol quemquam uídi, quam hic est Símmia:
Nimisque égo illunc hominem métuo et formidó male,
Ne málus item èrga mé sit, ut erga illúm fuit:
Ne in rĕ secunda núnc mi obuortat córnua,
Si occássionem cápsit. quoi, [si] sít malus,
* * * * * *
Atqui édepol equidem nólo: nam illi béne uolo.
Nunc ín metu sum máxumo triplicí modo.
Primum ómnium iam hunc cónparem metuó meum
Ne déserat me atque [hínc] ad hostis tránseat.
[Tum] métuo ne erus rédeat etiam dum á foro:
Ne cápta praeda cápti praedonés fuant.
[Iuxtá cum his] metuo né ille huc Harpax áduenat
Prius quam hínc hic Harpax ábierit cum múliere.
Perii hércle: nimium tárde egrediuntúr foras.
Cor cónligatis uásis expectát meum,
Si nón educat múlierem secúm semul,

Vt éxulatum ex péctore aufugiát meo.
*   *   *   *   *   *
Victór sum: uici caútos custodés meos.

SIMMIA. PSEVDVLVS. (PHOENICIVM.)

SI. Ne plóra: nescis út sit res, Phoenícium,
Verum haú multo post fáxo scibis ádcubans.
Non égo te ad illum dúco dentatúm uirum
Macédoniensem, quí te nunc flentém facit:
Quoiam ésse te uis máxume, ad eum dúxero:
Caludórum hau multo póst faxo amplexábere.
PS. Quid tú intus quaeso désedisti tám diu?
Mihi cór retunsumst óppugnando péctore.
SI. Occássionem répperisti, uérbero,
Vbi pérconteris mé   *   *   *   *
*   *   *   *   ínsidiis hostílibus.
Quin [hínc cito imus] grádibus militáribus?
PS. Atque édepol quamquam néquam homo's, recté mones.
Ite hác, triumphe, ad cántharum rectá uia.

ACTVS V.

BALLIO. SIMO.

BA. Hahaé, nunc demum mi ánimus in tutó locost,
Postquam ílle hinc abiit átque abduxit múlierem.
Lubét nunc ueniat Pseúdulus, scelerúm caput,
Abdúcere a me múlierem falláciis.
Concéptis hercle uérbis satis certó scio
Ego périurare mé mauellem míliens
Quam míhi illum uerba pér deridiculúm dare.
Nunc déridebo hercle hóminem, si conuénero.
Verum ín pristrino crédo, ut conuenít, fore.
Nunc égo Simonem mi ób uiam ueniát uelim,
Vt mĕa laetitia laétus promiscám siet.
SI. Vissó quid rerum méus Vlixes égerit,
Iamne hábeat signum ex árce Balliónia.
BA. O fórtunate, cédo fortunatám manum.
SI. Quid ést? BA. Iam.. SI. Quid iam? BA. Níhil est quod metuás. SI. Quid est?
Venítne homo ad te? BA. Nón. SI. Quid est igitúr boni?
BA. Minaé uiginti sánae et saluae súnt tibi,
Hodié quas aps ted ést stipulatus Pseúdulus.
SI. Velím quidem hercle. BA. Róga me uigintí minas,
Ille hódie si illa sít potitus múliere
Siue ĕam tuo hodie gnáto, ut promissít, dabit.

Roga ópsecro hercle: géstio promíttere.
Atque étiam habeto múlierem donó tibi:
Omníbus modis tibi ésse rem ut saluám scias.
SI. Nullúm periclumst, quód sciam, stipulárier,
Vt cóncepisti uérba. uigintí minas
Dabín? BA. Dabuntur. SI. Hóc quidem actumst haú male.
Set cónuenistine hóminem? BA. Immo ambós semul.
SI. Quid aít? quid narrat? quaéso quid dixít tibi?
BA. Nugás theatri: uérba quae in comoédiis
Solént lenoni díci, quae puerí sciunt:
Malum ét scelestum et périurum aibat ésse me.
SI. Pol haú mentitust. BA. Érgo haut iratús fui.
Nam quánti refert ĕi nec recte dícere,
Qui níhili faciat quíque infitias nón eat?
SI. Quid est quód non metuas áb eo? id audire éxpeto.
BA. Quia númquam abducet múlierem iam néc potest.
[SI. Qui dúm? BA.] Meministin tíbi me dudum dícere
Eam uéniuisse míliti Macédonio?
SI. Memini. BA. Hem, íllius seruos húc ad me argentum áttulit
Et [epístulam eius] ópsignatam, súmbulum
Qui intér me et illum conuénerat. SI. Quid póstea?
BA. Is sécum abduxit múlierem hau multó prius.
SI. Bonán fide istuc dícis? BA. Vnde ea sít mihi?
SI. Vide módo ne illic sit cóntechnatus quípiam.
BA. Epístula atque imágo me certúm facit:

Qui illám quidem iam in Sícuonem abduxít modo.
SI. Bene hércle factum. quíd ego cesso Pseúdulum
Facere út det nomen ád molas colóniam?
Set quís hic homost chlamudátus? BA. Non edepól scio:
Nisi ópseruemus quó eat aut quam rém gerat.

HARPAX. BALLIO. SIMO.

HA. Málus et nequamst quí homo nihili erí sui seruos fácit inperium:
Níhilist autem sŭum qui officium fácerest inmemor nísi si admonitust.
Nam quí liberós se ilico ésse arbitrántur,
Ex cónspectu erí si suí se abdidérunt,
Luxántur lustrántur comedúnt quod habent, [quód non:]
I nómen diú seruitútis ferúnt.
Néc boni ingeni quícquam in is inest,
Nísi uti se inprobís sustineant ártibus: cum his néc locus
Míhi nec sermo cónuenit neque úmquam eis nobilís fui.
Étsi abest, híc adesse ĕrum [meum] arbitror:
Núnc ego illum metuó quom hic non adést, ne metuam quom ádsiet.
Ego út mi inperátumst, ei rei óperam dabó.
Nam ín taberna úsque adhuc síuerat [mé] Surus,
Quoí dedi súmbulum. mánsi uti iússerat:
Léno ubi essét domi, me ăibat arcéssere.
Vérum ubi is nón uenit néc [manentém] uocat,

Vénio huc ultro ut sciam quid rei sit, né illic homo me lúdificetur:
Néc quicquamst [mi] mélius quam ut hoc púltem atque aliquem huc éuocem intus.
Léno argentum hóc uolo
Á me accipiat átque amittat múlierem mecúm semul.
BA. Heús tu. SI. Quid uis? BA. Híc homo meus est.
SI. Quí dum? BA. Quia praeda haéc meast:
Scórtum quaerit, hábet argentum: iam ádmordere hunc míhi lubet.
SI. Iamne íllum coméssurus és? BA. Dum recéns est,
Dúm datat, dúm calet, déuorarí decet.
Bŏni uiri paúperant me, ínprobi [me] alunt.
Popló strenuí, mihi damnósi ussuí sunt.
SI. Malúm quod tibí di dabúnt: sic sceléstu's.
BA. Vénus mihi haec bona dát, quom [ea] homines húc [ad me] adigit lúcrifugas.
Dámni cupidos, quí se suamque aetátem bene curánt, edunt
[Pótitant] scortántur. alio súnt illi ingenio átque tu,
Quí nec tibi bene ésse patere et íllis quibus est ínuides.
HA. Me núnc conmorór, has forís quom non fério,
V́t sciam sítne [nunc] Bállio domi.
Heús, ubi estis uos?
Heús, ubi estis? BA. Híc quidem ad me récta habet rectám uiam.
Béne ego ab hoc praedátus ibo: nóui, bona scaeuást mihi.
HA. Écquis hoc aperit? BA. Heús, chlamudate, quíd istic dehibetúr tibi?

HA. Aédium dominúm lenonem Bállionem quaérito.
BA. Quísquis es, aduléscens, operam fáce conpendi quaérere. 1141
HA. Quíd iam? BA. Quia ted ípsus coram praésens praesentém uidet.
HA. Túne is es? SI. Chlamudáte, caue sis tíbi a curuo infortúnio
Átque in hunc inténde digitum: hic lénost. BA. At hic est uír probus.
Sét tu, bone uir, flágitare saépe clamore ín foro, 1145
Quóm libella núsquamst, nisi quid léno hic subuenít tibi.
HA. Quín tu mecum fábulare? BA. Fábulor. quid uís tibi?
HA. Árgentum accipiás. BA. Iam dudum, sí des, porrexí manum.
HA. Áccipe: hic sunt quínque argenti léctae numeratae minae: 1149
Hóc tibi erus me iússit ferre Pólumachaeroplágides,
Quód dehiberet, átque ut mecum mítteres Phoenícium.
BA. Érus tuus? HA. Ita díco. BA. Miles? HA. Íta loquor. BA. Macédonius?
HA. Ád modum, inquam. BA. Té ad me missit Pólumachaeroplágides?
HA. Véra memoras. BA. Hóc argentum ut míhi dares? HA. Si tú quidem es
Léno Ballio. BA. Átque ut a me múlierem tu abdúceres? 1155
HA. Íta. BA. Phoenicium [éam] esse dixit? HA. Récte meministí. BA. Mane:
Iám redeo ad te. HA. At máturate própera: nam properó: uides

Iám die multum ésse? BA. Video: hunc áduocare etiám uolo.
Máne modo istic: iám reuortar ád te. quid nunc fít, Simo?
Quíd agimus? manufésto hunc hominem téneo, qui argentum áttulit.
SI. Quíd iam? BA. An nescis quaé sit haec res? SI. Iúxta cum ignaríssumis.
BA. Pseúdulus tuus ádlegauit húnc, quasi [si] a Macédonio
Mílite esset. SI. Háben argentum ab hómine? BA. Rogitas quód uides?
SI. Heús, memento ergó dimidium míhi istinc de praedá dare:
Cónmune istuc ésse oportet. BA. Quín malum, id totúm tuum.
HA. Quám mox mi operam dás? BA. Tibi do equidem. quíd nunc mihi's auctór, Simo?
SI. Éxploratorem húnc faciamus lúdos suppositícium,
Ádeo donicum ípsus sese lúdos fieri sénserit.
BA. Séquere. quid ais? némpe tu illius séruos es? HA. Planíssume.
BA. Quánti te emit? HA. Sŭarum in pugna uírium uictória:
Nám ego eram domi ínperator súmmus in patriá mea.
BA. Án etiam ille umquam éxpugnauit cárcerem patriám tuam?
HA. Cóntumeliám si dicis, aúdies. BA. Quotumó die
Éx Sicuone huc péruenisti? HA. Áltero ad merídiem.
SI. [Eúge,] strenué mehercle isti. quámuis pernix híc homost.

BA. Ýbi suram aspiciás, scias posse eum gérere crassas cónpedis.
Quíd ais? tune etiám cubitare sólitu's in cunís puer?
SI. Scílicet. BA. Etiámne facere sólitus es, scin quíd loquar?
SI. Scílicet solitum ésse. HA. Sanine éstis? BA. Quid hoc quod té rogo?
Nóctu in uigiliám quando ibat míles, quom tu ibás semul,
Cónueniebatne ín uaginam tŭam machaera mílitis?
HA. Í in malam crucém. BA. Licebit tíbi [quidem] hodie témperi.
HA. Quín tu emittis míhi mulierem aut réddis argentúm? BA. Mane.
HA. Quíd maneam? BA. Chlamudem hánc conmemores quánti conductást. HA. Quid est?
SI. Quíd meret machaéra? HA. Elleborum hisce hóminibus opus ést. BA. Eho.
HA. Mítte. BA. Quid mercédis petasus hódie domino démeret?
HA. Quoí domino? SI. Quid sócci * * * * *
* * * * ? HA. Quid sómniatis? méa quidem haec habeo ómnia,
Mĕo peculio émpta. BA. Nempe quod fémina summa sústinent?
HA. Ýncti hi sunt senés: fricari sésę ex antiquó uolunt.
BA. Résponde opsecro hércle hoc uero sério quod té rogo:
Quíd meres? quantíllo argenti té conduxit Pseúdulus?
HA. Quí istic Pseudulúst? BA. Praeceptor túus, qui hanc [sucophántiam]

Dócuit te, ut falláciis hinc múlierem a me abdúceres.
HA. Quém tu Pseudulúm, quas tu mi praédicas fallácias?
Quem égo hominem nullí coloris nóui. BA. Non tu istínc abis?
Níhil est hodie hic súcophantis quaéstus. proin tu Pseúdulo
Núnties abdúxisse alium praédam, qui occurrít prior
Hárpax. HA. Is quidem édepol Harpax égo sum. BA. Immo edepol ésse uis.
Púrus putus hic súcophantast. HA. Égo tibi argentúm dedi
Ét dudum adueniéns extemplo súmbulum seruó tuo,
[Méi] eri imagine ópsignatam epístulam, hic ante óstium.
BA. Mĕo tu epistulám dedisti séruo? quoi seruó? HA. Suro.
BA. [Sátin] confidit néquam? nugas ést meditatus [haú] male.
Édepol hominem uérberonem Pseúdulum, ut docté dolum
Cónmentust: tantúmdem argenti, quántum miles déhibuit,
Dédit huic atque hominem éxornauit, múlierem qui abdúceret.
* * * * * * * * *
Nám illam epistulam ípsus uerus Hárpax huc ad me áttulit.
HA. Hárpax ego uocór: ego seruos súm Macedonis mílitis.
Égo nec sucophántiose quícquam ago nec málefice

Néque istum Pseudulúm mortalis quí sit noui néque scio.
SI. Tú, nisi mirumst, léno, plane pérdidisti múlierem.
BA. Édepol ne istuc mágis magisque métuo, quom uerba aúdio.
Míhi quoque edepol iám dudum ille Súrus cor perfrigéfacit,
Súmbulum qui [ab] hóc accepit. SI. Míra sunt [ni] Pseúdulust.
Ého tu, qua facié fuit dudum quoí dedisti súmbulum?
HA. Rúfus quidam, uéntriosus, crássis suris, súbniger,
Mágno capite, acútis oculis, óre rubicundo, ád modum
Mágnis pedibus. BA. Pérdidisti, póstquam dixistí pedes.
Pseúdulus fuit ípsus. actumst dé me. iam moriór, Simo.
HA. Hércle hau te sinám moriri, nísi mi argentum rédditur,
Víginti minae. SI. Átque etiam mihi áliae uigintí minae.
BA. Aúferetur quód promissi pér iocum a me praémium?
SI. De ínprobis uirís auferri praémium et praedám decet.
BA. Sáltem Pseudulúm mihi dedas. SI. Pseúdulum ego dedám tibi?
Quíd deliquit? díxine ab eo tíbi ut caueres céntiens?
BA. Pérdidit me. SI. At mé uiginti módicis multauít minis.
BA. Quíd nunc faciam? HA. Sí mi argentum déderis, te suspéndito.

BA. Dí te perdant. séquere ergo hac sis me ád forum ut soluám. HA. Sequor.
SI. Quíd ego? BA. Peregrinós apsoluam: crás agam cum cíuibus.
Pseúdulus mihi cénturiata cápitis habuit cómitia,
Hódie qui illum ad me ádlegauit, múlierem qui abdúceret.
Séquere tu. nunc ne éxpectetis, dum hác domum redeám uia:
Íta res gestast: ángiporta haec cértumst consectárier.
HA. Sí graderere tántum [quantum] lóquere, iam esses ád forum.
BA. Cértumst mi hunc emórtualem fácere ex natalí die.
SI. Béne ego illum tetigí, bene autem séruos inimicúm suum.
Núnc mihi certumst álio pacto Pseúdulo insidiás dare,
Quam ín aliis comoédiis fit, úbi cum stimulis aút flagris
Ínsidiantur. égo iam inultus prómam uigintí minas
Quás promissi, si écfecisset: ób uiam ei ultro déferam.
Nímis illic mortális doctust, nímis uorsutus, nímis malus.
Súperauit dolúm Troianum átque Vlixem Pseúdulus.
Núnc ibo intro, argéntum promam, Pseúdulo insidiás dabo.

PSEVDVLVS.

Quid hóc? sicine hóc fit? pedés, statin án non?
An íd uoltis út me hinc iacéntem aliquis tóllat?

Nam hércle si cécidero, flágitium uóstrum erit.
Pérgitin pérgere? ah, séruiundúm mihist.
Magnum hóc uitium uínost:
Pedés captat prímum, luctátor dolósust.
Profécto edepol égo nunc probe ábeo madúlsa:
Ita uíctu excuráto, ita múnditiis dígnis
Itaque ín loco festíuo sumus féstiue accépti
Quid opúst me multás agere ambáges?
Hoc ést homini quam ób rem amet uítam:
Hic ómnes uoluptátes, omnés uenústatés sunt.
Deís proxumam ésse arbitrór [suauitátem]:
Vbi amans conplexúst amantem, úbi labra ad labélla adiungit,
Álter ubi alterúm bilingui mánufesto inter sé praehendunt,
Vbi mamma mammícula opprimitur aút si lubet corpóra conduplicant,
Manú candidá cantharúm [tum] dulcíferum
Propínare amícissumám [tibi tuam] amícam,
Neque ibi álium alii esse ódio nec sérmonibús morologís utiér:
Vnguénta atque odóres, lemníscos, coróllas
Darí dapsilís: neque etiám parce prómi uictúm ceterúm.
[Nunc] néquis rogét me:
Hoc égo modo atque erús minor hunc dĭem prothume súmpsimus.
Postquam ópus meum ut uoluí fugatis pérpetraui omne hóstibus,
Illós adcubántis potántis amántis cum scórtis relíqui
Et mĕum scortum ibidém cordi atque ánimo opsequéntis.

Set póstquam exurréxi, med órant ut sáltem.
Ad húnc me modum ílli intulí satis facéte:
Enim éx disciputiná, quippe ego qui Iónica probe perdídici.
Sic pálliolatim amíctus hac incéssi ludibúndus.
Plaudúnt partim: [illi] ínclamitánt me ut reuórtar.
Occépi hoc modó denuó uolui: amícae dabám me, ut me amáret:
Círcumuortór, cado: nénia ludo íd fuit.
Ítaque dum enitór, prox, iam paene ínquinaui pállium
Nímiae tum uoluptáti edepol fui. dátur ob cassum cántharus.
Conmúto ilicó pallium, íllut posíui:
Inde húc exií, crapulám dum amouérem.
Núnc ad erum meúm maiorem uénio foedus cónmemoratum.
Áperite, aperite. heús, Simoni adésse me quis núntiate.

SIMO. PSEVDVLVS.

SI. Vóx uiri péssumi me éxciet foras.
Sét quid hoc? quó modo? quíd ita uideo ego?
PS. Cúm corona ébrium Pseúdulum tuum.
SI. Líbere hercle hóc quidem. sét uide statum:
Núm mea grátia pértimescít magis?
Cógito saéuiter blánditerne ádloquar.
Sét illi me hoc uím uotat fácere nunc [ïam]
Quód fero: síqua in hoc spés sitast mihi.
PS. Vír malus uiro óptumo ob uiam it.
SI. Dí te ament, Pseúdule. fú, malam i in crucem.

PS. Quor égo nam adflicter? SI. Quíd, malum, tu in ós mi inructas ébrius?
PS. Mólliter sústine mé: caue né cadam.
Nón uides méd uti mádide madeám?
SI. Quaé istaec audáciast, té sic intérdius
Cúm corolla ébrium incédere? PS. Ita lubet.
SI. Quíd, lubet? pérgin ructáre in os mihi?
PS. Suáuis ructús mihist: síc sine: i modo.
SI. Crédo equidem potis ésse te, scelus,
Mássici móntis ubérrumos quáttuor
Frúctus exbíbere in una hóra. PS. 'Hiberna' áddito.
SI. Hau mále mones. set díc tamen,
Ýnde onustám celocem ágere te praédicem?
PS. Cúm tuo fílio pérpotauí modo.
Múlier hoc facit: tùo cum filio
Líbera adcubat. SI. Péssumu's homo.
PS. Sét, Simo, ut probe táctus Balliost:
Quaé tibi díxi ut ecfécta reddidi?
SI. Ómnia ut quícque egisti órdine [ego] scio.
PS. Quid érgo dubitas dáre mi argentum? SI. Iús petis, fateór: tene.
PS. Át negabás daturum ésse te mihi:
Tamén das? SI. Derídes? quid? hóc, Pseudule, aúfersne
Aps túo ero? PS. Lubéntissumó corde atque ánimo.
SI. Non aúdes quaeso aliquám partem mihi grátiam facere huius árgenti?
PS. Non. mé dices auidum ésse hominem: nam hinc númquam eris nummo díuitior.
SI. Hem, [hércle] hoc ego numquám ratus sum fore míhi, tibi uti fierém supplex.

PS. Onera hóc humerum atque me cónsequere hac. SI. Egone ísto me onerem? PS. Scio, ónerabis.
SI. Quid ego huíc homini faciám? satin ultro argéntum aufert et me ínridet?
PS. Vae uíctis: uorte ergó tergum.
SI. Heu heú, [iam] desine: dóleo. PS. Ni doléres tu, ego dolérem:
Neque té mei tergi místereret, si hoc nón hodie ecfecíssem.
SI. Erit úbi te ulciscar, sí uiuo. PS. Quid mínitare? habeo [dŏmi] tergum.
SI. Age sáne. PS. Igitur redi. SI. Quíd redeam? PS. Redi módo: non eris decéptus.
SI. Redeó. PS. Mecum i potátum. SI. Egone eam? PS. Face quód iubeo: si is, dímidium
Aut plús etiam faxó feres hinc. SI. Eo: dúc me quo uis. PS. Quíd nunc?
Númquid irátus es aút mihi aut fílio
Própter has rés, Simo? SI. Níl profecto. PS. Í [modo] hac.
SI. Té sequor. quín uocas spéctatorés semul?
PS. Hércle me isti haú solent: néque ego ergo istós uoco.
Vérum si uóltis adplaúdere atque ádprobare
Húnc gregem et fábulam, in crástinum uós uoco.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 ad 132 iambici senarii
- 133 ad 137 trochaici octonarii
- 138 et 140 trochaici septenarii
- 139 trochaicus dimeter catalecticus
- 141 trochaica tripodia acatalecta
- 142 ad 145 trochaici octonarii
- 146 trochaicus septenarius
- 147 ad 153 iambici octonarii
- 154 ad 156 iambici septenarii
- 157 et 158 iambici octonarii
- 159 et 160 iambici septenarii
- 161 ad 168 trochaici octonarii
- 169 ad 171 iambici octonarii
- 172 iambicus septenarius
- 173 ad 181 trochaici octonarii
- 182 trochaicus septenarius
- 183 et 184 trochaici octonarii
- 185 et 186 iambici octonarii
- 187 iambicus dimeter catalecticus
- 188 ad 193 iambici octonarii
- 194 trochaicus octonarius
- 195 et 196 trochaici septenarii
- 197 et 198 trochaici octonarii
- 199 et 200 trochaici septenarii
- 201 203 206 trochaici octonarii
- 202 204 205 trochaici septenarii
- 208 iambicus octonarius
- 209 et 210 trochaici octonarii
- 211 ad 213 trochaici dimetri catalectici
- 214 trochaicus septenarius
- 215 trochaicus octonarius
- 216 et 217 trochaici dimetri catalectici
- 218 219 221 trochaici octonarii
- 220 trochaicus septenarius
- 222 et 224 trochaici dimetri catalectici
- 223 et 225 trochaici octonarii

V. 226 trochaicus septenarius
- 227 iambicus octonarius
- 228 trochaicus octonarius
229 trochaicus septenarius
- 230 ad 242 anapaestici septenarii
- 243 trochaicus octonarius
- 244 ad 248 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 249 trochaicus octonarius
- 250 ad 254 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 255 trochaicus octonarius
- 256 bacchiacus dimeter acatalectus
- 257 et 258 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 259 compositus ex duabus trochaicis tripodiis catalecticis
- 260 et 261 cretici tetrametri acatalecti
- 262 creticus dimeter acatalectus
- 263 et 264 iambici septenarii
- 265 ad 393 trochaici septenarii
- 394 ad 573 iambici senarii
- 574 et 575 anapaestici octonarii
- 576 et 578 trochaici septenarii
- 577 et 579 trochaici dimetri catalectici
- 580 et 583 anapaestici octonarii
- 581 et 582 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 584 ad 586 trochaici septenarii
- 587 et 588 anapaestici octonarii
- 589 et 590 trochaici septenarii
- 591 trochaicus dimeter acatalectus
- 592 anapaesticus octonarius
- 593 et 594 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 595 ad 598 anapaestici octonarii
- 599 anapaesticus dimeter catalecticus
- 600 ad 603 anapaestici septenarii
- 604 ad 766 trochaici septenarii
- 767 ad 904 iambici senarii
- 905 ad 913 trochaici octonarii
- 914 trochaicus septenarius
- 915 iambicus septenarius

V. 916 ad 918 iambici dimetri catalectici
- 919 iambicus octonarius
- 920 et 921 cretici tetrametri acatalecti
- 922 creticus dimeter acatalectus
- 923 et 924 iambici octonarii
- 925 trochaicus septenarius
- 926 ad 930 cretici tetrametri acatalecti
- 931 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 932 ad 935 cretici tetrametri acatalecti
- 936 ad 938 trochaici septenarii
- 939 ad 949 anapaestici septenarii
- 950 iambicus septenarius
- 951 iambicus octonarius
- 952 ad 997 trochaici septenarii
- 998 ad 1102 iambici senarii
- 1103 et 1104 trochaici octonarii
- 1105 ad 1107 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1108 bacchiacus tetrameter catalecticus
- 1109 compositus ex duabus trochaicis tripodiis catalecticis
- 1110 et 1111 trochaici septenarii
- 1112 compositus ex cretico dimetro acatalecto et trochaica tripodia catalectica
- 1113 trochaicus septenarius
- 1114 bacchiacus tetrameter catalecticus
- 1115 ad 1118 cretici tetrametri acatalecti
- 1119 et 1120 trochaici octonarii
- 1121 creticus dimeter acatalectus
- 1122 ad 1124 trochaici septenarii
- 1125 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 1126 creticus tetrameter acatalectus
- 1127 ut v. 1112
- 1128 et 1129 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1130 ad 1133 trochaici septenarii
- 1134 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 1135 ut v. 1112
- 1136 trochaica tripodia catalectica
- 1137 ad 1245 trochaici septenarii

V. 1246 et 1247 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1248 et 1249 cretici tetrametri acatalecti
- 1250 bacchiacus dimeter acatalectus
- 1251 ad 1254 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1255 et 1256 bacchiaci trimetri acatalecti
- 1257 et 1258 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1259 ad 1261 trochaici octonarii
- 1262 et 1263 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1264 et 1266 bacchiaci hexametri catalectici
- 1265 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 1267 bacchiacus dimeter acatalectus
- 1268 et 1269 iambici octonarii
- 1270 bacchiacus hexameter acatalectus
- 1271 ad 1273 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1274 et 1275 iambici septenarii
- 1276 bacchiacus tetrameter acatalectus
- 1277 bacchiacus hexameter acatalectus
- 1278 creticus tetrameter acatalectus
- 1279 et 1280 trochaici septenarii
- 1281 et 1282 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1283 et 1284 trochaici octonarii
- 1285 ad 1288 ut v. 1112
- 1289 et 1290 cretici tetrametri acatalecti
- 1291 et 1292 ut v. 1112
- 1293 compositus ex duabus trochaicis tripodiis catalecticis (cum hiatu in diaeresi)
- 1294 ut v. 1112
- 1295 iambicus octonarius
- 1296 et 1298 cretici tetrametri acatalecti
- 1297 creticus tetrameter catalecticus in syllabam
- 1299 ad 1301 ut v. 1112
- 1302 compositus ex duabus trochaicis tripodiis catalecticis
- 1303 et 1304 cretici tetrametri acatalecti
- 1305 iambicus dimeter acatalectus
- 1306 et 1307 cretici tetrametri acatalecti
1308 ad 1310 compositi ex binis trochaicis tripodiis catalecticis

V. 1311 et 1312 ut v. 1112
- 1313 iambicus octonarius
- 1314 ut v. 1112
- 1315 et 1316 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 1317 ad 1321 anapaestici octonarii
- 1322 anapaesticus quaternarius
- 1323 iambicus septenarius
- 1324 1326 1328 anapaestici septenarii
- 1325 et 1327 anapaestici octonarii
- 1329 ad 1334 cretici tetrametri acatalecti.

T. MACCI PLAVTI

S T I C H V S.

GRAECA · [PHIL]ADELPHOE · MENANDRV · ACTA LVDIS · PLEBEIS · CN · BAEBIO · L · TERENTIO · AED · PL · [EGIT] · C · PVBLILIVS · POLLIO · [MODVLATVS · EST] MARCIPOR · OPPII · TIBIIS · SARRANIS · TOTAM P · SVLPICIO · C · AVRELIO · COS ·

ARGVMENTVM.

Senéx castigat fílias, quod eaé uiros
Tam pérseuerent péregrinantis paúperes
Ita sústinere frátres neque relínquere·
Contráque uerbis délenitur cómmodis,
Habére ut sineret quós semel nactaé forent.
Virí reueniunt ópibus aucti tráns mare:
Suam quísque retinet, ác Sticho ludús datur.

PERSONAE.

PHILVMENA [PANEGYRIS] PAMPHILA [PINACIVM]	SORORES
ANTIPHO SENEX	
GELASIMVS PARASITVS	
CROCOTIVM ANCILLA	
PINACIVM PVER	
* * * [EPIGNOMVS] PAMPHILVS [PAMPHILIPPVS]	FRATRES
STICHVS SAGARINVS	SERVI
STEPHANIVM ANCILLA	
TIBICEN.	

---

* * * Huius personae nomen EPIGNOMVM verum non fuisse, sed ex altera demum recensione huius fabulae post Plautinam aetatem facta sicut PANEGYRIN PINACIVM PAMPHILIPPVM nomina profectum esse evincunt numeri eorum in quibus legitur versuum tantum non omnium, qui nomen requirunt a vocali incipiens et mensuram paeonis secundi exaequans, velut *Epistrophus Abronichus Aristratus Onesimus* et quae sunt eius generis similia.

ACTVS I.

PHILVMENA. PAMPHILA.

PH. Crédo ego miserám fuisse Pénelopam, sorór, suo ex animo,
Quaé tam diu uiró suo uidua cáruit: nam nos éius animum
De nóstris factis nóscimus, quarum hínc uiri apsunt,
Quorúm quidem nos negótiis apséntum, ita ut aequomst,
Sollícitae noctis ét dies, sorór, sumus semper.
PA. Nostrum ófficium aequomst fácere nos: neque íd magis facimus
Quam nós monet pietás. PH. Set hic, sorór, adside:
Volo técum loqui de ré uiri. PA. Saluaéne amabo?
PH. Speró quidem et uoló. set hoc,
Sorór, crucior patrém tuum
Meumque ádeo, qui unus únice
Ciuíbus ex omnibús probus
Perhibétur, eum nunc ínprobi
Viri ófficio uti: quí uiris
Tantás apsentibús facit
Nostrís inmerito iniúrias
Nosque áb eis uolt abdúcere.
Haec rés uitae me, sòror, saturant,
Haec míhi diuidiae et sénio sunt.
PA. Ne lácruma, soror, neu túo id animo
Face quód tibi pater faceré minatur.

Spes ést eum melius fácturum.
Noui égo illum: ioculo istaéc dicit:
Neque ille [haú] sibi mereat Pérsarum
Montís qui esse aurei pérhibentur,
Vt istúc faciat quod tú metuis.
Tam sí faciat, minume írasci
Decet: néque id inmerito euéniet.
Nam uiri nostri domo ut ábierunt,
Hic tértiust annus. PH. Ita út memoras:
Quom ipsi ínterea uiuánt, ualeant,
Vbi sínt, quid agant, ecqui índigeant,
Neque párticipant nos néque redeunt.
PA. An íd doles, sorór, quia
Illí suum officium nón colunt,
Quom tú tuum facis? PH. Íta pol.
PA. Tace sís: caue sis audíam ego istuc
Posthác ex te. PH. Nam quíd iam?
PA. Quia pól meo animo omnis sápientis
Suum offícium aequomst colere ét facere.
Quam ob rem égo te hoc, soror, tam etsí's maior,
Moneo út tuum memineris ófficium:
Et si ílli inprobí sint atque áliter nos fáciant
Quam aequóm sit, tam pól [noxiaé] nequid mágis sit,
Omníbus obnixe opibús nostrum
[Nos] ófficium meminísse decet.
PH. Placet: táceo. PA. At memineris fácito.
[PH. Nolo égo, soror, me crédi esse inmemorém uiri:
Neque ille ĕos honores míhi quos habuit pérdidit.
Nam míhi pol grata accéptaque huiust benígnitas.
Et mé quidem haec condítio nunc non paénitet
Nequést quor studeam has núptias mutárier.
Verúm postremo in pátris potestatést situm:

Faciúndumst nobis quód parentes ínperant.
PA. Scio átque in cogitándo maerore aúgeor:
Nam própe modum iam osténdit suam senténtiam.
PH. Igitúr quaeramus nóbis quid facto únssus sit.]

ANTIPHO. PHILVMENA. PAMPHILA.
(CROCOTIVM.)

AN. Quí manet ut moneátur semper séruos homo officiúm suum
Néc uoluntate id fácere meminit, séruos is habitu haú probost.
Vós meministis quótkalendis pétere demensúm cibum:
Quí minus meminístis quod opust fácto facere in aédibus?
Iám quidem in suo quicqué loco nisi erit míhi situm supelléctilis,
Quom égo reuortar, uós monimentis cónmonefaciam búbulis.
Nón homines habitáre mecum míhi uidentur, sét sues.
Fácite sultis nítidae ut aedes mĕae sint, quom redeám domum.
Iam égo domi adero: ad mĕam maiorem fíliam inuissó domum.
Síquis quaeret me, índe uocatote áliqui: aut iam egomet híc ero.
PH. Quíd agimus, soror, si óffirmabit páter aduorsum nós? PA. Pati
Nós oportet quód ille faciat, quŏius potestas plús potest.
Éxorando, haut áduorsando súmundam operam cénseo.
Grátiam si [páce] petimus, spéro ab eo inpetrássere.

Áduorsari síne dedecore et scélere summo hau póssumus:
Néque ego id sum factúra neque tu ut fácias consiliúm dabo,
Vérum ut exorémus. noui ego nóstros: exorábilist.
AN. Príncipium ego quo pácto cum illis óccupiam, id ratiócinor:
Ýtrum ego perplexím lacessam oratione ad húnc modum,
Quási numquam quicquam ádeo adsimulem, an quási quid indaudíuerim
Ĕas in se meruísse culpam: pótius temptem léniter
Án minacitér. scio litis fóre: ego meas noui óptume.
Sí manere hic sése malint pótius quam alio núbere,
Fáciant: quid mihi ópust decurso aetátis spatio cúm meis
Gérere bellum, quóm nil quam ob rem id fáciam meruisse árbitror?
Mínume: nolo túrbas. set hoc mihi óptumum factu árbitror:
[Sic faciam: adsimulabo quasi quam culpam in sese admiserint.]
Pérplexabilitér earum hodie pérpauefaciam péctora:
Póst id igitur dèinde ut animus méus est, id faciám palam.
Múlta scio faciúnda uerba: ibo íntro. set apertást foris.
PH. Cérto enim mihi patérnae uocis sónitus auris áccidit.
PA. Ís est ecastor: férre aduorsum homini óccupemus aúsculum.
PH. Sálue, mi pater. AN. Ét uos ambae. ílico agite apscédite.
PH. Aúsculum. AN. Sat est aúsculi mi uóstri. PH. Qui, amabó, pater?

AN. Quía ita meae animaé salsura cuénit. PA. Adside híc, pater.
AN. Nón sedeo istic: uós sedete: ego sédero in suppséllio.
PA. Máne puluinum. AN. Béne procuras míhi: sat sic fultúmst mihi.
PA. Síne, pater. AN. Quid opúst? PA. Opust. AN. Morem tíbi geram. atque hoc ést satis.
PA. Númquam enim nimis curáre possunt sŭum parentem fíliae.
Quem aéquiust potiórem habere quám te? postideá, pater,
Vĭros nostros, quibus tú nos uoluisti ésse matres fámilias?
AN. Bŏnas ut aequomst fácere facitis, quóm tamen apsentís uiros
Prŏinde habetis quási praesentes sínt. PA. Pudicitiást, pater,
Ĕos nos magnificáre qui nos sócias sumpserúnt sibi.
AN. Númquis hic est aliénus nostris díctis auceps aúribus?
PH. Núllust praeter nósque teque. AN. Vóstrum animum adhiberí uolo.
Nám ego ad uos nunc ínperitus rérum et morum múlierum
Díscipulus uenio ád magistras: quíbus matronas móribus
Quae óptumae sunt ésse oportet, íd utraque ut dicát mihi.
PA. Quíd ĭstuc est quod huc éxquaesitum múlierum morés uenis?
AN. Pól ego uxorem quaéro, postquam uóstra mater mórtuast.

PA. Fácile inuenies ét peiorem et péius moratám, pater,
Quám illa fuit: meliórem neque tu réperies neque sól uidet.
AN. Át ego ex te exquaero átque ex istac tùa sorore. PA. Edepól, pater,
Scío ut oportet ésse: si sint íta ut ego aequom cénseo.
AN. Vólo scire ergo ut aéquom censes. PA. Ýt, per urbem quom ámbulent,
Ómnibus os optúrent, nequis mérito male dicát sibi.
AN. Díc uicissim núnc ïam tu. PH. Quíd uis tibi dicám, pater?
AN. Ýbi facillumé spectatur múlier quae ingeniόst bono?
PH. Quoí male faciundíst potestas, quóm ne id faciat témperat.
AN. Haú male istuc. áge tu [dice]: utrást conditio pénsior,
Vírginemne an uíduam habere? PA. Quánta meast sapiéntia,
Éx malis multís malum quod mínumumst, id minumést malum.
Quí pote mulierés uitare, is uítet: ut cotídie
Prídie caueát ne faciat quód pigeat postrídie.
AN. Quaé tibi muliér uidetur múlto sapientíssuma?
PH. Quaé tamen, quom rés secundae súnt, se poterit nóscere:
Ét illa quae aequo animó patietur síbi esse peius quám fuit.
AN. Édepol uos lepidé temptaui uóstrumque ingenium íngeni.
Sét hoc est quod ad uos uénio quodque esse ámbas conuentás uolo:
Íta mi auctores súnt amici, ut uós hinc abducám domum.

PA. Át enim nos quarúm res agitur áliter auctorés sumus.
Nam aút olim, nisi tíbi placebant, nón datas opórtuit
Aút nunc non aequómst abduci, páter, illis apséntibus.
AN. Vósne ego patiar cúm mendicis núptas me uiuó uiris?
PA. Plácet ille meus míhi mendicus: súus rex reginaé placet.
Ídem animust in paúpertate qui ólim in diuitiís fuit.
AN. Vós latrones ét mendicos hómines magni péndítis?
PH. Nón tu me argentó dedisti opínor nuptum, sét uiro.
AN. Quíd illos expectátis qui abhinc iam ábierunt triénnium?
Quín uos capitis cónditionem ex péssuma primáriam?
PA. Stúltitiast, patér, uenatum dúcere inuitás canes.
Hóstis est uxór inuita quaé ad uirum nuptúm datur.
AN. Cértumnest neutrám uostrarum pérsequi inperiúm patris?
PH. Pérsequimur: nam quó dedisti núptum abire nólumus.
AN. Béne ualete: ibo átque amicis uóstra consilia éloquar.
PA. Próbiores, credo, árbitrabunt, sí probis narráueris.
AN. Cúrate igitur fámiliarem rém ut potestis óptume.
PH. Núnc places quom récte monstras: nunc tibi auscultábimus.
Núnc, soror, abeámus intro. PA. Ímmo interuissám domum.
Sí ab uiro tibi fórte ueniet núntius, facito út sciam.
PH. Néque ego te celábo neque tu mé celassis quód scias.

Ého Crocotium, í, parasitum Gélasimum huc arcéssito:
Técum adduce. nám illum ecastor míttere ad portúm uolo, 151
Síquae forte ex Ásia nauis héri eo aut hodie uénerit.
Nám dies totós aput portum séruos unus ádsidet:
Sét tamen uolo ínteruissi. própera atque actutúm redi.

ACTVS II.

GELASIMVS. CROCOTIVM.

GE. Famem égo fuisse súspicor matrém mihi:
Nam póstquam natus súm, satur numquám fui.
Neque quísquam melius réferet matri grátiam,
Quam ego mátri refero mĕae Fami inuitíssumus.
Nam mé illa in aluo ménsis gestauít decem:
At égo illam in aluo gésto plus annós decem.
Atque ílla puerum mé gestauit páruolum,
Quo mínus laboris cépisse illam exístumo:
Ego nón pausillulam ín utero gestó famem,
Verum hércle multo máxumam et grauíssumam.
Vterí dolores mi óriuntur cotídie:
Set mátrem parere néqueo nec quid agám scio.
[Ita] aúditaui saépe hoc uolgo dícier,
Solére elephantum gráuidam perpetuós decem
Esse ánnos: eius ex sémine haec certóst fames.
[Nam iam complures annos utero haeret meo.]
Nunc sí ridiculum hóminem quaerat quíspiam,
Venális ego sum cúm órnamentis ómnibus:
Inánimentis éxplementum quaérito.
Gelásimo nomen mi índidit paruó pater,
Quia iam á pausillo púero ridiculús fui.
Proptér pauperiem hoc ádeo nomen répperi,
Eo quía paupertas fécit ridiculús forem:
Nam illa ártis omnis pérdocet, ubi quem áttigit.

Per cáram annonam díxit me natúm pater:
Proptérea, credo, núnc adessurio ácrius.
Set géneri nostro haec rédditast benígnitas:
Nullí negare sóleo, siqui essúm uocat.
Orátio una intériit hominum péssume,
Atque óptuma hercle méo animo et scitíssuma,
Qua ante útebantur: 'uéni illo ad cenam: síc face:
Promítte uero: né grauare: est cómmodum?
Volo ínquam fieri: nón amittam quín eas.'
Nunc répprererunt iam ĕi uerbo uicárium,
Nihilí quidem hercle uérbum id ac uilíssumum:
'Vocém te ad cenam, nísi egomet ceném foris.'
Ei hércle uerbo lúmbos defractós uelim,
† Ni uére periérit, si cenassít domi.
Haec uérba subigunt mé uti mores bárbaros
Discam átque ut faciam praéconis conpéndium
Itaque aúctionem praédicem, ipse ut uénditem.
CR. Hic illést parasitus quem árcessitum míssa sum:
Quae lóquitur auscultábo prius quam cónloquor.
GE. Set cúriosi súnt hic conplurés mali,
Aliénas qui res cúrant studio máxumo,
Quibus ípsis nullast rés quam procurént sua.
Ei quándo quem auctiónem facturúm sciunt,
Adeúnt, perquirunt quíd siet caussae ílico:
Vxórin sit reddúnda dos diuórtio:
Aliénum aes cogat án pararit praédium.
Eos ómnis tam etsi hercle haút indignos iúdico
Qui múltum miseri sát laborent, níl moror.
Dicam aúctionis caússam, ut damno gaúdeant:
Nam cúriosus némost quin sit máleuolus.
Damna éuenerunt máxuma, [heu,] miseró mihi!

Ita mé mancupia míserum adfecerúnt male:
Potátiones plúrumae demórtuae:
Quot ádeo cenae quás defleui mórtuae,
Quot pótiones múlsi, quot item prándia,
Quae intér continuom pérdidi triénnium.
Prae maérore adeo míser atque aegritúdine
Consénui: paene súm fame demórtuos.
CR. Ridículus aeque núllust [quam hic] quando éssurit.
GE. Nunc aúctionem fácere decretúmst mihi:
Forás necessumst quídquid habeo uéndere.
Adéste sultis: praéda erit praeséntium.
Logós ridiculos uéndo. age licémini.
Quis céna poscit? écqui poscit prándio?
Hercúleo stabunt prándio, cená tibi.
Ehem, ádnuistin? némo meliorés dabit
[Nulli meliores esse parasito sinam]
Cauillátiones, ádsentatiúnculas
Ac périuratiúnculas parasíticas.
Robíginosam strígilem, ampullam rúbidam
[Ad] únctiones Graécas sudatórias
Vendó: † uelalias málacas crapulárias:
Parasítum inanem quó recondas réliquias.
Haec uéniuisse iám opus est quantúm potest:
Vt, décumam partem [si] Hérculi pollúceam,
Eo máior * * * * *
CR. Ecástor auctiónem [non] magní preti.
Adhaésit homini ad ínfumum uentrém fames.
Adíbo ad hominem. GE. Quís haec est quae aduorsúm uenit?
† Epígnomi ancilla haéc quidemst, Crocótium.
CR. Gelásime, salue. GE. Nón id est nomén mihi.

CR. Certó mecastor íd fuit nomén tibi.
GE. Fuít disertim, uérum id ussu pérdidi:
Nunc Míccotrogus nómine e ueró uocor.
CR. Au, ríssi te hodie múltum. GE. Quando aut quo ín loco?
CR. Hic, quom aúctionem praédicabas péssumam.
GE. Eho,
An aúdiuisti? CR. Té quidem dignissumam.
GE. Quo núnc is? CR. Ad te. GE. Quíd uenis? CR. Philúmena
Rogáre iussit témet opere máxumo,
Mecúm simitu ut íres ad sesé domum.
GE. Ego íllue mehercle uéro eo quantúm potis.
Iamne éxta cocta súnt? quot agnis fécerat?
CR. Illá quidem nullum sácruficauit. GE. Quó modo?
Quid ígitur me uolt? CR. Trítici modiós decem
Rogáre opinor. GE. Méne, ut ab sesé petam?
CR. Immó [tu] ut aps te mútuom nobís duis.
GE. Negáto mihi esse néc quod dem [isti] mútuom
Neque áliut quicquam nísi hoc quod habeo pállium.
Linguám quoque etiam uéndidi datáriam.
CR. Au,
Nullán tibi linguast? GE. Quaé quidem dicát 'dabo'
Veterém reliqui: eccíllam quae dicát 'cedo'.
CR. Malúm di tibi dent * * * * *
GE. Malúm quidem si uis, haéc eadem dabít tibi.
CR. Quid núnc? ituru's án non? GE. Abi sané domum:
Iam illó uenturum dícito. propera átque abi.
Demíror quid illaec mé ad se arcessi iússerit,

Quae númquam iussit mé ad se arcessi ante húnc diem,
Postquám uir abiit éius. miror quíd siet:
Nisi út periclum fíat, uissam quíd uelit.
Set éccum Pinacium éius puerum. hoc [sís] uide:
Satin út facete [aeque] átque ex pictura ástitit?
Ne iste édepol uinum póculo pausíllulo
Saepe éxanclauit súbmerum scitíssume.

PINACIVM. GELASIMVS.

PI. Mercúrius, Iouis qui núntius perhibétur, numquam aequé patri
Suo núntium lepidum áttulit, quam ego núnc meae nuntiábo erae.
Ítaque onustum péctus porto laétitia lubéntiaque:
Néque lubet nisi glóriose quícquam proloquí pro fecto.
Amoénitatis ómnium uenerum ét uenustatum ádfero,
Ripísque superat mi átque abundat péctus laetitiá meum.
Nunc tíbi potestas ádipiscundist glóriam laudém decus:
Própera, Pinaciúm, pedes hortáre, honesta dícta factis,
Eraéque egenti súbueni * * * *
Quae mísera in expectátione †Epígnomi aduentús uirist:
Proinde út decet uirum amát suum [et] cupide éxpetit. nunc, Pínacium,
Age út placet, curre út lubet: caue quémquam flocci féceris:
Cubitís depulsa dé uia, tranquíllam concinná uiam.
Si réx opstabit ób uiam, regem ípsum prius peruórtito.

GE. Quídnam dicam Pínacium tam líxabundum cúrrere?
Harúndinem fert spórtulamque et hámulum piscárium.
PI. Set tándem opino aequómst eram mihi ésse supplicem átque [eam]
Óratores míttere ad me dónaque ex auro ét quadrigas,
Quí uehar: nam pédibus ire nón queo. ergo iám reuortar:
Ád me adiri et súpplicari mi égomet aequom cénseo.
An uéro nugas cénseas nihílue esse ego quod núnc scio?
Tantum á portu adportó boni, tam gaúdium grande ádfero:
Vix ípsa domina hoc, sí sciat, exóptare ab dis aúdeat.
Nunc últro hoc deportem? haú placet neque íd uiri officium árbitror.
Sic hóc uidetur míhi magis meo cónuenire huic núntio:
Aduórsum ueniat, ópsecret se ut núntio hoc inpértiam.
Secúndas fortunás decent [fastídia et] supérbiae.
Set tándem quom recógito, qui pótis est scire haec scíre me?
Nón enim possum quín reuortar, quín loquar, quin édissertem
Erámque ex maerore éximam, bene fácta maiorúm meum
Exaúgeam atque illam aúgeam insperáto opportunó bono.
Contúndam facta Tálthubi contémnamque omnis núntios:
Sĕmulque cursurám meditabor ád ludos Olúmpios.
Set spátium hoc oppidó breuist currículo: quam me paénitet.
Quid hóc? occlussam iánuam uideo: íbo et pultabó foris.

Aperite atque adproperáte, fores facite út pateant: remouéte moram.
Nimis haéc res sine curá geritur: uide quám dudum hic asto ét pulto.
Somnóne operam datis? éxperiar fores án cubiti ac pedes plús ualeant.
Nimis uéllem hae fores erum fúgissent, ea caússa ut haberent mălum magnum.
Deféssus sum pultándo.
Hoc póstremum esto uóbis.
GE. Ibo átque hunc conpellábo.
Saluós sis. PI. Et tu sálue.
GE. Iam tú piscator fáctu's?
PI. Quam prídem non edísti?
GE. Vnde ís? quid fers? quid féstinas?
PI. Tua quód nil refert, né cures.
GE. Quid istíc inest? PI. Quas tu edés colubras.
GE. Quid tam íracundu's? PI. Si ín te
Pudor ádsit, non me appélles.
GE. Possúm scire ex te uérum?
PI. Potis: hódie non cenábis.

PHILVMENA. GELASIMVS. PINACIVM.

PH. Quisnam ópsecro has frangít foris? tune haéc facis? tun mi hostís uenis?
GE. Sálue: tuo arcessítu huc uenio. PH. Ean grátia forís ecfringis?
GE. Tŭos inclama, tŭi delinquont: égo quid me uellés uissebam.
Nám me quidem miserébat harum. PI. Érgo auxilium própere latumst.

PH. Quísnam loquitur híc tam prope nos? GE. Pínacium. PH. Vbi is est? PI. Réspice
Ád med et relínque egentem párasitum, Philúmena.
PH. Pínacium. PI. Istuc índiderunt nómen maiorés mihi.
PH. Quíd agis? PI. Quid agam rógitas? PH. Quid ni rógitem? PI. Quid mecúmst tibi?
PH. Mín fastidis, própudiose? elóquere propere, Pínacium.
PI. Iúbe me omittere ígitur hos qui rétinent. PH. Qui retinént? PI. Rogas?
Ómnia membra lássitudo míhi tenet. PH. Linguám quidem
Sát scio tibi nón tenere. PI. Ita céleri curriculó fui
Própere a portu honóris caussa tui. PH. Écquid adportás boni?
PI. Nímio adportó múlto tanto plús quam speras. PH. Sálua sum.
PI. Át ego perii, quoí medullam lássitudo pérbibit.
GE. Quíd ego, quoi miseró medullam uéntris percepít fames?
PH. Écquem conueni̇́sti? PI. Multos. PH. Át uirum ecquem? PI. Plúrumos:
Vérum ex multis néquiorem núllum quam hic est. PH. Quó modo?
GE. Iám dudum ego istunc [aégre] patior dícere iniusté mihi.
Praéterhac si me ínritassis.. PI. Édepol essuriés male.
GE. Ánimum inducam ut [né] istuc uerum te élocutum esse árbitrer.
PI. Múnditias uolo fíeri: ecferte huc scópas semulque harúndinem,

Ýt operam omnem aráneorum pérdam et texturam ínprobam
Dĕiciamque eorum ómnis telas. GE. Míseri algebunt póstea.
PI. Quíd? illos itidemne ésse censes quási te cum ueste única?
Cápe illas scopas. GE. Cápiam. PI. Hoc egomet, tú hoc conuorre. GE. Ecfécero.
PI. Écquis huc ecfert nássiternam cúm aqua? GE. Sine suffrágio
Pópuli tamen aedílitatem hic quídem gerit. PI. Age tu ócius
Térge humum, conspérge ante aedis. GE. Fáciam. PI. Factum opórtuit.
Égo hinc araneás de foribus dĕiciam et de páriete.
GE. Édepol rem negótiosam. PH. Quíd sit nil etiám scio:
Nísi forte hospités uenturi súnt. PI. [Vos] lectos stérnite.
GE. Príncipium placét de lectis. PI. Álii ligna caédite:
Álii piscis dépurgate, quós piscator áttulit:
Pérnam et glandium [álii] deicite. GE. Hércle homo hic nimiúm sapit.
PH. Nón ecastor, út ego opinor, sátis erae morém geris.
PI. Ímmo res omnís relictas hábeo prae quod tú uelis.
PH. Túm tu igitur, qua caússa missus és ad pórtum, id éxpedi.
PI. Dícam. postquam mé missisti ad pórtum cum lucí semul,
Cómmodum radiósus sese sól superabat éx mari.

Dúm percontor pórtitores, écquae nauis uénerit
Éx Asia, [ac] negánt uenisse, cónspicatus sum ínterim
Cércurum, quo ego mé maiorem nón uidisse cénseo.
Ín portum uentó secundo, uélo passo péruenit.
Álius alium pércontamur: 'quóiast nauis? quíd uehit?'
Ínterim † Epignomúm conspicio tŭum uirum et seruóm Stichum.
PH. Hém, quid? † Epignomum élocutu's? GE. Tŭum uirum et uitám meam.
PI. Vénit, inquam. PH. Túne eum [ipsus] ípsum uidistí? PI. Lubens.
GE. Hércle uero cápiam scopas átque hoc conuorrám lubens.
PI. Árgentique auríque aduexit nímium. GE. Nimis factúm bene.
PI. Lánam purpurámque multam. GE. Hém, qui uentrem uéstiam.
PI. Léctos eburatós, auratos. GE. Ádcubabo régie.
PI. Túm Babulonica péristromata, conchúliata tapétia
Áduexit. GE. Nimiúm bonae rei: hércle rem gestám bene.
PI. Póste, ut occepí narrare, fídicinas tibícinas
Sámbucas aduéxit secum fórma eximia. GE. Eúgepae.
Quándo adbibero, adlúdiabo: túm sum ridiculíssumus.
PI. Póste unguenta múltigenerum múlta. GE. Non uendó logos:
Iám [ego] non facio aúctionem: mi óptigit heréditas.
Máleuoli perquísitores aúctionum périerint.
Hércules, decumam ésse adauctam tíbi quam uoui grátulor.

[Spés] est tandem aliquándo inportunam éxigere ex [uteró famem].
PI. Póste autem aduexít parasitos sécum . . GE. Hei, perií miser.
PI. Rídiculissumós. GE. Reuorram hercle hóc quod conuorrí modo.
Vénales logí sunt illi quós negabam uéndere.
Ílicet: iam mĕo malost quod máleuolentes gaúdeant.
Hércules, qui déus sis, sane díscessisti nón bene.
PH. Vídistin uirúm sororis Pámphilum? PI. Non. PH. Nón adest?
PI. Ímmo uenisse ĕum simitu aiébant illi: ego húc citus
Praécucurri, ut núntiarem núntium exoptábilem.
PH. Í intro, Pinaciúm, iube famulos rém diuinam mi ádparent.
Béne uale. GE. Vin ádministrem? PH. Sát seruorum habeó domi.
GE. Ĕnimuero, Gelásime, opinor próuenisti fúttile,
Sí neque ille adést neque hic qui uénit quicquam súbuenit.
Íbo intro ad librós et discam dé dictis melióribus:
Nám ni illos hominés expello, ego óccidi planíssume.

ACTVS III.

† Epignomvs. Stichvs.

EP. Quom béne re gesta sáluos conuortór domum,
Neptúno gratis hábeo et tempestátibus:
Semúl Mercurio, quí me in mercimóniis
Iuuít lucrisque quádruplicauit rém meam.
Olím quos abiens ádfeci aegrimónia,
Eos núnc laetantis áduentu faciám meo.
Nam iam Ántiphonem cónueni adfiném meum
Cumque ĕo reueni ex ínimicitia in grátiam.
Vidéte quaeso quíd potest pecúnia.
Quoniám redisse béne re gesta mé uidet
Magnásque adportauísse diuitiás domum,
Sine áduocatis íbidem in cercuro, ín stega,
In amícitiam atque in grátiam conuórtimus.
Et is hódie aput me cénat et fratér meus.
Nam heri ámbo in uno pórtu fuimus: sét mea
Hodié solutast náuis aliquantó prius.
Age abdúce hasce intro quás mecum adduxí, Stiche.
ST. Ere, sí ego taceam seú loquar, scio scíre te
Quam múltas tecum míserias † mulcáuerim:
Nunc húnc diem unum ex íllis multis míseriis
Volo mé eleutheria iam ágere aduenientém domum.
EP. Et iús et aequom póstulas: sumás, Stiche,
Tibi húnc diem: te níl moror. abi quó lubet.
Cadúm tibi ueteris uíni propinó. ST. Papae,

Ducam hódie amicam. EP. Vél decem, dum dé tuo.
ST. Quod hoc . . . . ? EP. Quid . . . . ?
ST. Ad cenam ibo . . . .
Sic hoc placet . . . .
EP. Vbi cénas hodie? ST. Síc hanc rationem ínstiti:
Amícam ego habeo Stéphanium hinc ex próxumo,
Tui frátris ancillam: ĕo condicam: súmbulam
Ad cénam ad eius conséruom Sagarinúm feram.
Eadémst amica ambóbus: riualés sumus.
EP. Age abdúce has [nunc ïam] íntro. hunć tibi dedó diem.
ST. Me in cúlpa habeto, nísi probe excruciáuero.
Iam hercle égo per hortum ad amícam transibó meam,
Mi hanc óccupatum nóctem: eadem súmbulam
Dabo ét iubebo ad Ságarinum cenám coqui.
Aut égomet ibo atque ópsonabo opsónium.
Sagarinu . . . .
Seru . . . . nam meae
Aduors . . . cum uerberibus . . .
Dar . ut . . . m uerberabundum adducam domum
Paráta hic faciam ut sínt. [set] egomet mé moror.
Atque íd ne uos mirémini, homines séruolos
Potáre amare atque ád cenam condícere:
Licet hóc Athenis nóbis. set quom cógito,
Potiús quam inueniam inuídiam, est etiam hic óstium
Aliút posticum nóstrarum harunce aédium:
[Posticam partem magis utuntur aedium.]
Ea ibo ópsonatum atque ĕadem referam opsónium:
Per hórtum utroque cónmeatus cóntinet.
Ite hác secundum uós. ne ego hunc laceró diem.

GELASIMVS. † EPIGNOMVS.

GE. Librós inspexi: tám confido quám potis
Me meum óptenturum régem ridiculís logis.
Nunc ínteruisso iámne a portu aduénerit,
Vt eum áduenientem mĕis dictis deléniam.
EP. Hic quĭdem Gelasimus ést parasitus quí uenit.
GE. Auspício [hercle] hodie [ego] óptumo exiuí foras.
Quom stréna [mi] opscaeuáuit, spectatum hóc mihist,
Mustélla murem [ut] ápstulit praetér pedes.
Nam ut ílla uitam répperit hodié sibi,
Item me spero fácturum, augurium ác facit.
† Epígnomus hic quidemst qui ástat: ibo atque ádloquar.
[O] † Epígnome, ut ego núnc te conspició lubens:
Vt praé laetitia lácrumae prosuliúnt mihi.
Valuístine usque? EP. Sústentatumst sédulo.
GE. Propíno tibi salútem plenis faúcibus.
EP. Bene átque amice dícis. di dent quaé uelis.
GE. * * * * * * * *
EP. Cenem ílli apud te? GE. Quóniam saluos áduenis.
EP. Locátast opera núnc quidem: tam grátiast.
GE. Promítte. EP. Certumst. GE. Síc face, inquam. EP. Est cérta res.
GE. Lubénte me hercle fácies. EP. Idem ego istúc scio:
Quandoússus ueniet, fíet. GE. Nunc ergo ússus est.
EP. Non édepol possum. GE. Quíd grauare? cénseas:

Nescio quid †uero hábeo in mundo. EP. Í modo:
Alióm conuiuam quaérito tibi in húnc diem.
GE. Quin tú promittis? EP. Nón grauer, si póssiem.
GE. Vnúm quidem hercle cérte promittó tibi:
Lubéns accipiam cérto, si promísseris.
EP. Valeás. GE. Certumnest? EP. Cértum: cenabó domi.
GE. Sic quóniam nil procéssit, [igitur] ádiero
Apértiore mágis uia ac plané loquar.
Quandó quidem tute ad mé non uis promíttere,
Vin ád te ad cenam uéniam? EP. Si possít, uelim:
Verum híc aput me cénant aliení nouem.
GE. Hau póstulo equidem in lécto med adcúmbere:
Scis tú med esse [unum] ími supsellí uirum.
EP. At ei óratores pópuli sunt, summí uiri:
Ambrácia ueniunt húc legati púplice.
GE. Ergo óratores pópuli summatés uiri
Summi ádcubent, ego ínfumatis ínfumus.
EP. Haut aéquomst te inter óratores áccipi.
GE. Equidem hércle orator súm, set procedít parum.
EP. Cras dé reliquiis nós uolo. multúm uale.
GE. Perii hércle uero pláne, nihil obnóxie.
Vnó Gelasimo mínus est quam dudúm fuit.
Certúmst mustellae pósthac numquam crédere:
Nam incértiorem núllam noui béstiam.
Quaene èapse deciens ín die mutát locum,
Eam aúspicaui ego ín re capitalí mea?
Certúmst amicos cónuocare, ut cónsulam
Qua lége nunc med éssurire opórteat.

ACTVS IIII.

ANTIPHO. PAMPHILVS. †EPIGNOMVS.

AN. Íta me di bene amént measque míhi seruassint fílias,
Ýt mihi uolup est quía uos uideo, Pámphile, in patriám domum
Béne re gesta rédiisse ambos, témet et fratrém tuum.
PA. Sátis aps te accipiám, nisi uideam míhi te amicum esse, Ántipho:
Núnc, quia te mihi amícum experior ésse, credetúr tibi.
AN. Vócem ego te ad me ad cénam, frater túus ni dixissét mihi
Te ăput se cenatúrum esse hodie, quóm me ad se ad cenám uocat.
Ét magis par fuerát me uobis dáre cenam aduenientibus,
Quám ad illum promítterem, nisi nóllem ei aduorsárier.
Núnc me gratiam áps te inire uérbis nil desídero:
Crás aput me eritis ét tu et ille cúm uostris uxóribus.
PA. Át aput me perendie: nam ille héri me iam uocáuerat
Ín hunc diem. set sátine tecum pácificatus sum, Ántipho?
AN. Quándo ita rem gessístis, ut uos uélle amicosque áddecet,
Páx conmerciúmquest uobis mécum. hoc facito ut cógites:
Ýt quoique homini rés paratast, périnde amicis útitur:
[Sí res firmast, ítidem] firmi amíci sunt: si rés labat,

Ítidem amici cónlabascunt. rés amicos ínuenit.
EP. Iám redeo. nimiást uoluptas, sí diu afuerís domo,
Dómum ubi redierís, si tibi nulla aégritudo animo ób uiamst.
Nam íta me apsente fámiliarem rem úxor curauít meam:
Omnium me exilem átque inanem fécit aegritúdinum.
Sét eccum fratrem Pámphilum [meum]: incédit cum soceró suo.
PA. Quíd agitur, [mi] †Epígnome? EP. Quid tu? quám dudum in portúm uenis?
PA. Haú longissumé. EP. Postilla iám istest tranquillús tibi?
AN. Mágis quam mare quo ambo éstis uecti. EP. Fácis ut alias rés soles.
Hódiene exonerámus nauem, fráter? PA. Clementér uolo:
Nós potius onerémus nosmet uícissatim uoluptátibus.
Quám mox coctast céna? inpransus égo sum. EP. Abi intro ad me ét laua.
PA. Dĕos salutatum átque uxorem módo intro deuortór domum.
[Haéc si ita ut uoló confexo, cóntinuo ad te tránseo.]
EP. Ăput nos eccillám festinat cúm sorore uxór tua.
PA. Óptumest: iam istúc morai mínus erit. EP. Iam ego ăput te ero.
AN. Príus quam abis, praesénte ted huic ápologum agere unúm uolo.
EP. Máxume. AN. Fuit ólim, quasi [nunc] égo sum, senex. ei fíliae
Dúae erant, quasi nunc mĕae sunt. eae erant dŭobus nuptae frátribus,
Quási nunc meae sunt uóbis. PA. Miror quo éuassurust ápologus.

AN. Érat minori illi ádulescenti [quási nunc tibi] tibícina:
Péregre aduexerát, quasi nunc tu. sét ille erat caeléps senex,
Quási ego nunc sum. PA. Pérge porro: praésens hic quidemst ápologus.
AN. Dèinde senex ille ílli dixit, quòius erat tibícina,
Quási ego nunc tibi díco . . PA. Ausculto atque ánimum aduorto sédulo.
AN. ‘Égo tibi meam fíliam bene quícum cubitarés dedi:
Núnc mihi reddi ego aéquom esse aps te quícum cubitem cénseo.’
PA. Quís istuc dicit? án ille quasi tu? AN. Quási ego nunc dicó tibi.
“Ímmo duas dabo” ínquit ille aduléscens “una sí parumst:
Ét si duarum paénitebit” ínquit “addentúr duae.”
PA. Quís istuc, quaeso? an ílle quasi ego? AN. Is ípse quasi tu. [túm] senex
Ílle quasi ego ‘sí uis’ inquit ‘quáttuor sané dato,
Dúm quidem hercle quód edint addas, mèum ne contruncént cibum.’
PA. Vídelicet parcúm fuisse illúm senem, qui [id] díxerit,
Quóm ille illi qui póllicetur èum cibum popóscerit.
AN. Vídelicet nequám fuisse illum ádulescentem, qui ílico,
Vbi ille poscit, dénegarit dáre se granum trítici.
Hércle qui aequom póstulabat sènex, quando quidem fíliae
[Quám] ille dederat dótem accípere [eum uóluit] pro tibícina.
PA. Hércle ille quidem cérto adulescens dócte uorsutús fuit,

Quí seni illi cóncubinam dáre dotatam nóluit.
AN. Sĕnex quidem uoluít, si posset, índipisci dé cibo:
Quía nequit, qua lége licuit uélle dixit fíeri.
"Fíat" ille inquít adulescens. 'fácis benigne' inquít senex.
'Hábeon rem pactam?' ínquit. "faciam ita" ínquit "ut fierí uoles."
Sét ego ibo intro et grátulabor uóstrum aduentum fíliis.
Póste ibo lautum ín puelum: ibi fouébo senectutém meam:
Póste ubi lauero, ótiosus uós opperiar ádcubans.
PA. Gráphicum mortalem Ántiphonem: ut ápologum fecít fabre.
Étiam nunc sceléstus sese dúcit pro adulescéntulo.
Dábitur homini amíca, noctu quaé in lecto occentét senem:
Námque edepol aliút quidem illi quíd amica opus sit néscio.
Sét quid agit parasítus noster Gélasimus? etiám ualet?
EP. Vídi edepol hominem haú perdudum. PA. Quíd agit? EP. Quod famélicus.
PA. Quín uocasti hominem [ád te] ad cenam? EP. Néquid aduenieus pérderem.
Átque eccum tibi lúpum in sermone: praésens essuriéns adest.
PA. Lúdificemur hóminem. EP. Capti cónsili memorém mones.

GELASIMVS. PAMPHILVS. †EPIGNOMVS.

GE. * * * * * * *
* * * * * *
* * * * * * *

Sét ita ut occepí narrare uóbis: quom hic non ádfui,
Cúm amicis delíberaui iám et cum cognatís meis.
Íta mi auctores fũere, ut egomet me hódie iugularém fame.
Sét uideone ego Pámphilum cum frátre †Epignomo? átque is est.
Ádgrediar hominem. [ó] sperate Pámphile, o [salús] mea,
Ó mea uita, o méa uoluptas, sálue. saluom gaúdeo
Péregre te in patriám redisse. sálue. PA. Salue, Gélasime.
GE. Váluistin bene? PA. Sústentaui sédulo. GE. Edepol gaúdeo.
Édepol ne ego núnc mihi modium mílle esse argentí uelim.
EP. Quíd eo tibi opust? GE. Húnc hercle ad cenam út uocem, te nón uocem.
EP. Áduorsum te fábulare. GE. Illút quidem 'ambos út uocem'
. . equidem s . . . . ic ne uostrae uitassem dom .
N . me s . . . . ns . . . . a . nihil est atque hoc scit . u .
EP. Édepol te uocém lubenter, sí superfiát locus.
GE. Quín tum stans opstrússero aliquid strénue. EP. Immo unum hóc potest . .
GE. Quíd? EP. Vbi conuiuae ábierint, tum ut uénias. GE. Euax, áttatae.

EP. Vása lautum, nón ad cenam díco. GE. Di te pérduint.
Quíd ais, Pamphile? PA. Ád cenam [hodie] hercle álio promissí foras.
GE. Quíd, foras? PA. Foras hércle uero. GE. Quí malum tibi lassó lubet
Fŏris cenare? PA. Vtrúm tu censes? GE. Iúbe domi cenám coqui
Átque ad illum renúntiari. PA. Sólus cenabó domi?
GE. Nón enim solus: mé uocato. PA. At ílle ne suscénseat,
Mĕa qui caussa súmptum fecit. GE. Fácile excussarí potest.
Míhi modo auscultá: domi cenam iúbe coqui. EP. Non mé quidem
Fáciet auctore, hódie ut illum décipiat. GE. Non tu hínc abis?
Nísi me non perspícere censes quíd agas. caue sis tú tibi:
Nam íllic homo tuam heréditatem ínhiat, essuriéns lupust.
Nón tu scis quamde ádflictentur hómines noctu hic ín uia?
PA. Tánto pluris quí defendant íre aduorsum iússero.
EP. Nón it, quia tanto ópere suades né [ad me] bitat. GE. Iúbe domi
Míhi tibique tŭaeque uxori céleriter cenám coqui.
Si hércle faxis, nón opinor díces deceptúm fore.
PA. Pér hanc tibi cenam íncenato, Gélasime, esse hodié licet.
GE. Íbisne ad cenám foras? PA. Aput frátrem ceno in próxumo.

GE. Cértumnest? PA. Certum. GE. Édepol te hodie lápide percussúm uelim.
PA. Nón metuo: per hórtum traibo, nón prodibo in púplicum.
EP. Quíd ais, Gelasime? GE. Óratores tu áccipis: habeás tibi.
EP. Tŭa pol refert. GE. Ĕnimuero si mĕa refert, opera útere:
Pósce. EP. Edepol tibi opínor etiam uní locum [esse] cónspicor,
Ýbi adcubes. PA. Sané faciundum cénseo. GE. O lux óppidi.
EP. Si árte poteris ádcubare. GE. Vél inter cuneos férreos:
Tántillum loci úbi catellus cúbet, id satis erít mihi.
EP. Éxorabo aliquó modo: ueni. GE. Húcine? EP. Immo in cárcerem.
Nám hic quidem geniúm meliorem tŭum non facies. ĕamus, tu.
PA. Dĕos salutabó modo: poste ad té continuo tránseo.
GE. Quíd igitur? EP. Dixi équidem in carcerem íres. GE. Quin si iússeris,
Ĕo quoque ibo. EP. Di ínmortales, híc quidem pol summam ín crucem
Céna aut prandió perduci pótis. GE. Ita ingeniúm meumst:
Quícumuis depúgno multo fácilius quam cúm fame.
EP. Nóui ego: aput me sátis spectatast míhi iam tua ista fácilitas
* * * * * * * *
Dúm parasitus míhi atque fratri fŭisti, rem confrégimus.

Núnc ego nolo mi éx Gelasimo fíeri te Catagélasimum.
GE. Iámne abis tu? [abít profecto.] núnc consilio sáno opust.
[Ámbo abierunt:] uíde, Gelasime, quíd capturu's cónsili.
* * * * * * * *
Égone? tu ne. míhine? tibi ne. uíden ut annonást grauis?
Víden benignitátes hominum ut périere et prothúmiae?
Víden ridiculos níhili fieri atque ípsos parasitárier?
Númquam edepol me uíuom quisquam in díem prospiciet crástinum:
Nám mihi iam intus pótione iúncea onerabó gulam
Néque ego hoc conmittam út me esse homines mórtuom dicánt fame.

ACTVS V.

STICHVS.

More hóc fit atque stúlte mea senténtia,
Si quem hóminem expectant èum solent prouíssere:
Illá qui caussa hercle ócius nihiló uenit.
Idem égo nunc facio, quí prouisso Ságarinum:
Qui níhilo citius uéniet tamen hác grátia.
Iam hercle égo decumbam sólus, si ille huc nón uenit.
Cadúm modo hinc a me húc cum uino tránsferam:
Postídea adcumbam. quási nix tabescít dies.

SAGARINVS. STICHVS.

SA. Saluéte Athenae, quaé nutrices Graéciae:
Erílis patria, [sálue: ut] te uideó lubens.
Set amíca mea et consérua quid agat Stéphanium,
Curást ut uideam. nám Sticho mandáueram
Salútem [ei] ut nuntiáret atque ei díceret
Me hodié uenturum, ut cénam coqueret témperi.
Set Stíchus est hic quidem. ST. Fécisti, ere, facétias,
Quom hoc dónauisti dóno tuum seruóm Stichum.
Pro di ínmortales, quót ego uoluptatís fero,
Quot ríssiones, quót iocos, quot sáuia
Saltátiones blánditias prothúmias.

SA. Stiche, quíd fit? ST. Euge, Ságarine, lepidíssume:
Feró conuiuam Díonusum mihique ét tibi.
Namque édepol cena cóctast: locus libér datust
Mihique ét tibi aput uos. nam ăput nos est conuíuium:
Ibi uóster cenat cum úxore adeo et Ántipho:
Ibidem érus est noster. hóc mihi donó datumst.
SA. Quid? sómniastin? ST. Vérum [hercle ego dicó tibi.
SA. Quis ígitur hoc donáuit?] ST. Quid id ad te áttinet?
Volo éluamus hódie peregrina ómnia.
[Relinque: Athenas nunc colamus: sequere me.]
Proin tú lauare própera. SA. Lautus sum. ST. Óptume:
Sequere érgo hac me intro, [Ságarine.] SA. Ego ueró sequor.
[Pol mi hóc] domum redeúnti princípiúm placet:
Bona scaéua strenaque ób uiam occessít mihi.

Stephanivm.

Mirúm uideri némini uostrúm uolo, spectatóres,
Quid ego hínc quae illi habito [huc] éxeam: faciám uos certióres.
Domo dúdum huc arcessíta sum. [nam] quóniam nuntiátumst
Istárum uenturós uiros, ibi féstinamus ómnes:
Lectís sternundis stúduimus mundítiisque adparándis.
Intér illut tam negótium meís curaui amícis
Sticho ét conseruo Ságarino meo céna cocta ut ésset.

Stichus ópsonatust: céterum id curándo [alium] adlegáui.
Nunc íbo hinc et amicós meos curábo hic aduenientis.

SAGARINVS. STICHVS. (TIBICEN.)

SA. Ágite ite foras: férte pompam. Stíche, te praefició cado.
Ómnimodis temptáre certumst nóstrum hodie conuíuium.
Íta me di ament, lépide accipimur, quom hóc recipimur ín loco.
Quí praetereat, cómissatum uólo uocari. ST. Cónuenit,
Dúm quidem hercle cúm suo quisque uéniat uino: nam hínc quidem
Hódie polluctúra praeter nós iam dabitur némini.
Nósmet inter nós minstremus mónotropi. SA. Hoc conuíuium
Pro ópibus nostris sátis commodulumst núcibus fabulis fículis
Óleae trublió lupillo cónminuto crústulo.
ST. Sátiust seruo hominí modeste fácere sumptum quam ámpliter.
Sŭum quemque decet: quíbus diuitiae dŏmi sunt, scaphiis cántharis
Bátiacis bibúnt: nos nostro Sámiolo potério
[Sí nunc] bibimus, támen eficimus pro ópibus nostra moénia.
SA. Sét amica mea et túa dum comit dúmque se exornat, nós uolo
Lúdere inter nós. strategum té facio huic conuíuio.
ST. Nímium lepide in méntem uenit. SA. Pótiusne in supséllio

Cúnice accipimur quámde in lectis? ST. Híc enim magis est dúlcius.
SA. Vter amicam utrubi ádcumbamus? ST. Ábi tu sane súperior.
Átque adeo ut tu scíre possis, pácto ego tecum hoc díuido:
Víde, utram tibi lubét etiam nunc cápere, cape prouínciam.
SA. Quíd istuc est prouínciae [autem]? ST. Vtrúm fontine an Líbero
Ínperium te inhibére mauis? SA. Nímio liquido Líbero.
Sét interim, stratége noster, quór hic cessat cántharus?
Víde quot cuathos bíbimus. ST. Tot quot dígiti tibi sunt ín manu.
Cántio Graecást: ἢ πέντ' ἢ τρία πῖν' ἢ μὴ τέτταρα.
SA. Tíbi propino. décumum a fonte tíbi tute inde, sí sapis.
Béne uos: bene nos: béne te: bene me: béne nostram etiam Stéphanium.
ST. Lépide hoc actumst. tíbi propino cántharum. SA. Vinúm tu habes:
Nímis uellem aliquid púlpamenti. ST. Si hórum quae adsunt paénitet,
Níhil est. tene aquam. SA. Mélius dicis: níl moror cuppédia.
Bíbe, tibicen: [bíbe si bibis.] bibúndum hercle hoc est: né nega.
Quíd hic fastidis quód faciundum uídes esse tibi? quín bibis?
Áge siquid agis. áccipe inquam: nám hoc inpendit púplicum.
Haú tuum istuc ést uereri te. éripe ex ore tíbias.

ST. Ýbi illic biberit, uél seruato mĕum modum uel [égo] dabo.
Nólo ego nos [hoc] próssum exbibere: núlli rei erimus póstea.
Námque edepol quam uís desubito uél cadus uortí potest.
SA. Quíd igitur? quamquám grauatus fŭisti, non nocuít tamen.
Áge tibicen, quándo bĭbisti, réfer ad labeas tíbias:
Súffla celeritér tibi buccas quási proserpens béstia.
Áge dum, Stiche: uter démutassit, póculo multábitur.
ST. Bŏnum ius dicis: ínpetrare opórtet qui aequom póstulat.
SA. Áge ergo opserua: sí peccassis, múltam hic retinebo ílico.
ST. Óptumum atque aequíssumum oras. SA. Én tibi hoc primum ómnium.
ST. Haéc facetiást, amare intér se riualís duos,
Ýno cantharó potare [et] únum scortum dúcere.
Hóc memorabilést: ego tu sum, tú es ego: unanimí sumus.
Ýnam amicam amámus ambo: mécum ubist, tecúmst tamen:
Técum ubi autemst, mécum [ea] itidemst: neútri neuter ínuidet.
SA. Ohe,
Iám satis est: nolo óptaedescat: álium ludum núnc uolo.
ST. Bíbe si bibis. SA. Non móra erit aput me. édepol conuiuí sat est:
Módo nostra huc amíca accedat: [si] íd adest, aliut níl abest.
ST. Vín amicam huc éuocemus? éa saltabit. SA. Cénseo.

ST. Méa suauis amabílis amoena Stéphanium, ad amorés tuos
Fòras egredere: sát mihi pulcra's. SA. Át enim [mihi] pulcérruma.
ST. Fáce nos hilaros hílariores ópera atque aduentú tuo.
SA. Péregre aduenientés te expetimus, Stéphaniscidium, mél meum,
Sí amabilitas tíbi placet nostra, ámbo si acceptí sumus.

STĒPHANIVM. STICHVS. SAGARINVS. (TIBICEN.)

STE. Mórigerabor, mèae deliciae: nam íta me Venus amoéna amet,
V́t ego huc iam dudúm simitu exíssem uobiscúm foras,
Nísi me uobis éxornarem. nam ítast ingenium múliebre:
Béne quom lauta társa ornata fíctast, infectást tamen:
Nímioque sibi múlier meretrix répperit odium ócius
Sua ínmunditia, quám in perpetuom ut pláceat munditiá sua.
STI. Nímium lepide fábulatast. SA. Véneris merast orátio.
STI. Ságarine. SA. Quid est? STI. Tótus doleo. SA. Tótus? tanto míserior.
STE. V́trubi adcumbo? SA. Vtrúbi tu uis? STE. Cum ambóbus uolo: nam ambós amo.
STI. Vápulat pecúlium: actumst: fúgit hoc libertás caput.
STE. Dáte mi locum ubi adcúmbam, amabo, sí quidem placeo: nám mihi
[Núnc] cum utroque béne esse cupio. STI. Díspereo. quid aís? SA. Quid est?
STI. Íta me di ament, númquam enim fiet hódie haec quin saltét tamen.

Áge, mulsa mea suáuitudo, sálta: saltabo égo semul.
SA. Númquam edepol med ístoc uinces, quín ego ibidem prúriam.
STE. Sí quidem mihi saltándumst, iam uos dáte bibat tibícini.
STI. Ét quidem nobis. SA. Téne, tibicen, prímum: postideá loci,
Sí hoc eduxerís, proinde ut consuétu's antehac, céleriter
Lépidam et suauem cántionem aliquam óccupito cinaédicam,
Vbi perpruriscámus usque ex únguiculis. inde húc aquam.
Tene tu hóc: educe. dúdum hau placuit pótio:
Nunc mínus grauate iam áccipit. tene tu. ínterim,
Meus óculus, da mihi sáuium, dum illíc bibit.
STE. Prostíbulist autem stántem stanti sáuium
Dare amícam amico. STI. Euge, eúge: sic furí datur.
SA. Age, iam ínfla buccas: núnc ïam aliquid suáuiter.
Cedo cántionem uéteri pro uinó nouam.
Qui Iónicus aut cinaédicust, qui hoc tále facere póssit?
STI. Si istóc me uorsu uíceris, alió me prouocáto.
SA. Face tu hóc modo. STI. At tute hóc modo. SA. Babaé. STI. Tatae. SA. Papaé. STI. Pax.
SA. Nunc páriter ambo. omnís uoco cinaédos, contra [ut sáltent].
Satis ésse nobis nón magis [hoc] pótis est quam fungo ímber.
STI. Intro hínc abeamus núnc ïam: saltátum satis pro uínost.
Vos, spéctatores, plaúdite atque íte ád uos comissátum.

METRA HVIVS FABVLAE HAEC SVNT

V. 1 et 2 trochaici octonarii
- 3 ad 8 compositi ex iambicis dimetris acatalectis et tripodiis iambicis catalecticis
- 9 ad 17 iambici dimetri acatalecti
- 18 ad 28 systema anapaesticum
- 29 ad 33 anapaestici dimetri acatalecti
- 34 ad 36 systema iambicum
- 37 et 38 systema anapaesticum
- 39 ad 42 anapaestici dimetri acatalecti
- 43 et 44 bacchiaci tetrametri acatalecti
- 45 ad 47 systema anapaesticum
- 48 ad 57 iambici senarii
- 58 ad 154 trochaici septenarii
- 155 ad 273 iambici senarii
- 274 et 275 iambici octonarii
- 276 et 277 trochaici octonarii
- 278 ad 280 iambici octonarii
- 281 trochaicus octonarius
- 282 ad 287 iambici octonarii
- 288 trochaicus septenarius
- 289 et 290 iambici octonarii
- 291 et 292 trochaici octonarii
- 293 trochaicus septenarius
- 294 ad 301 iambici octonarii
- 302 trochaicus octonarius
- 303 ad 305 iambici octonarii
- 306 trochaicus septenarius
- 307 et 308 iambici octonarii
- 309 ad 312 anapaestici octonarii
- 313 ad 318 anapaestici dimetri catalectici
- 319 ad 321 anapaestici dimetri acatalecti
- 322 ad 325 anapaestici dimetri catalectici
- 326 iambicus octonarius
- 327 ad 329 trochaici octonarii
- 330 ad 401 trochaici septenarii
- 402 ad 504 iambici senarii
- 505 ad 640 trochaici septenarii
- 641 ad 673 iambici senarii
- 674 ad 682 iambici septenarii
- 683 ad 761 trochaici septenarii
- 762 ad 768 iambici senarii
- 769 ad 775 iambici septenarii.


BOSTON COLLEGE
3 9031 01141675 7

